TRACTATUS
DE
TUMORIBUS & ULCERIBUS

Solidam Theoriam, atque tutiorem praxim complectens.

ACCEDUNT

EPISTOLÆ DUÆ

I. *Circa compoſitionem quorumdam remediorum, quorum mirabiles effectus jactant, ſed præparationem abſcondunt.*

II. *Circa naturam, & virtutem quorumdam remediorum, quæ adverſus luem veneream nuper propoſita ſunt.*

AUCTORE

JOANNE ASTRUC

PROF. REG. MEDIC. ET REGIS A CONSIL. MED.

Ego fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. D. Auguſt. Epiſt. 143. n. 2.

Ex Gallico Sermone in Latinum Verſus.



VENETIIS,

Typis, & impenſis NICOLAI PEZZANÆ.

CIƆ IƆ CC LXVI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

MONITUM.

VErisimile duxit (a) Hippocrates omnes omnino morbos ulcera esse; verum Hippocratem nimis late locûtum esse existimarem, ad quamcumque significationem verbum *ulceris* producendo, quamvis hoc pro Auctoris decore ejusdem Commentatores valde extendant; attamen dubitari non potest omnes fere morbos locales cum aliquo tumore conjunctos esse ipsamque febrim tumores inflammatorios, aut erysipelatosos, quorum ipsa aut causa, aut effectus est, comitari.

Tumorum itaque, ulcerumque tractatus ad medicinæ elementa spectare censendum est, qui iccirco alios morbos antecedere debet, atque ad ipsorum cognitionem, & facilius, & tutius nos ducere ex quo tot Medici tam recentes, quam veteres de hoc certatim ferme scripserunt.

De ea re scribendum igitur suscipio, quæ fuit tam sæpe tractata, at aliqua mihi spes illucescit me frustra non esse laborem, studiumque consumpturum. Etenim de qualibet medicinæ parte illud absque dubio affirmari potest, quod de alia re Cicero (b) *Simonidem* dicentem inducit: *quanto plus considero, tanto res videtur obscurior*.

Sicque magnus eorum numerus, qui de hoc scripserunt, cum mei esse ducerem (c) *Vetustis novitatem, obscuris lucem, dubiis fidem, novis auctoritatem dare*, cumque quantum fieri potest, hoc munere fungi conatus sim, potius diligentiorem efficere, quam me deterrere valuit.

Nihil de tumorum, atque ulcerum natura, causisque statui, quod partium, ubi morbus sedem habet, manifesta dispositione non comprobaretur, nulla adest medicinæ theoriam illustrandi ratio, nulla methodus partium a morbis productam perturbationem certo dignoscendi quam statum earum naturalem, communesque functiones, atque hujusmodi perturbationes simul comparare.

Quo autem ad praxim attinet, solum remedia certa, atque effica-

(a) Libr. *de fractur.* §. 32. Editionis Lindenianæ: *si quis alios morbos esse ulcera dixerit, habet & hic sermo aliquam verisimilitudinem.*

(b) *De natura Deorum.* §. 22.

(c) Plin. *in Præf.* Histor. Natur.

cia proponere studui, quæ essent experimentis, ac optimorum Practicorum usu firmata. Inutilia, atque inefficacia, quæ in libris temere transcribuntur, prorsus rejeci. Quod profecto ad praxis emendationem est opus. Vana enim innumerabilium incertorum, atque inutilium remediorum jactantia ad nil aliud, quam ad ipsius inopiam inservit: *Copia inutilium inopiam facit*. Nullam autem novam sententiam protuli, quam firmis rationibus non confirmatam curaverim: oppositas tamen opiniones nec exponere, nec confutare necessarium fore sum arbitratus. Quarum descriptio præterquam quod longa nimis, atque molesta, (si mea subsistit) inutilis etiam fuisset, cum ad dissipandas erroris nubes, solum, ut veritas pateat, requiratur.

Medicos novi, qui propria opera formulis communibus replent, quos imitari nolui; hæ formulæ nil iis inserviunt, qui medicinæ principia prorsus non ignorant, quique remedia pro circumstantiis opportuna simul conjungere ex se optime norunt. Et e contra plurimum iis obesse possunt, qui aut ignari, aut in medicina etiam rudes hisce formulis in omnibus circumstantiis, nullo consilio habito indiscriminatim utantur.

Brevitati itaque quam maxime consului, cum medicinæ scientia sit longa, tempusque pro adeptione brevissimum; *Ars longa, vita brevis*. Ceteroquin maxima illa volumina, quibus abundant Bibliothecæ, a nemine legi, quis ignorat? nec miror si pauca illa utilia, & gravia, quæ in his reperiuntur, a magno, immensoque inutilium, atque extraneorum cumulo prorsus extinguantur, ac suffocentur.

At ita brevitatem sum prosecutus ne tamen obscurus fierem, iccirco ordinem secutus sum magis accuratum, res apte, atque idonee disposui, principia paullatim, atque simpliciter explicavi, necessarias deinceps illustrationes, ut difficultates, quæ occurrunt, facile dissolverentur, præposui. Hac methodo spem habeo, & viam lectoribus explanavisse, & eo perduxisse, ut me ipsi & sequi, & intelligere facile possent. *Ordinis hæc virtus est*.

Cum hoc opus solum publica, non mea utilitate adductus perfecerim, nolui meum nomen inscribere. Ut tamen fidem, quæ libris anonymis denegatur, aliquam ipsi compararem, commonendum putavi hoc a sene medico factum esse, qui in studiis, in practica, in edocendo, toto suo vitæ curriculo versatus est.

INDEX CAPITUM

MONITUM.

LIBER PRIMUS

De Phlegmone, & Tumoribus phlegmonosis.

LIBER SECUNDUS.

De Erysipelate & de Tumoribus erysipelatosis.

LIBER TERTIUS.

De Oedemate, & de Tumoribus oedematosis.

LIBER QUARTUS.

De Scirrho, & de Tumoribus scirrhosis.

LIBER QUINTUS.

De Tumoribus, qui ad nullam quattuor præcedentium classium referri possunt, & quintam sejunctim classem constituunt.

LIBER SEXTUS.

De Ulceribus.

IX. *De*

EPISTOLA PRIMA.

EPISTOLA SECUNDA.



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Revisione, ed Approvazione del P. Fr. Filippo Rosa Lanzi Inquisitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *Tractatus de Tumoribus, & Ulceribus, Theoriam, atque tutiorem praxim complectens. Accedunt Epistolæ duæ Auctore Joanne Astruc, MS.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Niccolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Giugno 1765.

{ *Angelo Contarini Proc. Rif.*
{
{ *Francesco Morosini 2°. Cav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 241. al Num. 1462.

Davidde Marchesini Segr.

5. Giugno 1765.

Registrato al Magistrato Eccell. degli Esecut. contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segr.

TRA-

TRACTATUS
DE
TUMORIBUS.

Tumorum Generica descriptio.

TUmores generice sunt elevationes, sive prominentiæ, quæ partium vicinarum libellam excedunt.

In scholis distinguuntur tumores in *naturales*, *non naturales* & *præter-naturales*, sive contra naturam.

Tumores *naturales* illi sunt, qui ad corporis conformationem pertinent: tales sunt nares, genæ, & phalanges primi digiti pedum.

Non naturales, minime ad naturalem corporis structuram attinent, sed in aliquibus partibus superveniunt pro peculiaribus casibus, ut in abdominis intumescentia mulierum utero gestantium.

Tandem *præter naturales* sive contra naturam, quæ materiem hujus operis constituere debent, illi sunt, qui contra naturæ leges eveniunt; ideoque veros morbos producunt.

Hujusmodi tumores a duplici causa procedunt; vel cum nonnullæ solidæ, aut molles corporis partes positum mutant: hujus generis sunt luxatio capitis humeri, sub axilla tumorem producens, atque descensus Epiplooi, aut intestini tumorem inguinis inducens, vel cum humor aliquis in aliqua parte congeritur. Hi tumores *humorales* proprie dicuntur, de quibus in hoc tractatu sermonem instituere cogitavimus.

Ipsi plerumque quatuor genera constituunt, quæ sunt *Phlegmone*, *Erysipelas Oedema*, atque *Scirrhus*. Hæc generica divisio a veteribus recepta est, quæ totidem humoribus respondebat, quos in humano corpore admittebant; idcirco phlegmone a rubro sanguine originem ducebat; Erysipelas a bile; oedema a pituita; & scirrhus a melancholia; hujusmodi tamen divisio multiplici ratione peccat.

1. Quia ipsa phlegmone ab erysipelate distinguit, quod unam simul originem agnoscit.

2. Quia non complectitur tumores ab aere productos, quales sunt *tumores flatuosi*, *Emphysematis* nomine insigniti.

3. Quia non comprehendit tumores a pinguedine in propriis cellulis inspissata natos, qui *tumores adiposi* dicuntur.

Melius enim erat, tumores dividere in illos, qui a sanguine producuntur, uti phlegmone, & Erysipelas; in tumores a lympha natos, ut oedema; in illos ab humoribus excrementiciis genitos, ut scirrhus; in illos denique ab aere factos, quales est emphysema; in eos tandem ab adipe confectos, qui *sebacei* sunt.

Tamen, postquam obviæ divisionis errores animadverterim, optimum censui in hoc tractatu veteri usui plerorumque auctorum esse inserviendum, qui se hac materia egerunt.

Opus enim in quattuor libros dividam, in quibus successive de phlegmone, Erysipelate, Oedemate, atque scirrho loquar. Quintum tandem addam, in quo de Emphysemate, tumoribus sebaceis, ceterisque, qui ad quattuor priora genera non pertinent, speciatim tractabo.

Animadvertendum est, tumores quattuor priorum generum simplices esse posse, vel compositos: simplices sunt, ubi tumor sibi proprios characteres tantum præseferat; ita phlegmone simplex est, cum proprias notas tantum retineat; contra vero compositi appellantur tumores, cum, præter proprios characteres, alios reliquorum tumorum admittunt; ita phlegmone composita appellatur phlegmone Erysipelatosa, oedematosa atque scirrhosa, cum, præter propria symptomata, illa erysipelatis, oedematis, aut scirrhi ostendat. Eadem ratione erysipelas phlegmonosum, oedematosum, scirrhosum esse potest; tum oedema phlegmonosum, erysipelatosum, aut scirrhosum; tandem scirrhus erysipelatosus, phlegmonosus, & oedematosus fieri potest.



LIBER

LIBER PRIMUS

De Phlegmone, et Tumoribus Phlegmonosis.

CAPUT PRIMUM

De Phlegmone aut Inflammatione.

Descriptio.

I. IN omnibus corporis humani mollibus partibus tumores produci possunt cum calore, dolore, tensione, renitentia, atque rubore, qui rubor a compressione non evanescit: hæc symptomata hujusmodi tumoribus essentialia sunt; non uno tamen eodemque gradu partes semper afficiunt.

II. Hæ tumoris species omnibus mollibus partibus communes sunt, pinguedinosis videlicet, carneis, membranaceis, tendineis, vel aponevroticis; plerumque tamen corporis superficiem, viscera, aut musculos aggrediuntur, ubi vasa sanguinea confertiora sunt.

III. Interdum hujusmodi tumores limites ostendunt, qui facile circumscribi possunt; plerumque tamen sensim, sensimque ad latera ita imminuuntur, ut margines ipsis assignari nequeant.

IV. Phlegmonosi tumores interdum comitem febrim non habent; plerumque tamen accedit cum reliquis symptomatis calore, vigilia, siti, horrore &c.; quandoque febris tumorem præcedit, & tunc ipsa morbus essentialis est, tumor vero symptoma. Interdum febris, atque tumor una superveniunt, & tunc utrumque ab eadem causa procedit; plerumque tamen febris tumorem subsequitur, ejusdemque est effectus, sive symptoma.

V. Hujusmodi tumor a Græcis appellatus fuit φλεγμονὴ, scilicet *incendium* caloris ergo, qui ipsum comitatur; Latini eadem de causa ipsum *inflammationem* nuncuparunt; Galli vero utroque nomine utuntur; illud tamen inflammationis frequentius adhibent.

VI. Quatuor stadia inflammationis distinguuntur.

1. *Initium*, &
2. *Incrementum*, ubi phenomena, quæ initio conspiciuntur, sensim augentur.
3. *Status*, sive *consistentia*, ubi phenomena eodem gradu perstant.
4. *Decrementum*, sive *resolutio*, in qua phenomena imminuuntur, & tumor paulatim evanescit.

Quandoque, loco resolutionis, suppuratio accidit, in qua, postquam phenomena summum gradum sævitiei attigerint, tumor putrescit, & *abscessum*, sive *apostema* producit. Interdum etiam, quod magis teterrimum est, in eadem morbi periodo, tumor nigrescit, complanatur, indolens fit, & *Gangræna* supervenit a sphacelo subsecutura.

A 2 Dis-

Differentiæ.

1. Phlegmones ſunt *internæ*, *vel externæ*; internæ partem internam occupant; externæ partem externam.

2. Iſti *tumores*, vel *magni* ſunt, vel *parvuli*; quod 1. ab elevatione, 2. extenſione, 3. renitentia, 4. gradu caloris, ruboris, & doloris dignoſcitur.

3. Interdum *febrim comitem* habent, interdum *ſine febre* ſunt; febris plerumque grandiores, & internos comitatur, non vero reliquos.

4. Modo *circumſcripti* ſunt, videlicet margines oſtendunt; modo *non circumſcripti*, videlicet indefinitos limites præſeferunt.

5. *Simplices* ſunt, quando proprijs ſymptomatis tantum pollent; *Compoſiti*, quando, præter propria ſymptomata, alia ceterorum tumorum admittunt, tunc appellantur *phlegmones eryſipelatoſæ*, *œdematoſæ* aut *ſcirrhoſæ*; prout aliqua ſymptomata, eryſipelatis, œdematis, aut ſcirrhi ſibi aſſociant.

6. *Syſtrophicæ* appellantur, cum in ſuppurationem tendunt; & *non ſyſtrophicæ*, cum reſolvuntur.

Cauſæ.

Calor, rubor, atque dolor pulſatilis, quæ phlegmones eſſentialia phænomena ſunt, oſtendunt hunc tumorem a ſanguinis congeſtione pendere, qui vaſa nonnulla permeare nequit, & contra naturæ leges congeritur. Scimus arterias ſanguinem partibus ferentes, poſt multiplicem diviſionem capillorum exiguitatem ſumere; atque uno, eodemque loco duplicem retem conſtituere: altera eſt capillaribus arteriis contexta, innumeris lateralibus anamoſtomoſibus inter ſe communicantibus, quæ tandem initia reſpondentium venarum intrant, quæ ſanguinem reducere debent; altera retis a ſimilibus capillaribus vaſis, lymphaticis tamen, conficitur, quæ vaſcula, ab his exiguis arteriolis nata, (poſt innumeras anaſtomoſes) in communem truncum lymphaticum confluunt, qui lympham in vaſa lympham devehentia defert, a quibus ſanguinis circulo additur.

Hoc ſpecimen ſufficit, ut concludamus, ſanguinem poſſe in ſingula parte triplici ratione detineri. 1. per *ſtagnationem* inflando, atque dilatando arterias capillares, ubi ſubſidet, & hæc *phlogoſis* eſt, ſive primus gradus phlegmones 2. per *irruptionem*, ſive *devolutionem* (a) vaſa lymphatica penetrando, quæ ab arteriis capillaribus naſcuntur, quod fit, poſtquam diameter arteriarum capillarium a ſtagnante ſanguine dilatata fuerit, lumenque vaſorum lymphaticorum expanſum, quod revera *phlegmone* eſt, ſive ſecundus gradus phlegmones. 3. per *extravaſationem* cum a maxima arteriolarum, lymphaticorumque dilatatione tandem diſrumpuntur, & contenti liquores propinquas partes implent, ac tunc *phlegmone ſyſtrophica* dicitur, ſive tertius, aut poſtremus gradus phlegmones.

Quamvis motus cordis ſit cauſa efficiens circulationis ſanguinis, quæ (juxta cordis motus) celerior, aut ſegnior eſſe debebit; attamen verum eſt, conditio-

(a) D. *Vieuſſenius* primus fuit, qui in inflammatione, ſive phlegmone obſervaret irruptionem ſanguinis in vaſa lymphatica. *Vide novum ſyſtema vaſorum*. pag. 109.

ditionem ſanguinis circulantis in ſingulis partibus, vaſorumque ſtatum (per quæ ipſe circumvehitur) cauſas ſpeciales eſſe, quibus ſanguinis circulus promovetur, aut retardatur; idcirco ſanguis in his partibus facilius circulabit, in quibus fluidior erit, vel módica quantitate ferretur, vel intumeſcentiæ, aut rarefactioni præternaturali non ſubjicietur; pari ratione diverſarum partium vaſa perpendi debent, per quæ eo facilius deferretur ſanguis, quo magis ea patula, & *permeabilia* erunt, atque eorum robur validiores contractiones excitabit.

Ex his conſequitur, ſanguinem ſubſiſtere debere per certum arteriarum capillarium tractum; & *ſtagnationi* locum præbere, quæ præcedit irruptionem, atque extravaſationem triplici de cauſa: a vitio ſanguinis, a vitio vaſorum affectæ partis, atque a vitio una ſanguinis, & vaſorum.

Hæ ſunt tres claſſes generales cauſarum phlegmones, quæ nunc ſingillatim perpendi debent.

I. Vitium ſanguinis, per quôd in aliqua parte ſubſiſti poteſt, triplex eſt.

1. *Nimia copia*, quæ afficiendam partem aggreditur; hac de cauſa oculi inflammatio alterius inflammationi ſuccedit; renis inflammatio, alterum inflammatum renem ſubſequitur, atque ſplenis phlogoſis ab illa jecoris procedit. Communicatio vaſorum ſanguineorum harum partium locum præbet, ut ab affecta parte ſanguis uberius in propinquam irruat, & phlegmone inducat.

2. *Spiſſitudo* ſanguinis externo frigore, aut intromiſſo veneno in affecta parte contracta; quo pacto frigus, ventus, pluvia, atque nix phlegmone partes afficiunt ipſis obnoxias. Pariterque pars aliqua phlegmone corripitur, demorſa ab animale coagulanti veneno prædito.

3. *Nimia rarefactio* externa de cauſa in aliqua parte ſanguini ſuperveniens; ardor enim ſolaris, aut morſus cujuſdam animalis, acri veneno imbuti, phlegmone producit. His ſpecialibus cauſis generales addi debent, videlicet plethora, ſanguinis ſpiſſitudo, ejuſdemque nimia ad rarefactionem proclivitas, quæ ad augmentum cauſarum homogenearum, ſive ejuſdem ſpeciei magnopere conducunt.

II. Vitium vaſorum in his partibus triplex pariter eſſe poteſt.

1. Eorum *compreſſio*, cum vaſa preſſa, atque obſtructa liberum renuunt ſanguinis tranſitum; ita cujuſvis partis glandularum, repentina præſertim, intumeſcentia phlegmone producit.

2. eorum *conſtrictio*, cum per circumpoſitarum tendinearum fibrarum contractionem coarctantur, ita convulſio perſiſtens, aut dolor, vel partis alicujus irritatio, phlegmone gignit; Etenim conjunctivę irritatio ophtalmiam facit; dolor dentium, gingivarum inflammationem, & puris acrimonia ulcerum inflammationem parit.

3. Eorum *contuſio*, cum abraduntur, aut diſtenduntur, ut ordinatis oſcillationibus, pro circulationis negotio, non amplius inſerviant: ita ictus, aut membrorum contorſiones, quas patiuntur ægri, dum luxatum membrum ſuo loco reponitur, producunt in colliſis partibus inflammationem; hic referri debent inflammationes, quæ ab oſſium fractorum fragmentis procedunt.

His ſpecialibus cauſis addi debent generales, quales ſunt laſſitudo, aut defectus roboris vaſorum, quod oſcillationes infirmat; inſuper habitualis implicatio eorum, quæ curſum ſanguinis retardat.

III. Vitia ſanguinis, & vaſorum, quæ una concurrunt ad inflammationes producendas, graviſſima ſunt, ſed ſatis ex anteactis deducuntur.

Symptomata.

1. Rubor inflammationi essentialis est, ipse a sanguinis congesti quantitate procedit; itaque gradus ruboris quantitati respondet stagnantis sanguinis, sive gradui ruboris, & rarescentiæ ejusdem cruoris, vel denique speciali infartui vasorum cutaneorum.

2. Rubor in inflammatione est persistens, neque a compressione evanescit, ut in Erysipelate, quia compressio nunquam exprimit sanguinem in profundioribus vasis contentum.

3. Calor vulgarem calorem superat, quod procedit a quantitate sanguinis stagnantis, & a calore, quem ipse adipiscitur, dum continuo ab arteriarum pulsibus teritur. Idcirco quo uberior in inflammatis partibus erit sanguis, eo magis attenuabitur, atque calefiet.

4. Renitentia, per quam pars affecta in phlegmone compressioni magis obsistit, quam in oedemate, aut erysipelate; non ita tamen in scyrho. Hæc renitentia a numero vasorum, eorumque summa plenitudine originem habet.

5. Calor intensissimus est in parte inflammata, modo hæc inflammatio producatur ab augmento contractionum omnium vasorum, fibrarumque circumstantium, præsertim cum vasa arteriosa affecta sint, & sanguis subsistens suæ qualitatis ergo validam impressionem faciat.

6. Dolor phlegmone semper comitatur; ipse a distractione gignitur, quam patiuntur filamenta nervea ex parte vasorum tumentium, & gradui distractionis semper proportionalis est.

7. Dolor pulsatilis est, videlicet pro singulo arteriæ pulsu recrudescit, quia nervorum distractio pro qualibet pulsatione augetur, quæ pulsatio in phlegmone validior est.

8. Febris in grandiore, interna præsertim, phlegmone adest, quæ potissimum dependet a perturbatione circulationis, quam inflammatio inducit, ut in febrium tractatu rite explanatur; nihilominus scimus auctum dolorem febrem non parum augere.

9. Vigiliæ, sitis, atque inappetentia obviæ sunt hujus febris consecutiones.

Explicatio Differentiarum.

1. Phlegmone vel interna, vel externa est, quod dependet, vel ab applicatione causarum externarum, vel a dispositione partium internarum, quæ ipsam producunt.

2. Phlegmone vel magna, vel exigua apparet pro partium extensione, quas occupat; pro gradu actionis causarum, quæ ipsam producunt; pro copia congesti sanguinis, atque febris vehementia, quæ ipsam comitatur.

3. Phlegmone sine febre, vel cum febre est, prout sanguinis circulatio in reliquo corpore plus, minusve interrumpitur.

4. Phlegmones, vel circumscriptæ sunt, vel non, prout in glandula, aut viscere pariter circumscripto locantur, vel in aliqua parte sedem habent, quæ limites non præseferat.

5. Phlegmones sunt systrophicæ vel non systrophicæ, prout vasa sanguinea integra sunt, vel concisa, videlicet a stagnatione, aut irruptione producuntur.

Diagnosis.

Tria sunt Diagnosis objecta.

1. Phlegmones distingui debent a reliquis tumoribus; rubor enim, calor, atque dolor ipsas facile distinguunt ab oedemate, atque scyrho; erysipelatis vero respectu ex eo non solum distinguuntur, quod tumor magis promineat, sed præsertim, quod rubor in Erysipelate a compressione evanescat; in phlegmone non ita.

2. Variæ phlegmones species insuper distingui debent, videlicet grandiores a parvis; simplices a compositis; febrem ferentes ab apireticis; circumscriptæ a non circumscriptis; tandem quæ resolvuntur ab iis, quæ in suppurationem tendunt. Hujusmodi differentiæ facile ab antecacta descriptione deteguntur.

3. Causæ phlegmonum, etiam diversæ sunt distinguendæ; hæc tamen distinctio pro curatione parvi penditur, nam sedulo inquirenti facile erit causas cognoscere narratione ægrorum ducto, quæ phlegmones inducunt.

Prognosis.

Judicia, quæ circa phlegmones consecutiones institui debent, a quattuor potissimum capitibus derivant.

I. A parte quam phlegmone occupat; idcirco quæ adipem, aut partes carnosas infestant, minus periculosæ sunt illis, quæ partes glandulosas, tendineas, aut nerveas tenent; externæ minus periculi habent, quam si in gutture, ore, aurium ductu, ano, aut vagina sedem haberent; minus etiam periculosæ sunt, quam si in pulmone, ventriculo, aut intestinis locarentur.

II. A gradu morbi; idcirco quo magis phlegmone extenditur, durescit, elevatur, aut dolet, eo magis pertimescenda videtur.

III. A symptomatum vehementia; quare febris, dolor, vigiliæ, convulsiones, deliria &c., quæ phlegmones comitantur, aut ipsis superveniunt, periculum augent.

IV. A modo, quo phlegmone finem habet, generice ipsa 1. in resolutionem, 2. suppurationem, 3. indurationem, 4. aut gangrenam definit.

1. *Resolutio* vix magis salubris est, ea attenditur, cum durities, dolor, calor sint modici, & circa septimam diem, vel paulo post tumor imminuatur.

2. Post resolutionem *suppuratio* secundum locum tenet; phenomenorum enim persistentia, post septimum, aut octavum diem, dolor tumoris pulsatilis ipsam prænunciant. Sed præsertim phenomenorum augmentum cum tensione, dolore, & pulsatione.

3. *Induratio* tumoris valde teterrima est, & in ea phlegmones specie plerumque evenit, ubi glandula infarcitur; nam interdum, phlegmone resoluta, glandula dura, & scirrhosa persistit, quod indicat imperfectam valetudinem.

4. *Gangręna* tandem est deterior phlegmones desinentia. Ipsam suspicari licebit, cum symptomata omnia post octavum, aut nonum diem exacerbentur, nullo instante suppurationis indicio, quod magis confirmatur, dum cutis relaxatur, atque nigrescit absque suppuratione, sed cum totali doloris cessatione.

Curatio.

Phlegmones curatio varias indicationes implere debet, quæ tum internas, cum externas partes respiciunt.

1. Indicationes internæ sunt. 1. imminuere quantitatem sanguinis affluentis; quod obtinetur repetitis venæ sectionibus, quæ copiam cruoris imminuendo in vasis contenti in eadem ratione pariter imminuit quantitatem sanguinis, qui singulas partes irrorat, & pari ratione illum etiam partis inflammatæ.

His positis in omni phlegmone necessum erit initio morbi, venam frequenter atque ubertim secare, sed sectionum numerus, & magnitudo in singulis casibus magnitudini, vehementiæ, & perniciei ipsius morbi respondebunt; sufficiat enim admonere, venæ sectiones initio, vel augmento phlegmones esse instituendas; nam in phlegmone confirmata pæne frustraneæ evadunt.

2. Imminuere impetum, quo sanguis partem inflammatam aggreditur; id obtinetur usu venæ sectionum, cujusvis speciei ipsæ sint: nam (sanguinem depauperando) copia etiam spirituum animalium imminuitur, atque ex hoc vis contractilis cordis labefactatur, sed tutius est, venæ sectiones revulsivas adhibere, quæ non solum imminuunt quantitatem sanguinis, sed etiam sanguinis cursum a parte inflammata distrahunt; hac de causa pedum venæ sectiones utiles sunt in omnibus capitis, vultus atque colli inflammationibus; demum illæ brachiorum in reliquis inflammationibus imi ventris, atque extremitatum inferiorum.

3. Attenuare sanguinem nimis spissum, ipsumque magis idoneum reddere, ut partis inflammatæ facile vasa permeet; hæc absolvitur indicatio, potionem exhibendo ptisanæ aperientis, qualis est infusio plantæ capillaris, vel etiam decoctio glycyrrhizæ sive cichorei silvestris.

4. Compescere nimiam sanguinis rarescentiam, quæ impletur indicatio uberrimam propinando aquam pullorum emulsione interdum subactam, vel ptisanam ex radice acetosæ confectam, addito nitro, crystallo minerali, aut syrupo limonum, verum etiam levem exhibendo limoneam.

5. Curare ne sanguis chylo rudiori, aut nimio remisceatur, qui ipsum condensaret: hac de causa, æger exacta dieta detinetur simplicis juris, præsertim si febris adsit, sed si hæc absit, duplex exigua comestio in die permittitur; de cetero jus tantum propinatur.

6. Primas vias expiare obviorum purgantium usu, vel emetico si opus sit; generice enim præmissis venæ sectionibus, in omnibus tum internis, tum externis phlegmonibus ægrum purgare oportet, ut pravæ digestionis reliquiæ penitus eliminentur, sed purgationis methodus diversa esse debet, pro varia phlegmones indole. In externo itaque phlegmone vulgaria purgantia, quin immo validiora adhiberi possunt, verum etiam tuto emetica, præsertim cum sordes copiosas in primis viis liceat suspicari. Sed cum phlegmone partes internas occupet, purgantium delectus difficilior est. Ideoque in pulmonum inflammatione leniora purgantia ut manna, & cassia tantum locum habent, quamvis tamen, & hic emeticum interdum prosit; at in ventriculi inflammatione lenissima, seu melius lavacri adinstar sunt propinanda hujusmodi remedia, quod pariter intelligitur circa intestinorum inflammationem, cum ipsa universalis sit, & extensa, nam in dysenterica inflammatione, quæ minus extenditur, non solum permittitur, verum requiritur usus emeticorum, & ipecacuanhæ potissimum.

7. Tan-

7. Tandem absque mora, post generalium remediorum exhibitionem sanguinis spissitudinem corrigere aperientium potionum ope; verum refrigerantibus, & ptisanis ab iis 3., & 4. articulo indicatis, parum diversis rarefactionem temperare.

II. His indicationibus, quæ ad internam medelam pertinent, sequentes addi debent quæ extrinsecus locum habent, suntque:

1. Relaxare atque extendere partis inflammatæ contextum, ut dolor imminuatur, vasa dilatentur, atque ruptura præcaveatur.

Pro hoc scopo adhibentur: 1. embrocationes cum lacte tepenti, vel decoctionibus emollientibus, malvæ, alteæ, parietariæ, brancæ ursinæ &c. confectæ. 2. fomenta cum lacte simul, & similibus decoctionibus parata. 3. cataplasmata emollientia ex lacte, & mica panis leviter excocta, verum ex oryzis lacte excoctis, & pauco melle remixtis subacta. Hæc postrema remedia identidem renovari debent, prout exsiccantur, quod cito, vel sero evenit juxta calorem partis inflammatæ, vel spissitudinem ipsius cataplasmatis.

2. Fovere resolutionem, cum animadvertatur ipsam incipere, vel jam inceptam esse. Nam nimia solicitudo in his casibus plerumque nocet. Tunc enim remedia resolventia adhiberi possunt plus, minusve efficacia pro tumoris varia conditione. Talia sunt 1. mica panis cum vino rubro excocta, paucis etiam additis guttis spiritus vini; 2. cataplasma quattuor farinarum resolventium vino ebullitarum, sive cataplasma parietariæ tritæ, expressæ & irroratæ spiritu vini, vel aqua vulneraria, vel spiritu vini camphorato simplici, aut sale ammoniaco actuato. 3. fomentationes spiritus vini, in quo solutus fuerit sapo venetus; vel aquæ simplicis vitæ camphoratæ, sale etiam ammoniaco actuatæ. Possunt etiam linteola his liquoribus madefieri, & parti resolvendæ applicari. 4. apud rusticos etiam familiaris est fimus vaccinus lacte irroratus, vel pauco aceto, qui tumori calidus applicatur.

Si resolventium applicatio dolorem partis auxerit, signum erit, inflammationem nondum esse resolvendam, ideoque ad emollientia, & anodyna revertendum erit. Generice dolor valetudini maxime obsistit: quare si anodyna externa non sufficiant, interna narcotica erunt exhibenda, qualia sunt syrupus diacodii, vel karabis ad dosim semis unciæ, vel pillulæ cynoglossi ad quattuor, vel quinque grana, verum etiam tinctura anodyna ad quindecim, aut viginti guttas idoneo vehiculo propinata.

III. Istorum remediorum prudenti administratione perfecta plerumque resolutio obtinetur. Duplex tamen conditio ad hoc requiritur; *altera*, quod vasa partis inflammatæ suas pulsationes continuent, quin immo paulo validiores sint, ut in phlegmonibus evenit, verum quod eodem tempore reliquæ fibræ, quæ partem infirmam componunt, contractiones sibi proprias conservent, validiores potius; *altera* est, quod causæ inflammationem producentes cujusvis indolis sint, copia videlicet, spissitudo vel rarescentia sanguinis, tum compressio, constrictio, vel contusio vasorum capillarium in parte affecta, remediorum usu, aut diætæ regimine cessent, vel magna ex parte saltem imminuantur.

In concursu harum conditionum apparet sanguinem attenuari, & fluidiorem reddi arteriarum pulsibus, atque nisu contractilium fibrarum, adjuvantibus ideoque vasa omnia, perquam subtilissima undique permeare. Denique sanguinis stagnationem imminui, ut etiam dolorem, calorem, ruborem, & ita inflammationem, atque reliqua symptomata paulatim ita infirmari, ut penitus tandem abeant. *Hæc perfecta resolutio* dicitur, cum nullum supersit morbi vestigium.

Hæc

Hæc resolutio facile perficitur, cum simplex sanguinis stagnatio habeatur, absque devolutione in vasa lymphatica, aut infartu in parte affecta nam vasis tunc semel reseratis, cruor obvium cursum statim recuperat. Difficilior magis videtur resolutio, cum stagnatio devolutione sanguinis in lymphatica copuletur, quia tunc non solum sanguinis circuitus, verum etiam lymphæ restitui debebit, atque orificia lymphaticorum coarctari ne globulos cruoris recipiant.

Dificillima tandem redditur resolutio, cum tertia phlegmones species præsens sit, in qua sanguinis extravasatio devolutioni, atque stagnationi additur; quoniam in hoc casu oporteret, non solum quod sanguis, atque lympha proprium circuitum recuperaret, verum orificia capillarium coarctarentur, atque sanguis extravasatus derelicta vasa, rursus permearet, quod difficile est obtineri, ne hujusmodi phlegmones species facile in abscessus systrophicos dictos convertatur; nihilo tamen minus in eodem casu resolutio fieri potest quin immo interdum feliciter evadit. Extant enim exempla innumera ecchymosium cum sanguinis stagnatione, quæ plerumque resolutæ sunt, modo grandiores aut neglectæ non fuerint.

Ex his consequitur, in resolutione phlegmones a stagnatione natas subsequente, sanguinem in propriis vasis figi, quæ integra perstiterint; verum in phlegmonibus, ubi stagnatio devolutioni additur, resolutionem, per vasa sanguinea eque, ac lymphatica una fieri, donec arctatio vasorum lymphaticorum renuat sanguinis transitum per eorum lumina; Tandem, ut in tertio casu evenit, ubi extravasatio stagnationi, & devolutioni simul accedit; resolutionem per sola vasa lymphatica amplius non fieri. Tunc lympha, quæ partem irrorat, abluit, attenuat, solvitque paulatim sanguinem inspissatum, ipsumque secum in vasa trahit, in quæ defertur;

Hac methodo insensibiliter resolutio fit, & color sensim sensimque partis affectæ a nigro in violaceum, a violaceo in luteum, a luteo in cinereum, ab hoc tandem in colorem naturalem transitum facit, quod quidem observatur in omni ecchymosi perfecte resoluta.

Quod Resolutio in ecchymosi inspissati sanguinis ita peragatur facili experimento certiorem fieri volui. Valide itaque omnes canis artus pulsavi sectioni destinati, seu melius dicam, universalem ecchymosim in ipsum intuli; duplicem vero post diem ipsum dissecui, cum crederem resolutionem cæpisse, atque statim subclaviam sinistram vinxi, dum animal adhuc calebat, ut fieri solet in vasorum lymphaticorum ostensione, hac ratione innumera vasa lymphatica facile conspexi, quæ veniebant a contusionibus cutaneis, ipsaque lympha vulgari spissiori, & valde rubicundo colore imbuta, repleri vidi, quod confirmabat ea vasa iterum jam hausisse sanguinis partem in collisionibus extravasati.

CAPUT SECUNDUM.

De Abscessu, sive Apostemate.

Descriptio.

Vidimus præcedenti capite casus, in quibus phlegmone resolvitur, modo adsit duplex indicata conditio; Venit hic inquirendum, ubi phlegmone in oppositis casibus resolvi nequeat, videlicet

1. Quan-

1. Quando obſtacula inſuperabilia ſint, atque vaſa ſanguinea lateralia ita infarciantur, ut non ſufficiant pro idoneo circuitu.
2. Quando ſegniter imminuatur ſanguinis copia, aut impetus compeſcatur.
3. Quando ſero, aut difficulter dolor partis affectæ abeat.
4. Quando perperam fibras partis inflammatæ adſtringentibus remediis medici indurent.
5. Tandem quando fibræ ejuſdem partis inflammatæ irritentur vel ſanguis rarefiat uſu intempeſtivo remediorum reſolventium.

In omnibus hiſce caſibus reſolutio impoſſibilis evadit, ideoque neceſſum erit, quod intra ſeptimum, & nonum diem, phlegmone alterutram ſubſequentium conſecutionum ſuſcipiat.

1. Si pulſatio arteriarum, atque fibrarum oſcillatio in parte affecta, in quo vitalitas conſiſtit, præſens ſit; in hoc caſu ſanguis irruens, naturam mutabit, & in pus convertetur, atque congeſtionis ſpeciem gignet, quam græci ἀπόστημα appellarunt. Romani vero *abſceſſum* appellant, quod idem ſonat; quamvis tamen utrumque nomen apud gallos recipiatur, attamen illud *abſceſsus* obvium magis eſt.

2. Contra, ubi arteriarum pulſus fibrarumque oſcillationes deſtruantur, pars affecta livida fiet, & ex gangræna in ſphacelum tranſibit. Subſequenti capitulo explanabimus ſecundum hujuſmodi phlegmones exitum; at in hoc ſat erit, explicare mutationem ſanguinis in pus, ſive ortum abſceſſus, aut apoſtematis.

Cauſæ.

Pulſationes Arteriarum atque oſcillationes fibrarum in phlegmone auctæ, atque continuatæ, debent tandem irruentem, aut extravaſatum ſanguinem attenuare atque reſolvere, qui actioni continenti, atque duplicatæ harum cauſarum ſubjicitur.

Ex alia parte motus inſenſibilis, qui partes ſanguinis exagitat, & ſub fermentationis nomine innoteſcit, augetur & ipſe, ac proinde facilius componentes molleculas ſejungit, novumque connubium producit, quod novum humorem conſtituit. Hæc poſtrema cauſa neceſſario ad formationem puris conducit; nam hoc certum eſt, abſque fermentatione nullam humorum Methamorphoſin oriri.

Ambo hi motus triturationis, atque fermentationis aucti, ſenſim, ſenſimque naturam ſanguinis pervertunt, ipſumque in pus convertunt: quare haberi debent pro cauſis ſuppurationis efficientibus; Sed ut clarius incedamus, naturales ſanguinis conditiones cum qualitatibus puris comparari debent.

1. Sanguis eſt ruber; pus vero album.
2. Sanguis a frigore figitur; non vero pus.
3. Sanguis aqua levior eſt; pus in ipſa fundum petit.
4. Sanguis ſapore deſtituitur; pus ſalitum apparet.
5. Sanguis nunquam corrodet; utique vero pus.
6. Sanguis, ſemel condenſatus ab aqua, non reſolvitur; non ita pus.
7. Sanguis non male olet; pus vero fœtens eſt.

Nihilo tamen minus a ſanguine pus gignitur, veriſimiliter per ſucceſſivas mutationes, quas ille ſubit, infra explicandas.

Scimus ſanguinem componi quattuor diverſis partibus, videlicet, 1. ex parte rubra, ſive globuloſa ſanguinis. 2. ex parte gelatinoſa, ſive lymphatica craſſiori.

ſiori ; 3. ex gelatinoſa , aut lymphatica tenujori ; 4. tandem ex ſeroſa , aut urinoſa .

Etenim in phlegmone , a duplicatis arteriarum pulſibus , validioribus omnium fibrarum oſcillationibus , motu partium inteſtino , quem excitat fermentatio , a calore tandem , quem ipſa inducit , inſenſibiliter derivat .

1. Quod pars rubra ſanguinis , quæ tenuis eſt , evaneſcat , formamque ſaltem mutet .

2. Pars vero ſeroſa diſſipetur , vel calore , vel hauſtu vaſorum lymphaticorum .

3. Reliquæ vero gelatinoſæ portiones , quæ in phlegmone ſuperſunt , terantur , attenuentur , fundantur , atque intimius ſimul ita coeant , ut novum oriatur connubium ſub *puris* nomine cognitum .

Ex his patet , pus ſibi proprias qualitates adipiſci , per quas a ſanguine diſtinguitur .

1. Album eſt , quia partes globuloſæ ſanguinis , quæ rubedinem faciunt , jam diſſipatæ fuerunt .

2. A frigore ipſum non condenſatur , quia pars gelatinoſa craſſior , quæ in ſanguine coagulum facit , in pure ita attenuatur , ut amplius nequeat a frigore inſpiſsari .

3. Sanguine pus gravius eſt , atque in aqua ſubſidet , quia partes globuloſæ , & ſeroſæ ſanguinis , quæ ipſum leviorem faciunt , diſſipatæ fuerunt , & pars gelatinoſa in pure ſuperſtes , ſuapte natura , aqua gravior eſt .

4. Pus acre , atque ſalſum obſervatur , quia pæne omnia ſanguinis ſalia complectitur , & quidem minus reſoluta ſeroſæ partis defectus ergo jam diſſipatæ , verum etiam minus implicata , quia partes gelatinoſæ in pure tenujores ſunt .

5. Eadem de cauſa pus corrodens eſt , præſertim cum a ſanguine producatur , acre valde , vel diu in parte affecta detento .

6. Pus ab aqua reſolvitur , quia moleculæ , quæ ipſum gignunt , cum magis quam in ſanguine invicem ſejungantur , facilius etiam ſinunt aquæ ingreſsum pro ipſarum ſolutione .

Tali pacto enim ſanguis per ſucceſſivas mutationes in pus convertitur , ſive in humorem a ſanguine prorſus diverſum . Haud abſimili ratione alimenta in chylum , chylus in ſanguinem , ſanguis in recrementa mutatur ; uno verbo ita omnes naturæ methamorphoſes in natura peraguntur .

Symptomata.

1. Cruor tantum valet in verum , & laudabile pus converti ; reliqui humores *puriformem* potius ſubſtantiam producunt .

2. Pus laudabile album , parumque cinereum eſt , coctum , ſpiſsum , fundum petens , difficulter reſolvitur , certa quadam dulcedine pollet , parum fluit , quia pars gelatinoſa aliqualem conſiſtentiam ipſi conſervat , ſalia implicat , ipſorumque virtutem imminuit , quin imo ipſa minori copia , atque minori acredine donata , in pure reperiuntur .

3. Inferioris notæ pus liquidum eſt , ſeroſum , inæquale , & grumoſum , luteum , fuſcum , lividum , ſanioſum , viride , fluens , ſalitum , corroſivum atque acre , quod ſtatim ab aqua funditur , ipſamque lacticinoſam reddit , quia pars gelatinoſa in ipſo ſoluta eſt , & ſalia ab aqua ſui juris facta acriora evadunt , magiſque agunt .

4. Pus semel perfectum destruit, corroditque exiguas cavitates, in quibus continetur; tunc unica cavitas gignitur, vel in pluribus cellulis coacervatur: in *primo casu* abscessus simplex producitur; *in altero vero* plures abscessus, sive abscessus cellularis ortum habet.

5. Cum pus in partibus pinguedinosis, aut carnosis sedem habeat, abscessus *boni moris* appellatur, quia hæ partes innumeris sanguineis vasis stipatæ laudabilius pus suppeditant.

6. Cum pus partes nerveas, tendineas, aut membranaceas infestet, abscessus *mali moris* dicitur, quia in his partibus multa sunt vasa lymphatica, quæ serosum, inæquale, ideoque malæ notæ pus producunt.

7. Dum pus carnosas, aut adiposas tantum partes aggreditur, abscessus *simplex*, sive *non complicatus* est; at si ita extendatur, ut ossa propinqua cariet, vel nervum, aut tendinem theca expoliet, aut circa eorum longitudinem, vel alicujus articuli anfractus sibi pandat viam, abscessus tunc *complicatus* gignitur.

Diagnosis.

In Abscessu tria Stadia distingui debent: videlicet dum ipse imminet; dum incipit; dum tandem inceptus est.

I. Cognoscitur phlegmone in suppurationem vergere, sive melius abscessum instare.

1. Ubi phlegmone eodem statu persistat post septimum, octavum, aut nonum diem. 2. ubi rubor, calor, dolor, resistentia, atque febris, absque nova causa, augeantur. 3. tandem ubi pulsatio universalior, & validior fiat. Hippocrates hæc signa recognovit suppurationis instantis. *Sectione* II. *Aphorismo* 47. *dum pus fit, dolor, & febris magis intenduntur, quam ubi confectum est.*

II. Cognoscitur abscessum incipere. 1. dum phlegmone acuminatur, ut omnis dolor in hoc apice videatur coercitus. 2. dum hic apex complanatur, & digito prementi cedit. 3. dum tandem ipse a pressione albescit.

III. Innotescit, abscessum confectum esse. 1. quando tumor sensibiliter apicem ostendat, superius indicatum; 2. quando sub apice, a pressione, mollities, atque vacuum persentiatur. 3. quando latera tumoris premendo, fluctuatio quædam appareat, seu (melius dicam) *Antitypia* apicem versus. 4. quando circa tumorem partes minus tensæ, rubræ, aut dolentes observentur.

IV. Interdum tamen evenit, quod abscessus profundi sint, nullumque apicem sensibilem ostendant, ut vix fluctuatio persentiatur; cetera tamen signa, ut durities, phenomenorum decrementum, atque horum morborum obvia praxis satis docere debent: quare Hippocrates *sectione 6.* ait: *Quibus suppuratio in corpore existens non innotescit, iis ob crassitiem loci non innotescit.*

V. Tandem de qualitate abscessus judicium ferre valebimus, ante, vel post ejusdem aperitionem.

1. Antequam abscessus aperiatur, tumoris attactu judicatur, ipsum simplicem esse, si unicus conspiciatur Apex, & una cavitas, in qua mollities persentiatur; compositum vero, & cellularem esse, si plures apices, pluresque molles anfractus appareant; Callosum esse, si ipse duritiem preseferat; tandem complicatum, vel non existere juxta sedem quam occupat.

2. Post abscessus aperitionem, ejusdem conditio in propatulo est; nam tunc oculus, digitus, & specillum rem satis declarant.

Pro-

Prognosis.

Omnes abscessus gravem morbum, & periculosum producunt; detrimentum tamen variat.

1. Juxta qualitatem abscessus, nam simplex minus periculosus est; non ita compositus, aut cellularis; abscessus vero non complicatus minus periculi habet, quam complicatus cum carie ossium, aut tendinum, vel articulorum læsione.

2. Juxta magnitudinem, nam abscessus valde extensus, atque profundus magis lædit, quam angustus, & superficialis.

3. Juxta positum, quem occupat, nam abscessus in adipe, aut Carne minus infestat, quam si ossa articulos, aut tendines aggrederetur.

4. Juxta naturam, numerum, & vehementiam symptomatum, quæ ipsum comitantur.

5. Juxta periculum, quod adest, ne aliquam cavitatem abscessus intret.

Curatio.

Jam animadvertimus, tria stadia abscessus dari; videlicet suppurationem instantem, inceptam, & perfectam: juxta tria hæc stadia enim curatio dirigitur.

I. Cum suppuratio tantum immineat, venæ sectiones iterabuntur, prout vires ægri permiserint, diæta tenuissima simplicis juris conveniet, & purgatio plus minusve efficax, prout opus requiret; dolor narcoticis intus sumptis imminui debebit, extrinsecus etiam cataplasmata emollientia, & anodyna applicabuntur; uno verbo, repeti debebunt remedia omnia superius in curatione phlegmones proposita.

II. Modo vero suppuratio incepta sit, ipsam accelerari oportebit, topicorum maturantium applicatione, qualia sunt, 1. Cataplasmata ex pulpa confecta plantarum emollientium, uti malva, bismalva, acetosa, branc-ursina, radix liliorum sub cinere excocta, quibus addi poterit oleum liliorum, aut basilicum.

2. Interdum cum fructu adhibentur cœpæ, sive scillæ aqua excoctæ & in pulmentum redactæ, vetus fermentum, pultaque panis.

3. Plerumque, postquam herbæ emollientes sub cinere excoctæ fuerint, teruntur, & trans cribrum feruntur: hæc basis est omnium cataplasmatum maturantium; additur vero pro libito oleum liliorum, dyachilum solutum, vetus fermentum &c. ex quibus massa subigitur.

4. Si abscessus acuminari incipiat, apex obducitur pulvino basilico imbuto, tumoris reliquum proposito cataplasmate cooperiendo.

III. Hac methodo suppuratio producitur, ideoque cum perfecta sit, sequentes indicationes absolvi debebunt; 1. abscessus jam suppuratus cultro, sive caustico lapide erit aperiendus: prima methodus convenit, cum abscessus superficialis sit, ut simplex incisio pandat viam; at causticum magis valet, cum abscessus profundus sit, unica ratio, per quam intimius tumorem perscrutabimur. 2. quocumque modo aperitio fiat, pars semper magis inclinata est incidenda, videlicet inferna, ut pus facilius erumpat; qua de causa ratio habenda erit positui, quem æger in curationis decursu servare debebit; hæc lex unam tantum exceptionem admittit, nempe cum abscessus se offerat in aliqua parte minus declivi; in hoc casu plerumque incisio est instituenda, ubi

ubi materies se offert, inferne novam aperturam interdum instituendo, si opus requirat.

3. Quando aperitio perfecta est, pus evacuari debet leniter comprimendo circumferentiam abscessus, postquam cavitas filis siccis repletur, non admodum comprimendo, sed omnia pulvinis ex filamentis confectis, & idoneis compressis obtegendo, hoc est quod appellant *primum apparatum*.

4. Viginti quatuor horis transactis sensim, sensimque filamenta removentur, quod plerumque in abscessu benevertit, & postquam ulcus leniter repurgatum fuerit, turundæ applicantur digestivo onustæ, atque pulvinis eodem remedio imbutis apparatus cooperitur, & super ipsum idoneæ imponuntur compressæ.

5. Digestivum, quod adhibetur pro priori apparatu, confectum est ex terebinthina, & luteo ovorum; cui substituitur interdum basilicum, atque interdum basilico additur oleum Hyperici, vel tinctura Myrrhæ, & Aloes; vel Myrrha ipsa pulverizata, cum abscessus salitus valde, & fœtens observetur; quin immo quandoque unguentum ęgyptiacum addiderunt; turundæ etiam aqua vitæ canphorata madefieri possunt, ante quam digestivo onerentur, dum fundus ulceris pallidus appareat; ideoque diversimode modificantur remedia, prout occasio postulaverit.

6. Paucos post dies ulcus detersum conspici solet, videlicet in omni sui ambitu rubet, & tunc unguentum Arcei addi solet, ne caro cito nimis crescat, aut spongiosa fiat; interdum etiam balsamum Arcei solummodo est adhibendum, additis etiam paucis guttis balsami viridis, circa quod carnis incremento ratio habenda est;

7. Cum ulcus carne repletum sit, ut margines partium vicinarum adæquet, cicatrizatio sedulo curari debebit, hac de causa pulvere inspergitur terebinthinæ aqua excoctæ, & pulvini sicci, aut filamenta applicantur; si carnes limites suos excedant, alumine insperguntur, aut leviter lapide infernali lambuntur.

Quæstiones, atque Responsiones.

I. Quonam casu sit aperiendus abscessus ante perfectam suppurationem?

1. Quando suspicemur tumorem posse aliquam cavitatem pervadere, ut in abdomine, thorace, aut in ano.

2. Cum pus, ossa, tendines, aut articulos erodere possit.

3. Quando abscessus periculosum aliquod symptoma minetur, ut parotides, febres malignas, intercipiendo sanguinem a capite reducem.

II. Quandonam sit expectanda perfecta suppuratio?

1. In phlegmonibus glandularum, quæ non aperiuntur, nisi glandulæ putridæ sint.

2. In phlegmonibus callosis in scirrhum vergentibus, quæ nunquam aperiendæ sunt, nisi callositates a pure resolutæ fuerint.

3. In tumoribus cisticis, in quibus expectanda est, cistis putrescentia, ut facile abradatur, & perfectam valetudinem sinat.

4. Animadvertendum tamen est in his casibus omnibus, abscessus esse aperiendos ante perfectam etiam suppurationem, modo cunctatio periculum importet.

III. Sunt ne aperiendæ omnes cavitates, sive sinus abscessuum?

Hæc lex generalis est, quæ tantum abrogatur subsequentibus casibus.

1. In sinubus cutaneis, ubi pus facile exprimitur.

2. In

2. In sinubus declivibus, ubi pus sponte defluit.
3. In sinubus, ubi facilius est inferne novum aditum puri pandere.
4. In sinubus nimis profundis, in quibus grandiores incisiones fieri deberent. Nihilominus, in iisdem casibus, sedulo incedendum est; nam tandem novos hiatus patefacere necessum est, ab initio morbi sæpe neglectos.

IV. Tandem suntne omnes, & semper abscessus aperiendi?

Minime quidem: in abscessibus enim levioribus, & cutaneis faciei, & colli, in infantibus potissimum, vitari debent hujusmodi incisiones, attendendo spontaneum puris exitum. Hac methodo levigata, & vix conspicua superest cicatrix; sed in abscessibus, ferro, aut igne dissectis, imperfecta semper, & scabra relinquitur partium coalescentia.

CAPUT TERTIUM.

De Gangræna, aut de Sphacelo inflammationem subsequentibus.

Descriptio.

PRo *emortuis* habentur partes humani corporis, quæ calore, sensu, elaterio, atque robore carent, atque lividum, sive nigerrimum colorem præseferunt: hic status, *mortificatio* appellatur, quæ tamen in incipientem, & confirmatam distinguitur.

Dum proprietates nuper allatæ tantum valde labefactantur, & partis color in fuscum, nigricantem mutatur, tum exiguæ bullæ in superficie apparent, rubro liquore, livido, aut nigerrimo turgidæ; hic status est mortificationis incipientis quam Græci appellarunt γάγγραινα.

Verum si in morbi progressu, pars affecta omnem calorem, sensum, atque elasticitatem amittat, pressioni cedat, restitui nequeat, nigra appareat, in frustula decidat (præsertim cum morbus humidæ indolis sit, nam si siccus fuerit, pars magis induruerit) in utroque casu hic status est mortificationis completæ, quam Greci Σφακέλος dixerunt. Romani utrumque retinuerunt, sed uno nomine utramque mortificationis speciem *syderationem* nuncupaverunt. Galli græca nomina amplexi sunt, sed illud gangrœnæ sæpius.

Causæ.

Ut intelligamus, quid sit partis alicujus mors, vitæ ejusdem natura erit perpendenda. *Rectum enim est index sui, & obliqui.*

Vita enim consistit in successiva systole, atque diastole arteriarum, fibrarumque ordinata oscillatione, ut sanguis, lympha, & ipsa recrementa proprium circulum servare valeant; hi motus sensibiliores sunt in arteriis, sed similes extant in membranis, quæ partes componunt, & in fibris, quæ membranas faciunt; ex quo consequitur, mortem alicujus partis &c. cessationem esse systoles, atque diastoles, fibrarumque oscillationis.

Ita gangrœna a levioribus causis procedit, quæ infirmant hujusmodi oscillationes; sphacelus vero a causis validioribus originem ducit, quæ oscillationes penitus tollunt.

Causæ Gangrænæ.

Oscillationes infirmantur, atque labefactantur duplici generaliori de causa; videlicet, 1. omne quod vasorum, fibrarumque elaterium nimis intendat, ut oscillationibus eorum opponatur, 2. omne quod elaterium hujusmodi nimis relaxet, ut vasa, atque fibræ proprios motus amplius exequi nequeant.

I. Elaterium vasorum fibrarumque nimis intenditur:

1. Continua mora sanguinis in phlegmone, cujus resolutio impossibilis sit, præsertim si loco emollientium remediorum, adstringentia, repellentia, aut resolventia prępostere adhibita fuerint.

2. Sanguinis mora a vinculo aut pressione constanti nata, quod cum præcedenti convenit.

3. Frigore externo, quod in eadem parte humores figit, & hac de causa volumine auget; animadvertendum est in hoc casu, non esse partem congelatam igne calefaciendam, ne tali pacto humores rarefiant, atque morbus crescat, sed potius erit pars leviter nive, aut glacie confricanda.

II. Ad alteram causam quod attinet gangrœnæ, qua vasorum fibrarumque elaterium imminuitur, quod fit,

1. A serositate, quæ in hydrope, anasarca, & œdemate partes invadit.

2. A consumptione, & languore partium in senibus, aut a diuturnis morbis labefactatis.

3. a Paralysi, quæ jam diu partem aliquam afficit.

Causæ Sphaceli.

Oscillationes vasorum, atque fibrarum, quæ vitam partium constituunt, duplici potissimum de causa supprimuntur.

I. A causis, quæ gangrœnam faciunt, nuper allatis, modo augeantur & diu persistant, ut gangrœna tandem in sphacelum desinat.

II. A solutione fibrarum, sive vasorum partis affectæ, quæ erit effectus,

1. Nimię plenitudinis, & distensionis vasorum, per quam disrumpuntur.

2. Corrosionis ab aliquo acerrimo humore ortæ, qui vasa, fibrasque rodet, ut serositas salina in hydrope, aut œdemate; pus acre, in abscessibus, aut ulceribus; humor scorbuticus in scorbuto; sanguis putrescens in ecchymosi; venenum ab animantium venenatorum ictibus intromissum.

3. Actionis ignis in applicatione cauterii actualis, aut in combustionibus.

4. Actionis remediorum cathęreticorum, ut in applicatione cauterii potentialis.

5. Tandem in contusionibus grandioribus, quæ pęne universalem excoriationem inducunt.

Symptomata.

1. In Gangręna pars frigidior evadit, quia sanguis pęne omnem circulationem amittit.

2. Mollis fit, quia elaterium fibrarum imminuitur.

3. Diutius pressionis foveam servat, quia labefactatum est partis elaterium.

4. Fusca, livida, aut nigra apparet pro varia sanguinis effluentis qualitate, aut gradu alterationis, quem tunc adipiscitur.

5. Sensum pęne omnem amittit, quia filamenta nervosa, ibi distributa, nimis comprimuntur, atque relaxantur.

Bullis cooperitur serositate superiùs descripta turgidis, quæ serositas a sanguine exprimitur, & paulatim cutis texturam pervadendo ab epidermide, cujus fabrica densior est, impeditur, ne ultra procedat; ipsam tamen sublevat, ita ut bullas producat plus, minusve coloratas pro quantitate sanguinis, quæ secum tulerat.

7. Tandem superficies abraditur, quia affluens serositas ipsam a cute separat. Hujusmodi phenomena omnia in Sphacelo magis, quam in gangrœna conspicua fiunt, persistentiæ ergo causarum producentium. In sphacelo enim calor, tensio, sensus omnino pereunt, & pars ipsa affecta, in putrim, aut frustula concidit, modo non exsiccetur, aut cornea fiat, quod in gangrœna scorbutica evenit, de qua infra locuturi erimus.

Diagnosis.

Maxime ad prognosticum atque curationem refert, non solum distinguere gangrœnam ab ipso sphacelo; verum etiam recognoscere damna, quæ hujusmodi morbi inferunt, atque gradus diversos horum morborum detegere.

I. Sequentia signa gangrenam prænunciant.

1. Cognitio, atque præsentia causarum, quæ ipsam possunt inducere, qua de causa, morbi theoriam nosse oportet.

2. Initium mollitiei, & imminutio sensibilitatis, præsertim cum hæc eveniant in phlegmone, in qua tensio, atque sensus conspicujores esse debent.

3. Imminutio, aut mutatio naturalis coloris affectæ partis.

II. Gangrænam præsentem indicant,

1. Partis affectæ frigus.

2. Amissio sensus.

3. Mollities.

4. Livor, atque nigredo.

5. Tandem bullæ, quæ producuntur, aut facilitas, qua epidermis decidit.

III. Instantem sphacelum prænunciant.

1. Præsentia, atque persistentia gangrenæ, quæ ipsum semper præcedit.

2. Augmentum symptomatum, quæ gangrenam respiciunt.

IV. Sphacelum confirmant,

1. Totalis sensus amissio.

2. Partis frigus, circa quod probe distingui debet calor naturalis ab eo, quem propinquæ partes præbere possunt.

3. Absoluta nigredo.

4. Cutis decidentia.

5. Tandem fætor, qui his phenomenis additur, in gangrena humida potissimum.

Prognosis.

Gangræna sphacelum producit, & hic mortem, modo prompte remediis non occurramus, quare prognosis horum morborum semper teterrima est.

1. Gangrena partium internarum, atque sphacelus morbi letales sunt;

2. Idem asseri potest de gangrœna, atque sphacelo partium tendinearum externarum, quæ scindi nequeunt, & grandiores progressus faciunt.

3. Hi morbi vero pene semper mortales sunt in senibus, hydropicis, atque pthisicis &c.

4. Syn-

4. Syncopes, singultus, & rigores, in his morbis, mortem indicant.

5. Gangręna, quæ a causa interna procedit, magis periculosa est, & curatu difficilior, quam si ab externa caussa originem ducat.

6. Plerumque enim non convalescit, nisi gangrœna, quæ a causa externa accidentali procedit, quæque juvenem subjectum, sanum, & bene constitutum infestat, atque partem aggreditur, quæ facile scindi possit, vel saltem pro opere abradi, aut torreri absque gravi incommodo possit.

Curatio.

Modo minimum adsit gangrenæ indicium, modo etiam antequam manifeste se offerat, ipsam suspicari liceat, erit tunc, tum externis, cum internis remediis præoccupanda.

I. Remedia interna hujusmodi sunt.

1. Iteratæ venæ sectiones, si excessus inflammationis gangrenam producat.

2. Remedia cordialia, potabilia, ut lilium, sal volatile viperarum, pulvis earumdem, diascordium, theriaca, mithridatum, atque aqua Theriacalis.

3. Potiones diaphoreticæ, sive decoctiones foliorum scabiosæ, scordii, cardii bened: & radicum scorzoneræ, vincetoxici, & angelicæ.

4. Purgantia, & emetica ipsa si gangrænam febris continua cum rigore, & exacerbatione adoriatur, verum si gangrenæ detrimentum sub exacerbationibus increscere, videatur.

Quod si gangrena ab alia causa, ab inflammatione prorsus diversa, originem ducat, phlebotomia, atque purgatio minus conveniunt, & potiones, sive cordiales ptisanæ tantum locum habent, quæ quarta quoque hora repeti debent.

Scoti Medici in actis societatis Edemburgensis, & Angli in Transactionibus Philosophicis chinæchinæ usum magnopere commendarunt, sive in decoctum, sive in substantiam, in gangrænosis effectibus uti potissimum remedium tum ad morbum præoccupandum, tum ad ipsum sistendum, ipso & nos in Gallia usi sumus, sed effectus promissis non responderunt; ab ipso potius aliquam utilitatem derivare observavimus, cum gangrena originem agnoscebat a febre continua remittenti tertiana, vel duplo tertiana, ideoque ex genere intermittentium, quæ postulant chinamchinam.

In hoc casu, usus reiteratus corticis peruviani febris accessus sistendo gangrenæ progressus parum retardat; at in aliis casibus, in quibus gangrena pertinax est, & febrem potius intendit, hoc remedium supervacaneum est, nihilo tamen minus, cum adhuc de chinæchinæ utilitate in omni gangrenæ specie multum sibi suadeant Medici; verum cum hujusmodi pharmacum nullum contrarium effectum præstare valeat, ideo in omni gangrenoso affectu adhiberi poterit, ne hoc remedium neglexisse accusemur.

II. Remedia externa, quæ in gangrena adhiberi possunt, innumera sunt, infra proponenda, videlicet:

1. Scarificationes partis gangrenatæ, vel quæ a gangrena affici possunt, ut sanguis effluat, & serositas infecta, ibi affluens, erumpat.

Nonnulli tamen pavide illos præscribunt in senibus paralyticis, aut nimis consumptis, ne valde labefactentur, sed hoc perperam adducitur; nam sat erit scarificationes diligenti methodo instituere.

Plus, minusve carnis alte conscinditur pro diverso morbi gradu, sed plerumque progredi poterit, usque dum æger sentiat, & sanguis erumpens rutilus appareat.

2. Fomenta in parte affecta prosunt, post scarificationem, aquæ vitæ simplicis, vulnerariæ, vitæ canphoratæ, sale ammoniaco etiam actuatæ, quibus adduntur in præcipitibus casibus theriaca, diascordium, tinctura myrrhæ, & unguentum ægyptiacum.

3. Lintea iisdem liquoribus tepentibus madida partibus applicata affectis atque propinquis, concinno loco, & modo ægrotum collocando.

4. Si animadvertatur, gangrenam adhuc progredi, a scarificationibus erit desistendum, præsertim, ubi partes magis correptæ sunt, atque applicabuntur pulvini, pulvere lapidis cathæretici onusti, aut solutione ejusdem lapidis imbuti; vel, quod efficacius est, solutione mercurii per aquam fortem confecta saturi.

5. Si hac methodo gangrenæ progressus sisti valeat, vel mortua portio a viva tandem separetur, quod tamen sperandum esset, modo suppuratio incipiat, morbus digerentibus erit pertractandus, in quibus oleum hyperici, tinctura myrrhæ, aloes, aut evphorbii permiscentur. Poterit etiam si ulcus valde fetidum sit, balsamum fuscum addi: de reliquo eadem fomenta, cum aqua vitæ canphorata, sale ammoniaco &c. continenter applicabuntur.

6. Quando Eschara decisa fuerit, ulcusque detersum æger, periculo vacat. Reliquum est, quod morbus obvia ratione pertractetur cum balsamo Arcei, aut viridi.

7. Nonnulli Chirurgi, etiam in instanti gangrena cataplasmata adhibent e stercore vaccino, fuligine, sale ammoniaco, vel succo scordii confecta; at hujusmodi consuetudo, olim obvia, nunc obsolevit.

8. Neque adstringentia circa partem affectam applicita convenire videntur, ut boli, terræ sigillatæ, & albumina ovorum &c.

9. Intus etiam exhibent decoctionem chinæ radicis, aut guajaci, quæ in gangrænis tantum locum habet, quæ oedemata subsequuntur. In iisdem casibus cum fructu turundæ adhibentur aqua secunda calcis, anatica parte aquæ vitæ camphoratæ consociata, imbutæ.

III. In sphacelo citius, quam fieri poterit, erit pars affecta ferro scindenda, quod duplici ratione obtinebitur.

1. per amputationem, si sphacelus ossa pervadat, aut tendines, vel ita crassitudinem partis affectæ undique aggrediatur, ut tuto amputatio institui possit, absquequo ullæ sphaceli reliquiæ supersint. Tali pacto pedum digiti, vel manus, secantur superiores, vel inferiores extremitates, præputium, mentula, testes, nares, atque aures.

2. Per specialem abrasionem, in omnibus casibus, in quibus pars affecta amputari nequeat, vel gangrena nondum ad ossa pertingat.

3. Hæc specialis abrasio duplici methodo instituitur.

Si sphacelus profunde incedat, forcipibus ad vivam carnem usque rescinditur; postquam remedia escharotica applicantur, qualia sunt cauterium actuale, plus, minusve calidum, varia denique cathæretica, ut lapis causticus, solutio mercurii cum spiritu nitri pura, vel dulcificata.

Si sphacelus vero superficialis sit, supervacaneum erit forcipes adhibere, scarificationes sufficient, & escharoticorum applicatio.

IV. Cum primo conspiciatur linea quædam divisionis intra vivam, & mortuam carnem, quod recognoscitur ab exigua intermedia rubedine, tum a lineola quadam elevationis, quæ hunc ruborem subsequitur, ac proinde a pauca scatenti humiditate, sperare licebit optimum morbi eventum, tunc escharo-

charotica suspendi poterunt, & solo spiritu vini camphorato, & sale ammoniaci sat erit partem fovere. Eschara tandem semel decisa nil aliud superest quam ulceris obvia curatio.

V. Animadvertendum est, in sphacelo morbum triplici ratione extendi: in membrana adiposa subtus cutin, in musculorum interstitiis, vel circa ampliora vasa, atque tendines; quare externam cutis faciem considerare, non sufficiet, cum ibi sanitas appareat; virus tamen intus *fuse, lateque reptet.*

CAPUT QUARTUM.

De Gangrœna sicca, aut scorbutica.

Descriptio.

GAngrœna sicca, aut scorbutica est ejusdem naturæ ac Gangrœna, de qua nunc locuti sumus; differt tamen ab hac,

1. Quod absque causa manifesta adveniat: 2. quod nullam, aut fere nullam humiditatem gignat, ex quo gangrœna sicca appellatur; 3. quod ad vasa protendatur, absque quo cutin vitiet. 4. tandem quod lentius progrediatur.

Causæ.

Ex observationibus constat, hanc gangrœnam ex tribus causis potissimum oriri: 1. a sanguine acri, atque salibus perfuso; 2. a sanguine sicco; 3. a sanguine, qui tarde circulat. Cum autem tres hujusmodi causæ semper etiam in scorbuto adinveniantur, hinc in hoc morbo obvia est, & hac de causa gangręna scorbutica appellatur.

Ex anteactis consequens est, hanc gangręnam illos plerumque aggredi,

1. Qui famem patiuntur, in quibus sanguis novo chylo frustratus acer & & exsiccus paulatim evadit. Hac de causa tot pereunt homines tempore inopis annonæ.

2. Qui impuris alimentis vescuntur, ut pariter evenit annonæ caritate, longis obsidionibus, maritimis itineribus; vel in iis casibus, in quibus propter aeris intemperiem, semina triticea pravam affectionem suscipiunt; vel illud tritici impuri genus adhibetur, quod Galli *cornu* aut *Ergot* appellant.

3. Qui pauperem vitam ducunt, vel sordidi, aut captivi sunt; quique præter deteriora alimenta labores, pœnasque sustinent.

4. Tandem & ipsi, qui inter epulas vivunt, & minutalibus delectantur acribus, & calefacientibus nimis; præsertim si senectute instante, fastidio, vel morbo quodam incipiant laborare.

Symptomata.

1. In iis, qui hoc morbo facile corripiuntur, sanguis segniter procedit, ideoque in partibus a corde magis dissitis subsidit, præsertim in extremis artuum inferiorum, qua de causa hujusmodi gangręna, plerumque pedum digitos primum infestat.

2. Sanguis enim per ampliora vasa lente circumactus finit inspissationem paucæ serositatis, qua oneratur, quæ proinde acris fit, & cellularem con-

textum grandiora vasa circumvestientem rodit, ibique gangrenam inducit; quæ circa longitudinem horum vasorum reptat, absquequo superposita cutis pervertatur.

3. Cum sanguis in hoc morbo arescat, parum idcirco serositatis suppeditat, quæ gangrenatas partes madefacere valeat; quare hujusmodi gangrena sicca est, ipsaque parum, vel nihil humiditatis fundit.

4. Ex eo pariter procedit, quod hæc gangrena fere nullum fœtorem emittat, vel si quem, minus cadavericum, quam vulgaris gangrena.

5. Ex eo denique derivat, quod cum sicca sit, segnius se extendat, difficiliusque in vicinas partes progrediatur.

6. Haud infrequenter evenit, quod hujusmodi gangrena semel, ubi apparuerit, oppugnata novam alibi sibi pandat viam, quia eadem in sanguine causa subsistit, ut vulgus ipsam in sanguine latitare dicat.

7. Hæc gangrena præsertim in musculorum intercapedinibus locatur, vel circa tendines, sed potissimum ad vasorum sanguineorum longitudinem sedem ponit.

Diagnosis.

I. Hanc adesse gangrenam suspicabimur, toties quoties annonæ, aut defectus alimentorum adsit; vel hominum magnus numerus impuris alimentis vescantur; vel cum optime alti homines absque causa manifesta languore corripiantur.

II. Certiores facti erimus de gangrenæ existentia, quotiescumque in casibus superius enunciatis infartus, aut gravitas in affectis partibus superveniat, vel quod omne dubium tollit, cum nigredo, vel aliqua sensus abolitio digitos pedum, manuumque infestet, vel crurum pars aliqua livida fiat.

III. Sedulo tamen distingui debent hujusmodi gangrenatæ partes a maculis simpliciter scorbuticis, quæ cruribus, in scorbuto confirmato, superveniunt, in quibus sensus nondum penitus obliteratus fuit: quamvis tamen hujusmodi scorbuticæ maculæ, plerumque tractu temporis in gangrenas abeant.

Prognosis.

1. Gangrena sicca obvia periculosior est, quia a causa interna procedit, sanguinem infestante quæ difficillime corrigi potest: quare ipsa plerumque letalis est.

2. Hæc gangrena pariter valde periculosa est, quia majorem habet amplitudinem, quam oculis subjiciat: quare frequenter decipimur in amputationibus, quæ arctius interdum instituuntur, quam fieri deberent; ideoque pluries opus reiterari necessum est.

3. Ultimum est, quod epidemica sit hujusmodi gangrena, ut attactu, vel instrumentorum usu facile propagetur: idcirco Chirurgi caute incedere debent, cum ab hujus morbi pertractatione ad alios ægros curandos iisdem adhibitis instrumentis accedunt.

Curatio.

In hac Gangrenæ specie æque ac in antecedenti duplex curandi ratio adhibetur: interna una, altera externa.

I. Curatio interna postulat

1. Phlebotomiam, si febris adsit, aut inflammationis indicium, quod pariter

ter in reliquis casibus opportunum erit, si ægri pulsus permittant; quamvis venæ sectiones minus frequentes, aut uberrimæ esse debeant; ubi febris, & inflammatio penitus absint.

2. Pro corrigendo sanguinis vitio postea conveniunt mitiora vulneraria, & antiscorbutica, ut decoctiones cochleariæ, nasturtij aquatici, & becabungæ; infusiones tenuiores, vulnerariæ Elvetiæ, veronicæ, virgeaureæ, centaureæ &c. decocta foliorum scabiosæ, cardi bened. aut bellidis &c. quæ quarta quoque hora propinantur.

3. Sanguinis spissitudinem, ejusdemque segnitiem tollunt cordialia sub forma boli, aut potionis sumpta, quæ conflantur ex aquis distillatis cordialibus, diaphoretico minerali, pulvere viperarum, sale volatili ejusdem reptilis, Bezoar animale, aut minerale, theriaca, diascordio, theriaca cælesti &c.

4. His potionibus lilium addunt a guttis 20. ad guttas 40. 50. & ultra si opus requirat. Interdum etiam guttæ *Generalis* adhibentur, quæ nil aliud sunt, quam aquæ fortis species dulcificatæ, quæ tamen pulsus efficaciter suscitare valet; possunt etiam ipsæ cochleatim exhiberi pauco vino ibero remixtæ. Obvia dosis est a guttis 8. ad 20. Tandem in hac gangrænæ specie utiliter usuvenit decoctio viperina, & ipsa vipera excocta comedenda exhibetur.

5. Ut ægris hujusmodi consumptis analepticam nutritionem exhibeamus, optime conveniunt juscula carnium gelatinosa, lutea ovorum, dulciaria biscocta, vinum Iberum, aut Burgundiæ cum sacchara, & pauco cinnamomo, cremores etiam oryzarum, aut similia. Convenit pariter identidem laxantibus primas vias expiare, quæ bilem expellant, modo febris maligna morbum non comitetur, in quo casu emetica potiora erunt.

II. Quo ad externam curationem attinet,

1. Eo collineat, ut pluries quotidie partes affectas efficaciori decoctione plantarum aromaticarum madefaciamus, cui additur vel vinum album, vel parum aquæ vitæ camphoratæ.

2. Quando partes affectæ balneo non sunt immersæ, sunt cooperiendæ linteis, aqua vita camphorata imbutis, & sale ammoniaco, quibus liquoribus interdum eadem lintea madefiunt.

3. Juvat vero easdem partes ter, quaterve blande fricare, donec rubescant, & sanguinis circulus celerior fiat. Externum frigus idcirco penitus vitari debebit, quod motum sanguinis retardat.

4. Tandem si hujusmodi cautiones inutiles sint, & gangrena aperte se declaret, amputatio erit instituenda juxta artis leges, modo circumstantiæ permittant; vel si fieri poterit, morbi progressus sistendus remediis superius allatis.

CAPUT QUINTUM.

De Furunculo sive de Clavo.

Descriptio.

Furunculus sive clavus est tumor durus, rotundus, tuberculosus, acuminatus, modicæ magnitudinis, quem comitantur calor, rubor, dolor, præsertim cum suppuratio fiat; uno verbo: tumor revera est phlegmonosus, sive inflammatorius.

Quatuor stadia furunculi distingui debent.

1. Initium: cum sub cute exiguus tuberculus animadvertitur cum modico pruritu, & nonnullis identidem lancinationibus.

2. Augmentum: in quo tuberculus indurescit, atque intumescit, acuminatusque apparet; verum calor, dolor, atque rubor una augentur.

3. Suppuratio: in qua omnia supradicta phenomena altiorem gradum attingunt; dolor, calor, atque rubor cum maxima tumoris elevatione sensibiliores fiunt.

4. Puris effusio: tunc enim parum saniei primum erumpit; verum materies quædam viscosa; tandem materies spissa, & alba, quam Gallis *bourbillon*; post hoc ulcus sponte cicatrizatur.

5. Hic tumor apud Græcos Δοθιὴν appellatur, apud Romanos *furunculus*, a Gallis *fouroncle*, aut *clou*, a nobis vero italis *Foruncolo* nuncupatur.

Differentiæ.

I. Furunculus vel magnus est, vel minimus; grandiores raro excedunt magnitudinem ovi columbini, at exigui interdum non superant ciceris granum; hujusmodi sunt qui faciem deturpant, *vari* dicti.

II. Furunculus, vel *acuminatus* est, vel *complanatus*; nonnulli enim supra cutem porriguntur, ut sensibilem aciem offerant; alii plani ita sunt, & compressi, ut vix conspiciantur.

III. Furunculi vel *solitarii* sunt, vel *conglomerati*: quandoque furunculus unicus est, & *solitarius* appellatur; plerumque tamen plures una congeruntur, & tunc congeries, sive *rosa* furunculorum nuncupatur.

IV. Furunculus modo *benignus*, modo *malignus* observatur pro varia symptomatum indole, quibus stipatur.

V. Furunculus modo *siccus*, modo *humidus* est, prout serius, vel citius suppuratio evenit, vel spissa erumpens materies, sicca magis, vel humida observatur.

VI. Tandem furunculus vel *simplex* est, vel *carbunculosus*; de quo postremo in Capitulo de Anthrace locuturi erimus.

Sedes Morbi.

Furunculus cuti tantum incidit, ut facile undique circumscribatur, vel in partibus cuti propinquis sedem ponit.

Furunculus rotundus est, sphærica cavitate donatus, & ex unica parte plerumque disrumpitur; tandem semper puris densioris massam continet, plus, minusve copiosam, quæ vermis speciem refert; ergo credendum erit, partem cutis affectam, glandulam esse, quæ sphæricam cavitatem habeat ad humorem viscosum secernendum a natura fabrefactam ut furunculi generationi faveat.

Omnes hujusmodi qualitates in glandulis sebaceis habentur, quibus cutis pluribus in locis est intersperfa, atque perfossa; ergo concludendum erit, glandulas hujusmodi sedem revera furunculo præstare.

Ex his consequens est; 1. hunc morbum ad cutin pertinere, quia glandulæ sebaceæ, quæ furunculum faciunt, in cutis spissitudine collocantur.

2. Haud infrequenter sub axillis reperiri, vel circa anum, partes genitales, collum &c. quia glandulæ sebaceæ in his locis confertiores sunt.

Causæ.

Experientia didicimus tres causas dari furunculi efficientes.

1. Spis-

1. Spissitudo humoris sebacei, nata a labore, studio, prava nutritione; aut extraneo fermento, quo sanguis inficitur.

2. Acrimonia ejusdem humoris, quæ consequitur acrimoniam totius massæ sanguineæ nata ab admixtione acrium quorumdam humorum: quales sunt *bilis*, in ictericis, aut impurus *chylus* in male alitis, vel vitio extranei fermenti deturpatus.

3. Spissitudo, & acrimonia hujus humoris, quæ una simul agant ex connubio utriusque causæ, cui addi poterit sordes, quæ obstruit, atque irritat glandularum sebacearum excretorios ductus, ut humor sebaceus ibi subsistat; experientia enim innotuit, pus a furunculo erumpens, alios furunculos in propinquis partibus parere.

Symptomata.

1. Humor sebaceus in aliqua glandula sebacea detentus facile inflatur, & cavitatem extendit, ex quo procedit tuberculus lancinans initio indicatus.

2. Tumor glandularum sebacearum progreditur, & vasa sanguinea circumposita ita comprimuntur, atque circulatio retardatur, ut calor, rubor, & dolor insurgant, sive melius inflammatio se offerat.

3. Calor, quem inflammatio circa obstructas glandulas gignit, est vis, per quam arteriæ continenter pulsant, & suppurationem materiæ sebaceæ promovent; at, cum hæc materies valde viscosa sit, suppuratio idcirco non fit, nisi lento pede.

4. Nihilo tamen minus motus suppurationis materiem rarefaciendo, glandulam complectentem distendit, & auget vicinarum partium inflammationem, ex quo procedunt doloris, & caloris augmentum, perterebrationis sensus, pervigilium, & febris quandoque.

5. Cum habeantur glandulæ sebaceæ aliæ magis profundæ, aliæ valde superficiales; idcirco furunculi modo eminebunt, modo complanabuntur; quod etiam procedere potest a glandularum conformatione, ut magis eleventur, quæ extrinsecus tenuiores sunt, & dilatabiliores: contra vero minus se præbeant, si intus potius tenuiores sint.

6. Quandoque in hoc morbo glandula sebacea tensa magnopere apparet, quando humor contentus, uberrimus sit, vel rarefactus valde suppurationis ergo, & tunc digito prementi in apice præsertim furunculus magis obsistit; interdum vero hujusmodi glandula minus resistit, quia humor minus copiosus, minusque rarefactus existit.

7. Sed apex tandem furunculi sponte aperitur, & guttæ nonnullæ erumpunt humoris saniosi, qui derivat ab admixtione sanguinis cum tumoris ichore; paulo post exit humor viscosus, semis putrefactus, qui a centro ejusdem furunculi venit, qui vermiculare purulentum corpus complectitur; & tandem ipsum pus exit citius, vel segnius, prout materies plus, vel minus humida, vel sicca sit atque furunculi apertura plus, minusve ampla appareat.

8. Semel excreto pure inflammatio evanescit, glandula coarctatur, & ipsius cavitas imminuitur; atque morbus tandem segnius, vel citius finem habet pro vario ejusdem gradu.

9. Quandoque vermiculare illud corpus, ex pure conflatum, durum ita, & siccum est, atque internis glandulæ parietibus adhærens, ut difficillime exeat; quin immo sæpe credimus, furunculum, post materiæ liquidæ exitum convaluisse,

luisse, ut negligamus purulenti vermiculi extractionem; at tunc curatio diuti-na magis, & difficilis evadit, quia semper in furunculi centro superest scirrhosus tuberculus a retento exsiccatoque pure productus, qui tamen sensim, sensimque tractu temporis destruitur, id est, quod appellant *furunculum corneum*.

Explicatio Differentiarum.

1. Magnitudo, sive exiguitas furunculi, à duplici causa dependet; ab ubertate materiæ viscosæ, aut facili glandulæ distensibilitate.

2. Elevatio sive complanatio tumoris a positu procedit ipsius glandulæ, aut a resistentia majori, vel minori partis inferioris ejusdem glandulæ.

3. Numerus furunculorum intensitati respondet stagnantis humoris; plerumque enim conglomerantur furunculi, quia unus propinquas glandulas comprimendo novos infartus, novosque furunculos gignit; verum etiam defluens latex propria acrimonia similem morbum excitare potest,

4. Arescentia, sive mollities corporis illius purulenti, a natura procedit materiæ sebaceæ, prout ipsa magis spissa, densa, aut sicca est: quod respondet sanguinis indoli.

5. Furunculus simplex est, quando materies, quam ipse complectitur, impar fit, apicem corrodere; sed contra carbunculosus appellatur, quando hujusmodi materies acris, & corrosiva ita videatur, ut gangrenam inducat.

Diagnosis.

Furunculi diagnosis circa quatuor sequentia capita versatur.

I. Distingui debet ab aliis morbis nonnullis quos æmulatur,

1. A phlegmone, quod facile obtinetur. Nam tumor furunculi in sola cute residet, & ipse durus resistens, circumscriptus, atque in apicem elevatus est: quod non observatur in simplici phlegmone.

2. A bubone, cum quo, modo grandiores sint furunculi, confundi possunt, modo inguina aut axillas occupent; sed facile distinguuntur ex eo, quod furunculorum tumor cutem tantum afficiat; bubo vero glandulas lymphaticas infestet, quæ profundiores sunt: deinde furunculi mobiles sunt, bubo vero persistens; illi tandem apicem acuminatum ostendunt, hic nullum.

3. Furunculi ab anthrace in hoc discrepant, quod elevati, & prominentes appareant, anthrax non ita; quod duri, & renitentes sint, nihil pene carbunculus; verum aciem ipsi ostendunt, non ita hic, qui tandem plerumque gangrenam comitem habet, quæ nunquam furunculos comitatur, nisi carbunculosi fiant.

II. Variæ furunculorum qualitates probe distingui debent, videlicet eorum magnitudo, aut exiguitas; prominentia, aut complanatio; solitudo, aut congregatio; simplicitas, aut cum anthrace complicatio, quod solo inspectu cognoscitur.

III. Furunculi status tandem perpendi debent.

1. Videlicet si furunculus suppuratus sit, vel non, quod cognoscitur a mollitie, elevatione, & albedine apicis.

2. Si disruptus sit, necne, quod judicatur ab erumpenti latice, cutim deturpante, verum etiam a mollitie, & complanatione grandioris præsertim furunculi, absquequo ulla incisio instituta sit.

3. Si siccus sit, vel humidus, quod apparet a facili, vel difficili separatione vermiculi purulenti.

IV. Tan-

IV. Tandem, quo magis fieri potest, distingui debent causæ antecedentes furunculi; videlicet, neve a spissitudine, aut acrimonia humoris sebacei, vel ab utraque simul causa procedat, quod innotescet a notione diathesis sanguinis ægrotantium; neve ipse effectus sit sorditiei ipsius ægri, quod a vitæ gerendæ methodo cognoscitur.

Prognosis.

I. Celsus optime ait, cum dixit: (a) *in furunculo nullum periculum est, etiamsi nulla curatio adhibeatur*; revera furunculi plerumque sponte convalescunt.

II. Nonnulli tamen habentur, qui tardam judicationem habent, cum segniter in suppurationem vergant, sicci appareant, & materies sebacea difficilius exeat; nonnulli etiam periculosi sunt, qui sub cute disrumpuntur, vel carbunculosi fiunt; tum ipsi, qui in quibusdam partibus sedem habent, ut circa anum, pudenda, aut axillas, ubi magnus est vasorum & nervorum numerus.

III. Alterum damnum in furunculo derivat a causa producente: ita qui a fomite venereo, aut scorbutico procedunt, simile detrimentum, ac hi morbi afferunt; dantur etiam furunculi a simplici sanguinis acrimonia nati, qui tamen periti medici diligentiam postulant, quando humores valde coinquinati fuerint.

Curatio.

Duplex est in hoc morbo medendi ratio; una communis, in qua furunculus sponte aperitur; altera, in qua cultro aperiri debet.

I. Absque noxa cunctari poterit, modo furunculi simplices sint, prominentes, & in partibus locati magis patentibus, quas lædere nequeant; in hoc casu

1. Sat erit cataplasma applicare ex pulpis plantarum emollientium, cæpis, & oleo liliorum, vetere fermento, basilico &c. conflatum, vel quod magis obvium est, emplastrum diachylum simplex, vel compositum, aut pulmentum panis.

2. Præscribitur refrigerans, & tenuis diæta, ptisanam refrigerantem exhibendo, tum venam, si inflammatio urgeat, incidendo.

3. Nunquam furunculus quamvis patulus exprimi debet, nisi mollis appareat, ac ubi exprimatur, omnis sebacea materies ibi corrupta extrahi debet.

4. Recognoscitur, omnem materiam sebaceam prosiliisse, quando fundus furunculi omnis ruber appareat, simplex pus evomat, atque paulatim occludatur.

5. Semel materie sebacea egressa primis diebus exigua, turunda intromittitur basilico imbuta, modo cavitas ejusdem ingressum sinat: quod fit, ut perfecta evadat suppuratio; brevi tamen desistitur, ut cicatrix perficiatur.

6. Cum nondum exierit sebacea substantia, diutius protrahitur turundæ usus, semel in die chirurgicum laborem reiterando extrinsecus diachyli aut cataplasmatis suppurantis usum continuando, ut facilius latitans materies fundatur.

7. Tandem æger purgatur sub ægritudinis fine, decocta alterantia exhibendo, quæ vitium sanguinis corrigant, quod pro causa remota habebatur.

II. Contra vero cito aperiri debent furunculi, qui anum, vaginam, aut axillas occupant, vel sub cute disrupti sunt; tum ii, qui anthracis indolem induerint, minime a remediis in hoc casu perfectam suppurationem expectando.

1. Ipsi

(a) De re medica *lib.* 4. *cap.* 28. *n.* 8.

1. Ipsi, si lubeat caustico lapide, scindi possunt, apici applicato, sed brevius phlebotomi unica incisione exigui, vel pluribus incisionibus grandiores aperiuntur.

2. Insuper, siccis filamentis pars oneratur, deinde simplici basilico oblinitur, vel ipso aliquibus guttis tincturæ myrrhæ imbuto, donec supra hunc apparatum remedia suppurantia veniant applicanda.

3. In ulceris pertractatione eadem methodus protrahitur, donec omnis sebacea materies separata sit, & ulcus detersum, coccineumque appareat.

4. Si fragmenta nonnulla separari renuant, vel callositates circa ulceris margines producantur, pulvinus applicatur, unguento bruno imbutus, vel pulvis cathereticus inspergitur; quinimo si opus sit, parum lapidis caustici applicatur.

5. Tandem post ulceris detersionem, & purulentæ materiæ exitum, ubi margines complanentur, & callositates absint, reliquum est vulgaris ulceris more, morbum pertractare, videlicet cum balsamo Arcei, & sub fine, si opus sit, cum viridi unguento.

6. Uno eodemque tempore convenient interna remedia ad corrigendum sanguinis vitium, quod furunculum generaverat, talia sunt decocta ex cancris fluviatilibus, cum cherophillo, nasturtio, & cochlearia parata, martialia, aquæ minerales, balnea dulcia, lac, serum, jus viperatum &c. at si sanguis gallica, aut scorbutica lue inquinetur, ipsi medendum erit validioribus, & specificis remediis.

CAPUT SEXTUM.

De Hordeolo.

Descriptio.

I. INterdum circa palpebrarum margines, prope cilias exiguum tumorem oriri videbis, hordeacei grani magnitudine, qui tactui resistens, acuminatus, ruber, calidus, dolens apparet, uno verbo phlegmonosus conspicitur.

II. Cum hujusmodi tumor exiguus valde sit, vix de se patientem admonere valet; at si grandior fiat, præter dolorem sibi proprium, tensionem, ruborem, cruciatum, atque conspicuam intumescentiam gignit, quæ palpebræ motum non parum infirmant, præsertim in parte suprema, ubi grandiores fiunt motus, & continuati pro *nictatione*.

III. Apex hujus tumoris cito albescit, videlicet suppurat, & prout suppuratio progreditur, tumor albidior, molliorque evadit.

IV. Tandem ipse disrumpitur, & guttula puris exit cum purulento vermiculo plerumque vix distinguendo; puris eruptio acceleratur, partem leniter premendo, postquamquod tumor coarctatur, & morbus evanescit.

V. Græci hunc morbum κριθὴ appellavere, quod *granum hordei*, significat, hocque magnitudinis, & similitudinis ergo. Celsus, qui de hoc morbo locutus est, nomen græcum servavit (a); sed medici latini, qui, post imperii Romani casum scripserunt, græcum nomen in latinum commutarunt, *hordeum*, sive *hordeolum*, qua de causa ipsum galli *orgeol*, sive *orgeolet* dicunt. Parisienses

(a) De re medica *lib. 6. cap. 7. num. 2. & 3.*

ses vero *orgeul* & *orgeulet*, ex quibus corrupta nomina *orgueil*, *&* *orgueilleux* venerunt.

VI. Interdum in superiori palpebra, procul a limbo exiguus tuberculus gignitur, ciceris magnitudine sub cute positus, qui palpebram extrinsecus obducit, & levigatam membranam, quæ intime ipsam investit.

VII. Hujusmodi tumor, durus est, indolens, scirosus; neque in suppurationem vergit, sed paulatim resolvitur, atque motu communi non solum cum palpebra gaudet, sed proprio etiam intra membranas interdum pervagando.

VIII. A Græcis hic χαλάζιον; a Latinis *Grando* appellatur; a Gallis vero *grele*, quia revera magnitudinem, figuram, & duritiem habet grani grandinis; Medicum nomen abest, nonnulli tamen ipsum hordeolum vocant, vel *hordeolum spurium*, ut ab altero distinguatur. Istorum morborum furunculi species *primus* est, & ad tumores inflammatorios pertinet, *Secundus* scirrhosus est, & ad scirrhos attinet, de quo hic agitur, ne cum priori hujus morbi specie confundatur.

Sedes, & Causæ.

Margines palpebrarum exigua cartilaginea lamina instruuntur in arcum flexa, quæ consistentiam, & elaterium his partibus præbet. Græci ipsam nuncuparunt ταρσος quod nomen anatomici servant; hujusmodi arcus extrinsecus a palpebrarum cute obtegitur, intrinsecus vero ab illa membrana, quæ interiorem faciem cooperit. Juxta limbum externum hujus arcus distribuuntur capsulæ piliferæ quæ ciliis pilos suppeditant; supra vero seriem harum capsularum glandulæ, sive vasa alba collocantur, clausa, propinqua, atque parallela, lineæ magnitudine donata, quæ per distinctos ductus in palpebrarum limbo patescunt circa ciliorum radicem.

Margines palpebrarum obvertendo, horum vasculorum positus conspicitur, & contenti humoris indoles innotescit, demum qua ratione secretio fiat, facile patet, hujusmodi canaliculos ungue, in cadaveribus potissimum, premendo, per innumera foramina exilissima, materies sebacea erumpit, quæ in cochleam contorquetur, qualitas hujus substantiæ nomen sebaceorum vasorum præbuit, quæ vasa eadem sunt sub cute posita, in furunculi descriptione a nobis alibi descripta.

Hic humor sebaceus, qui continenter sed insensibiliter stillat, a lacrymis solutus mucilaginis saponaceæ speciem gignit, quæ in statu naturali palpebrarum margines madefacit. Sed cum hujusmodi humor redundet, acer nimis, aut densus evadat, congeritur circa palpebrarum extrema, ibique induratus humoris glutinosi congestionem producit, quæ *gramia* appellatur.

In his glandulis enim, aut vasis sebaceis nuper descriptis, sedem hordeola ponere debent; ipsa producuntur quotiescumque humor sebaceus in alterutro horum vasorum subsistit, vel pluribus una verosimilius: hic humor in hujusmodi vasis retinetur, quotiescumque orificia obstructa sint, quare quidquid valebit ipsa coarctare, aut occludere, hordeola plus, minusve conspicua producere debet; ideoque variæ possunt causæ morbum parere, quarum præcipue sunt.

1. Inflammatio, sive phlogosis marginum palpebrarum, quæ extremitates canalium sebaceorum premit, aut constringit.

2. Pulveres, quibus oculi insperguntur, aut unguenta, quibus margines palpebrarum in ophthalmia fricantur, qui interdum occludunt vasculorum orificia.

3. Pul-

3. Pulvis idem producit æstivo tempore per aerem volitans, dum oculos ventorum afflatu intrat.

4. Nicotiana, quæ interdum oculos pervadit, atque ipsos irritando, in his canalibus constrictiones inducit.

5. Frigus, ventus, pluvia, atque nix, quæ humorem sebaceum inspissando ejusdem stasim facit.

Quamvis hujusmodi causæ per se valeant hordeola producere; nihilo tamen minus hujusmodi morbus frequentissimus est in iis, qui antecedenter margines palpebrarum rubentes, inflammatas, & ulceratas habuerint; in quibus extremitates canalium sebaceorum constrictæ aut multiplici ratione labefactatæ fuerint; ut in illis, qui ophthalmiis pertinacioribus, aut uberiori gramiæ fuerint obnoxiæ, vel sub variolis palpebræ diu ulceribus deturpatæ fuerint.

Quoad exiguos tumores scirrhosos attinet, qui circa medium palpebrarum superiorum oriuntur, quos Græci vocant *Chalaza* certum est, ipsos ab exiguis glandulis lymphaticis originem ducere, in quibus lympha subsistens indurata est; harum glandularum conspicuus est numerus, ut ubique externarum partium ipsæ se offerant.

Itaque lympha plerumque in his glandulis, nisi duplici de causâ subsidet: altera *generalis*, videlicet nimia spissitudo, ob quam ejusdem circulus retardatur; *peculiaris*, sive localis alia, nempe frigus, cui interdum palpebræ fiunt obnoxiæ a vento, pluvia, aut nive, donec lympha condensata in alterutra harum glandularum retineatur, eoque facilius, quo pro positu frigoris impressioni magis objiciuntur.

Valde probabile est, non solum has causas, sed simplicem ventum, qui oculum feriat, similes tumores parere posse in subjectis male affectis, in quibus haud suspicari licebit universalem lymphæ spissitudinem.

Symptomata.

1. Humor sebaceus in extremitate horum canalium præteritus, cumulatusque exiguum tumorem gignit, levi comitante pruritu, qui brevi augebitur.

2. Cum hic tumor cito ingrandescat, & propinquas venas facile comprimat phlogosim primo, veramque dein inflammationem inducit cum calore, rubore, tensione, atque dolore.

3. Calor inflammationis, pulsusque propinquarum arteriarum, quæ sanguine turgent, cito humorem sebaceum solvunt ibi retentum, qui primo ad aciem tumoris se præbet, apicemque albefacit.

4. Paulo post vel extremitas canalis sebacei dilatatur, vel disrumpitur, & ex tumore unica, vel duplex gutta materiæ adiposæ, viscosæ, purulentæ erumpit, quæ est idem humor sebaceus in pus conversus.

5. Interdum etiam cum hac materie vermiculi purulenti species exit, quando humor sebaceus spissus nimis, vel diu detentus fuerit, ut perfecte solvi nequeat.

6. Cum hæc materies semel exierit dilatata vascula occluduntur & inflammatio evanescit, atque morbus penitus tollitur nulla superstite labe.

7. Quandoque tamen humor sebaceus ita densus est, atque inflammatio levis ita, ut non valeat suppurationem promovere, & tunc hordeolum induresscit, quod ut de furunculo diximus *nothum* appellant.

8. Facile patet, hordeola grandiora, vel exiliora esse debere pro numero vasorum sebaceorum affectorum, aut quantitate congesti humoris sebacei; vero ma-

magis phlegmonosa, minusve pro gradu, aut promptitudine intumescentiæ; tandem plus, minusve in suppurationem converti pro diversa humoris sebacei spissitudine, aut inflammationis magnitudine.

9. Hordeola spuria, sive *chalaza* fixa perstant, ubi ortum habuerint, usque dum glandulæ adhæsiones, in qua producta fuerint, subsistant; At si hujusmodi nexus pro glandulæ augmento disrumpantur, tunc tumores proprio pondere ducti, positum facile mutare possunt.

Diagnosis.

Hi duo morbi facile cognoscuntur, & distinguuntur ex facta descriptione.

Varij hujus morbi status facillime distinguuntur; apparet enim nudis oculis, si hordeolum inflammatum, suppuratum, aut apertum sit; si fixum sit, aut mobile; si denique augeatur, vel imminuatur.

Prognosis.

Uterque morbus periculo vacat; hordeolum plerumque post quindecim dies, aut tres hebdomadas ad summum, ob puris guttæ exitum finem habet; diutius perdurat, si pus densum indurescat; tandem resolvitur simili ratione ac furunculus retrocessus.

Chalazosis vero respectu ejusdem resolutio segnius procedit, quam suppurata, aut patula hordeola, quia materies contenta arctius in glandula coacervatur, sed tandem succedit.

Curatio.

Haud cognoscitur hordeolum modo inflammatio, pruritus, atque dolor ipsum patefaciant. Cum ipsum appareat pluries, oculus tepenti aqua, sive decoctione althææ ablui poterit.

Nullum aliud remedium adhibetur, dummodo inflammatio persistat, sed cum ipsa minuatur, parum diachyli erit apponendum, ut suppuratio promoveatur.

Uno, eodemque tempore palpebræ fricantur, ut materies hordeoli facilius solvatur, forasque exeat, sive suppurando canalis sebacei resistentiam, sive extremitatem ejusdem lacerando.

Si hordeolum, jam suppuratum segnius quam par est, aperiatur, optimum erit phlebotomi acie levem in tumoris apice incisionem instituere, ne pus ibi affluens, valde condensetur, & durum glomeramen producatur pertinax vix solubile.

At si hæc calamitas eveniat, ipsam pati debet, quoniam certo glomus sensim, sensimque dissipabitur, vel nullo adhibito remedio, vel tantum emplastro de-Vigo, aut diabotano juxta radicem ciliarum admoto.

Eadem methodus adhiberi solet in *Chalazosi*, sive spurio hordeolo: vel naturæ relinquitur, vel etiam emplastro de-Vigo, aut diabotano supra tenuissimum pannum sericum extenso oblinitur; ita vero admovetur, ut nævus artificialis adpareat, difficillime tamen persistit continui palpebræ motus ergo.

De cetero neque verum hordeolum, neque spurium remedia interna postulat, neve sedulum regimen.

C A-

CAPUT SEPTIMUM.

De Dracunculo, sive vena Medinæ.

QUamvis hic morbus a tumoris appartu incipiat, ut valde æmuletur furunculum, qua de causa ad hunc tractatum pertineat, tamen ipsum reticere potuissemus, cum apud Europæos adhuc incognitus sit, & verosimiliter nunquam innotuerit.

Nihilo tamen minus cum plures medici de eo mentionem faciant, verum etiam inter illos, qui in Europa medicinam, & chirurgiam exercuerunt, ante litterarum restaurationem, idcirco putavi necessum esse, de hoc singulari morbo verba facere: non jam ut, de medendi ratione circa id, medici instruantur, cum nunquam hoc suscipient, sed potius, ut claram sibi ideam morbi efforment, de quo rite, data occasione, loqui possent.

Cum nunquam perspexerim hunc morbum, neque de eo satis judicium ferre valeam, optimum censui *Avicenam* (a) prosequi, qui oculis hunc affectum observavit, & multa diligentia descripsit, cui addam reliquorum Medicorum circa idem nuperrimas observationes, siquid ipse omisisset.

Descriptio.

I. Apparet primo exiguus tumor accuminatus, ruber, a furunculo haud absimilis, qui celeriter ingrandescit, & vesicæ speciem gignit; e medio hujus vesicæ, quæ sponte disrumpitur, quædam materies prosilit, rubro intenso colore donata parvi funiculi crassitudine, quæ foris producitur, & venam, aut vermem æmulatur.

II. Modo illud corpus comprehendi possit, exitus ejusdem promovetur, leniter ipsum trajiciendo donec supra baculum, aut plumbeam virgam extendi possit, & hac ratione paulatim trahi queat.

III. Cum hujusmodi corpus integrum sponte, vel per vim foris totum eruperit, ulcus reliquum statim convalebit; at si sub exitu disrumpatur, sedulo reassumi debet illud corpus, ut extractio cito perficiatur, citra quod sub cute putrescit, & periculosum abscessum gignit, qui difficillime convalescit, & gangrenam inducit.

IV. Hic morbus plerumque crura afficit, interdum tamen manus, & humeros. Infantes, quandoque etiam infestat, in alterutro ventris, aut thoracis latere.

V. Hæc species chordæ, aut funiculi, quo paulatim baculus, aut plumbea virga circumcingitur, diversam longitudinem præsefert, plerumque quinque pedes adæquat, interdum tamen duplum, & ultra.

Hic affectus in Ægypto remotiori endemius est, tum in Ethiopia circa littora maris rubri, & sinus persici, in omnibus plagis Indiarum, & Africæ, sed præsertim in Arabia prope Medinam, & vicina loca, ex quo medici Arabes ipsum appellaverunt *venam medinensem*. Medici Græci, qui per traditionem de ipso differuerunt Δρακόντιον, sive *dracunculum* vocarunt, conformationis ergo prosilientis corporis, quare nos *Dragonneau* nunc dicimus.

De

(a) Canon. *lib.* 4. *Fen.* 3. *Tract.* 2. *cap.* 21. 22.

De Præcipuis Medicis qui de hoc morbo egerunt.

I. Galenus est vetustior medicus, qui de hoc morbo mentionem fecerit, quamvis & ipse ex aliorum traditione. *In quodam*, ait ipse, L. de locis affectis, cap. 3. *Arabiæ loco, ut ajunt, in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur nervosa natura, colore, crassitudineque lumbricis similes. Multos sane audivi, qui sese vidisse eos dicerent; ipse vero nunquam vidi, neque de ortu, neque de essentia ipsorum quidquam exacte conjicere possum.*

Ceteros Medicos Grecos sat erit indicare, qui de ipso pertractarunt. Hujusmodi sunt Soranus, qui paulo post Galenum inter vivos erat, cujus opinio circa dracunculum a Paulo Ægineta tradita est *de re Medica l.IV. c.* 58.

Hunc subsequitur Leonidas alter Medicus Græcorum pene contemporaneus, cujus fragmenta aliqua adhuc extant, quæ in Aetio reperiuntur. *Tetrabibl. IV. serm. II. c.* 85. & in Paulo Æginæ *de re medica, l. IV. c.* 58.

Aetius tamen, in corpore Medicinæ ab ipso exarato, singulare caput dracunculi habet, hoc est, *c.* 85. *II. Tract. l. IV.*

De Paulo Ægineta res diversimode se habet; nam ipse dracunculi naturam explanavit in integro capitulo sui operis, sub titulo *de re Medica*, id est *cap.* 58. *lib. IV.*

Actuarius etiam idem subiectum tractavit *methed. Medendi l. VI. c.* 8.

Tandem Plutarchus quamvis medicinam non exerceret, de eodem morbo meminisse videtur *l. VIII. Sympos. c.* 9. ex testimonio Agatarchidis, qui iter fecerat in Ægyptum circa litora maris rubri.

II. Quo ad Medicos Arabes attinet, pene omnes de dracunculo egerunt, deque eo fusius sermonem instituerunt, quia in his regionibus degebant, ubi morbus endemius erat, vel quod tunc temporis illic incepisset. Precipuos tantummodo indicabimus.

Avicenna *canon. l.IV.* fen. tract. III. c. 21. & 22. nullo alio nomine morbum indicat, quam illo *vena meden* seu *vena Medinæ*.

Rhasis *l. VII. ad Almanzorem*, *c.* 24. & *l. XII. c.* 2. item *Continentis libri XXVI. tract. II. c.* 1. hunc morbum appellat *vena Meden*, seu *venam Medinæ*, ut Avicenna.

Sed ejusdem traductor vocem Arabam *Meden*, quæ *Medinam* significat, pro adjectivo sumpsit, & vertit vena Meden pro vena Medinæ, nempe transduxit *venam civilem*, quia vox meden apud Arabes nomen est Civitatis, quod nomen pro adjectivo sumptum civilis sonat.

Abenzoar *l. II. tract. VII. c.* 20. vena meden appellat videlicet venam medinensem uti Avicenna.

Alzaravius *pract. l. XXVIII. c.* 12. eundem morbum appellat *venam exientem*, quod satis ejusdem indolem manifestat.

Haly Abbas *practic. l. IV. c.* 16. venam medinensem duplici arabico vocabulo insignivit, quorum primum *venam saniosam* significat, juxta morbi naturam; alterum in omnibus editionibus, atque codicibus obversum reperitur, in quibus legitur *vena famosa*, pro *saniosa*, ex quo plures Auctores decepti sunt. Albucasis *Chirurgiæ part. II. c.* 93. designavit venam Medinæ, hoc nomine, scilicet *vena cruris*, quia plerumque crura deturpat: quamvis tamen in aliis partibus sæpissime occurrat, & fortasse, ait ille, præter crura generatur in aliis corporis locis.

III. Medici, qui in Europa scripserunt, ante litterarum restaurationem in hoc

hoc Arabes profecuti sunt, & venam Medinæ ea ratione appellarunt, qua in alterutro Arabum Auctorum inscriptam reperierunt.

Guillielmus de Saliceto *Chirurgiæ l.* 1. *c.* 54. appellat venam Medinæ *venam civilem* deceptus a codice versionis Rhasis.

Guido de Chauliac *Chirurg. tract. II. Doct. II. c.* 8. appellat venam Meden, hunc morbum, ut Avicenna; *venam cruralem* ut Albucasis; & *venam famosam*, ut codices obversi Haly Abbatis.

Franciscus de Pedemontio *supplementorum in II. secretorum Joan. Mesuæ sect. II. par.* 2. *c.* 7. prosequutus est Alzaravium; quare ab ipso vena medinæ, *vena exiens* nuncupatur.

IV. Ad Recentiores Auctores quod attinet, sat erit, indicare eorum operum loca, in quibus de hoc morbo locuti sunt, modo observationes non afferant, quæ scitu dignæ sint.

Amatus Lusitanus *Curation. medicinal. Centur. VII. curat.* 64. asserit, hunc morbum se vidisse in Thessalonica, ubi captivum quendam ab Egypto exportatum curavit, ex qua regione morbum secum tulerat; hujusmodi auctor defendit, morbum revera vermem esse, quod mihi suadet. At ipse decipitur, ubi addit Avicennam ea de causa venam meden morbum appellasse, quia hic in Media prope Persas communis sit, *apud Mediam juxta Persidem*. Certum est tamen Avicennam tali pacto morbum indicasse, quia plerumque in civitate Medinæ ipse frequens est.

Joannes Manardus *Epistol. l. VII. epist.* 2.

Joannes Longius *Epist. medicinal. l.* 2. *epist.* 42.

Thomas Rodericus de Veiga *in Comment. l. VI. Galen. de locis affectis*.

Ambrosius Pareus *Chirurgiæ l. VIII. cap.* 23. quamvis venam Medinæ iisdem nominibus designet, ac Guido de Chauliac, quem prosecuutus est, interdum tamen cum Græcis Medicis *Dracunculum* ipsam appellat.

Jacopus Delecampius *Chirurgiæ cap.* 83.

Joannes Gorræus *in definit. Medic. in voce* Δρακοντίον.

Joannes VVierus *Observat. l. II. paragraf.* 7. confundit *crinones* Infantium cum ipso dracunculo.

Joannes Colle *Elucidarii Chirurgici l. I. c.* 54. venam Medinæ appellat *pustulam vermicularem*.

Georgius Hieronymus Velschius, qui publici juris fecit laudabilem *tractatum de vena Medinensi, sive dracunculis veterum*, in quo methodi potissimum ergo nihil amplius est desiderandum.

Tandem Joannes Jacobus VVepferus Schafusæ, *Ephemerid. Germanicar. Decur. II. ann.* X. *observ.* 171. *pag.* 315. ubi refert, se anno 1652. in Provincia Tigurina vidisse Chirurgum, qui bis fuerat in Ghinea in Indiis Orientalibus, ubi diu moratus erat, ex qua regione in singulo crure dracunculum exportavit, ex quo in patria convaluit. Hujusmodi Chirurgus, ut VVepferus testatur, vermem diu sub cute latitantem morbum parere putabat. Ipse enim propria experientia, & reliquorum Medicorum consensu affirmat, ceteris in cassum adhibitis remediis, & ipsis mercuriaribus frictionibus necessum esse pro perfecta valetudine ipsum integrum extrahere.

De Natura, & causis hujus Morbi.

Hujusmodi singularis morbus plures circa Medicos sententias excitavit, præ-

fer-

sertim cum optimi observatores tunc temporis pauciores vigerent, quorum plerique etiam de ipso locuti fuerint, absque quo unquam morbum observaverint. Opinionum differentiæ tres potissimum sunt.

I. Alii crediderunt chordam, quæ in hoc morbo erumpit, revera venam fuisse, qua de causa Arabum plerique venam eam appellarunt; alii nervum, aut tendinem illam putarunt, & hæc est sententia Sorani, (a) & Galeni fortasse.

II. Plerique Recentiorum, qui descriptiones consuluerunt veterum Auctorum, judicarunt, hujusmodi chordam a pure inspissato oriri alicujus apostematis; quare (b) Ambrosius Pareus, simul ac Chirurgus quidam, qui in *actis Acad. scientiar. ann.* 1724. de hoc morbo opusculum tradit, simili ratione censuerunt.

III. Opinio magis obvia apud Medicos Arabes, qui tantummodo morbum observarunt, ea est, quod hujusmodi affectus a verme oblongo, contorto, sub cute latitante originem ducat, qui, dum sibi exitum parat, pustulam gignit, per quam erumpit.

Prior harum opinionum minus probabilis est: quo pacto enim vena, nervus, aut tendo ita oblongus, ut dracunculus e corpore extraheretur, absque quo æger in convulsiones incideret? Sed dracunculus sponte erumpit sine molestia, aut dolore, vel saltem utriusque pauco.

Altera sententia pariter infirma est; nam in apostemate, aut abscessu nunquam visum est, pus inspissari, ita ut funis speciem referat plures pedes oblongam. Tandem pus, quod nunquam ita perniciosum propinquis partibus evadit, tantum inferre posse damnum, modo funis disrumperetur.

Ea igitur potior sententia videtur, quæ admittit morbum a verme pendere.

1. Hæc opinio auctoritatibus fulcitur *Leonidæ*, *Aecii*, *Pauli Æginetæ*, & *Avicennæ* ipsius; verum, quod tutius est, viatorum hujus temporis, circa quod etiam pervolvi possunt opera (c) *Kempheri*, qui diu in Perside moratus est; relatio itineris Episcopi (d) *de Beryte* in Cochinchinnam; descriptio Africæ (e) *Dapperi*, Iter Equitis *de Marchais* apud Patrem (f) *Labat*; & Historia Africæ (g) Occidentalis ejusdem Patris, cui addi debet auctoritas celeberrimorum Medicorum, videlicet, *Amati Lusitani*, & *Joannis Jacobi VVepferi*, qui, ut visum est, testes fuerunt hujus morbi in duplici subjecto, & vermem exeuntem conspexerunt.

2. Id confirmatur exemplo plurium vermium, aut animalium, quæ intra animalia ingrandescunt; præter vermes enim intestinales numerari possunt.

1. *Crinones*, sive *comedones* infantes infestantes, qui exigua sunt animalcula nigra, tenuia, intra cutis poros, præsertim circa digitos, & lumbos locata, qui a calore foris exeunt aliquantulum, & cutem tactui scabram reddunt, qui multiplici methodo excerpuntur, quorum figuram microscopio visam Ettmullerus præbuit.

(a) Apud Paulum Æginetam. *De re medica l. VI. c.* 58.
(b) Chirurgie *livre VIII. c.* 23.
(c) Amœnitatum exoticarum, *fascicul. III. n.* 4. & *fascicul. IV. n.* 7. ubi dicit hunc vermem appellari *Pejunk* Persarum lingua.
(d) *Cap. V. pag.* 92.
(e) Pag. 294. Edition. Amstelod. *in fol. ann.* 1686.
(f) *Tom. II. cap. VI. pag.* 136. Edition. Parisien. *ann.* 1730.
(g) *Tom. V. cap. XIII. pag.* 337. Edit. Paris. an. 1728.

2. *Acari*, qui exigua sunt insecta pene visibilia, sub epidermide locata, ubi crescunt, & molestum pruritum pariunt.

3. *Pediculorum* species, qui in phthiriasi, sive morbo pediculari sub cute crescunt.

4. *Vermes complanati*, qui frequenter reperiuntur in canalibus hepaticis jecoris hircorum.

5. Tandem exigui *vermes oblongi*, contorti, qui sæpe canum carnem infestant, plerumque circa musculos, interdum in horum substantia.

Post hujusmodi exempla, quæ oculis subjicimus, nullum superest dubium; cur sub cute in calidioribus regionibus produci possint alia animalcula ex genere dracunculorum, quæ phenomena parere valeant in hoc morbo obvia nuper descripta.

Certæ, diligentes, & reiteratæ observationes requirerentur pro generatione, & multiplicatione explicanda horum vermiculorum; quare nil mirum, si omittamus hanc quæstionem dracunculi respectu, quem nondum nobis observare occurrit; præsertim cum nondum patescat origo, atque multiplicatio vermium intestinalium, qui tamen obvii sunt.

Generice dracunculus humanum corpus intrare nequit; nisi triplici sequenti modo.

1. Sub ovuli forma sub cute depositi, a morsu alicujus insecti, postquam quod hujusmodi ovulum a calore explicatum vermem gignit, qui ita increscit, donec valeat sibi pandere viam.

Hæc opinio vermium exemplo fulcitur, qui in glandulis amygdalis cervorum, in naribus hædorum, in dorso Boum producuntur ab ovulis muscarum ibi depositis, circa quod D. Reamurius pervolvi potest in suo *Tract. de insectis*.

2. Sub exigui vermis specie, qui per cutis hiatus intrant, ubi aluntur, & ingrandescunt, donec exitum petant; hujusmodi sunt vermes illi, qui ab Hispanis *Niguas* dicuntur, a nobis *chiques* in insulis Americæ obvii: sunt ipsi exigua insecta imperceptibilia, in sterquiliniis degentia, quæ pedibus, aut cruribus Nigrorum, vel eorum, qui nudis pedibus incedunt, adhærent, & intra poros cutis locantur, ubi scalpendi pruritum excitant, & nisi acu removeantur, crescunt ita, ut putrescant, & abscessum periculosum gignant, qui sæpe in gangrænam desinit; ita enim in morbo pediculari pediculi cutem pervadunt, ibique latitantes multiplicantur, & omnem cellularem telam deturpant. Ita tandem in infantibus male constitutis capitis pediculi ab illis reliqui corporis procul diversi cutem sublevant, & innumerabilem sobolem pariunt intra cistis speciem degentem.

3. Sub forma exiguorum ovulorum, qui corpus intrant cum potu, aut cibis, & in sanguine cum chylo distribuuntur, donec per circulationem in his partibus deponantur, quæ pro eorum explicatione, aut incremento potiores sint.

Hæc via grandiores difficultates patitur; non est tamen prorsus rejicienda, præsertim cum nulla alia ratione explicari queat ortus animalculorum in canalibus hepaticis hircorum, aut in renibus, vel in musculis canum, aliorumque animalium degentium.

Symptomata.

1. Cum dracunculus idoneum attigerit incrementum, exitum petit, vel ua

latio.

latiorem ambitum habeat, vel ut valeat crysalidis formam sumere; nam recte suspicor, in papilionem converti debere: ea enim de causa vermes boum, aut cervorum ex propriis cryptis exeunt, ubi primo morabantur, ut crysalidis formam suscipiant, & in muscas convertantur; in his circumstantiis dracunculus se commovendo molestum valde pruritum excitat.

2. Hic, dum sibi exitum parat, rostro adversus interiorem cutem agit, eamque pressione, & erosione etiam fortasse superare tentat, ut inflammationem gignat, & tumorem rubrum, acuminatum, dolentem a furunculo haud absimilem.

3. Cute semel perfossa lympha sub epidermide congeritur, quæ vesiculam producit in apice tumoris conspicuam.

4. Vesicula hujusmodi cito disrumpitur, & tunc caput dracunculi se offert rubro, obscuro colore refertum.

5. His rebus peractis animal sponte sensim sensimque erumpit, vel digitis, aut volsellis extrahitur; verum etiam supra exiguum baculum, aut virgam plumbeam revolvitur quotidie, donec omne foras exeat.

6. Sed pedetentim est procedendum. Nam si festinanter nimis extrahatur, inflammatio partis oritur cum dolore; sed, quod deterius est, cum periculo fractionis animalculi.

7. His adhibitis cautelis, animal plerumque integrum excerpitur, posequam morbus perfecte tollitur, quia cutis facile cum carnibus coalescit.

8. At si animal pro festinatione, aut extractionis imperitia disrumpatur, quod in corpore relinquitur, putrescit, & abscessum cellularem producit in gangrenam periculosam desinentem.

Diagnosis.

In his regionibus, ubi dracunculi obvii sunt, facile hoc morbo corripi suspicabimur, ubi in aliqua corporis parte, cruribus potissimum, tumor acuminatus, ruber cum pruritu, & dolore appareat; minus tamen renitens, quam furunculus, quo nedum in suppurationem vergit, sed vesicæ speciem gignit.

Certiores de hoc morbo fieri poterimus, quando vesica jam disrupta caput animalis se offerat, atque tantum e corpore ipsum erumpat, ut supra baculum extendi queat.

Prognosis.

Hæc dependet a majore, vel minore facilitate, quam habent Medici in extrahendo dracunculo: dum facile exit, sperare licebit integrum excerpi posse, citoque morbum evanescere; contra vero quando animal oblongum, contortum, & adhærens magis appareat, ut manui extrahenti resistat, & facile disrumpatur.

Igitur periculum maximum adest, cum dracunculus frangitur, nisi cito remediis occurratur.

Curatio.

Juxta Avicennam dracunculi pertractatio sequentes articulos complectitur.

1. Cum suspicemur dracunculum, & rubrum tumorem cum pruritu conspiciamus; ægrum purgare, ipsique venam secare primum necessum erit, verum

rum partis affectæ cataplasma emolliens, & anodynum applicare ex mica panis, & seminibus lini, lacte ebullitis paratum.

2. Modo dracunculus capi possit, pedetentim supra laminam plumbeam, aut baculum extendi debet; sedulo tamen ne vermis disrumpatur, aut inflammatio in parte affecta excitetur.

3. Si vermis nimis extractioni obsistat, aut pars inflammatione laboret, frequentes embrocationes cum oleo rosato, aut butyro recenti institui debent, vel cataplasma anodynum applicari ex mica panis, & seminibus lini lacte excoctis.

4. Tandem si vermis perfecte extractus fuerit, morbus prorsus sublatus erit, & sat erit, aliquid affundere, & ægrum vulgari leniente purgare.

5. At si contra animal sub cute scindatur, ita ut amplius recipi nequeat, partem statim incidere necessum erit, ut vermis capiatur, & extractio cautius prosequatur, vel si commodius esset, incisionem ita protrahere, ut omne corpus animalculi excerpatur, posteaquam ulcus obvia methodo pertractatur, qua facile ipsius convalescentia obtinetur.

CAPUT OCTAVUM.

De Anthrace, sive Carbunculo.

Descriptio.

1. IN carbunculo tumor se offert complanatus, parum elevatus, valde resistens, quem comitantur intensus calor, & rubor igneus, a quo Græci *anthracis* nomen ipsi præbuerunt, videlicet Ἄνθραξ; a Latinis vero *carbunculus* appellabatur; & a recentioribus Auctoribus *pruna*, sive *ignis persicus* nuncupatur.

2. In hujusmodi tumoris specie magnus dolor, atque pruritus adsunt. Ejusdem superficies cooperitur secundo, vel tertio die bullis, sive hydatilibus rubicunda serositate plenis: quandoque bullulæ illæ innumeræ ita sunt, ut miliares purpureas referant.

3. Hæ vesicæ cito disrumpuntur, & subtus posita cutis cinerea, livida, atque nigerrima fit, scilicet in gangrenam, aut sphacelum, desinit.

4. Tunc pars affecta complanatur, plerumque extenditur, & circulo rubro, duro, calenti circumscribitur, qui propinquas partes sensim, sensimque infestat.

Differentiæ.

1. Carbunculus *legitimus*, qui circulo circumscribitur, magnitudinem plerumque denarii, vel paulo magis adæquat; in hac specie omnia phenomena altiorem gradum attingunt.

2. Carbunculus *spurius*, sive erysipelatosus magnum spatium occupat; non tamen æquabiliter, ut undique eandem deleteriam indolem habeat. In hac specie symptomata minus periculosa sunt.

3. Carbunculus *simplex* a vulgari causa originem ducit; *pestilentialis* vero febrem pestilentialem, aut pestem subsequitur.

4. Carbo *compositus* alio morbo superadditur, ut in phlegmone, aut furunculo carbunculoso &c. quando hi morbi carbunculi naturam induunt.

Sedes

Sedes Morbi.

1. Carbunculus in cute locatur, quod oculis patet, sed magis innotescit cutem sublevando, quæ tumorem secum trahit, & ab inferioribus propinquis partibus retrahit.

2. Carbunculus legitimus minime in glandulis sebaceis sedem tenet, in quibus furunculus oriri solet; præterea cum illæ dilatabiles sint; si in ipsis locaretur, carbunculus tumorem sphæricum, & prominentem produceret. Tandem cum hujusmodi morbus nullam partem speciatim afficiat, ut a furunculo fieri solet, qui partes deturpat, ubi confertiores sunt glandulæ; idcirco statuendum erit, ubique ipsum oriri posse.

3. Carbunculus legitimus enim in glandulis miliaribus, quæ sudorem secernunt, originem habet, quæ glandulæ exiguissimæ sunt, compactæ, & undique per cutis texturam dispersæ, quapropter idoneæ pro morbi sede evadunt.

Causæ.

Ex anteactis consequens est.

1. In legitimo carbunculo glandulas cutaneas infirmæ partis obstrui, atque inflari.

2. Id evenire, quia sudor, quem ipsæ secernunt, spissus valde est, & exitui impar, ut in glandulis necessario detineatur.

3. Tumefactionem harum glandularum vix dilatabilium, tumorem complanatum, & renitentem gignere in carbunculo legitimo minus extensum; sed in carbunculo spurio ampliorem pro numero glandularum affectarum, aut morbi intensitate.

4. Hunc humorem, qui glandulas tumefacit, non solum densum esse, verum etiam acrem, & corrodentem.

5. Ipsum denique producere debere dolorem lancinantem, atque urentem vivo pruritu comitatum, qualis revera in carbunculo habetur.

Ex his concludi potest, quidquid valebit sudorem valde condensare, aut acriorem reddere posse, carbunculum gignere. Sed hæc proprietas in sudore a simili sanguinis conditione pendet, & quæ in sanguine producitur.

I. Ab alimentis viscosis, acribusque.

II. Ab imperfectis digestionibus, biliosis præsertim, quæ chylum densum, & acrem producunt.

III. Ab exercitio nimio, aut tristitia, quæ similem labem sanguini conciliant.

IV. A mora in sanguine bilis ob hepatis obstructiones, præsertim cum bilis detenta acris valde fiat.

V. A virulento latice, qui sanguinem deturpet, qualis est fomes scorbuticus, aut pestilentialis.

His internis causis una addi poterit, quæ externa est, videlicet applicatio alicujus veneni, quod glandulas cutaneas intret, ipsasque lacessat, erethismum moveat, ut carbunculum inducat, modo sudoris vitium simul concurrat.

1. Hujus indolis est venenum quorumdam animalium, quod in loco demorso carbunculum gignit: id affirmant evenire ab ictu *Caudisonæ*.

2. Idem parit pus a parte gangrenosa, aut carbunculosa in sanam defluens.

3. Similiter venenum illud hunc parere valet morbum, quod animalibus inest, certis quibusdam morbis interemptis, vel lanis latitat hircorum peste

emortuorum; ea de causa coriarii frequenter carbunculis afficiuntur, æque ac ii, qui hujusmodi lanas abluunt.

Duplex causa carbunculum versus unam potius, quam alteram partem dirigit.

1. Conformatio naturalis quarumdam glandularum miliarium, quæ faciliorem morbosæ materiæ ingressum sinunt: quare facilius labefactantur.

2. Vis inæqualis causarum externarum, quæ variant juxta partis afficiendæ diversum calorem, frigus, aut majorem, vel minorem compressionem; tum ob sorditiem, vel munditiem affectæ partis; vel prout tandem hæc plus, minusve externo contagio subjicitur.

Symptomata.

1. Tumor est complanatus, parumque elevatus in carbunculo, quia glandulæ, quæ ipsum gignunt, exiguæ sunt, parumque dilatabiles.

2. Ipse valde renitens est, quia eædem glandulæ valde premuntur, & tumefactæ corpus durum inflexibile producunt.

3. Calor in ipso acerrimus est, atque urens, tum acrimoniæ ergo morbosi fomitis, cum inflammationis causa, quæ in parte affecta a vasorum sanguiartereorum compressione oriri solet.

4. Rubor in eo igneus est, quia vasa ibi turgida sunt, ibique sanguis ab riarum oscillationibus valde attenuatur.

5. Superficies carbunculi vesiculis cito obtegitur plus, minusve copiosis, aut amplis, quia serositas e vasis turgentibus erumpens epidermidem in variis locis sublevat.

6. Molestus tunc adest pruritus, tum relate ad fomitis morbosi acrimoniam, qui glandulas miliares tumefacit, cum ad acrimoniam serositatis, quæ vesiculas inflat.

7. Gangræna, quæ supervenire solet, consequens est nimiæ tensionis cutis; quæ oscillationes arteriarum sistit, vel ab humoris acrimonia partis contextum destruente derivat.

8. Circulus ruber, & renitens, qui carbunculum circumscribit, ab inflammatione producitur, quæ gangrœnam coercet, ipsamque a sanis propinquis partibus separat.

9. In carbunculo cutis elevata apparet valde compacta, ut certo quodam modo ægri in parte affecta constrictionem, aut vinculum persentiant.

10. Carbunculus continenter febrem comitem habet, quæ vel essentialis est, ubi carbunculum ipsa producat, vel saltem ab eadem causa procedat; symptomatica vero, cum sit effectus ipsius carbunculi.

Explicatio differentiarum.

I. Carbo legitimus est, quando peccans materies certo quodam glandularum numero coercetur; erysipelatosus contra, sive spurius dicitur, quando fomes morbi per plures glandulas distribuitur: tunc pro majori dilatatione materiæ morbificæ periculosus minus, minusque perniciosus morbus evadit.

II. Carbunculus plerumque a vitio sudoris derivat, quod vulgares causæ inducere possunt; sed in pestilentiali carbunculo pestis ipsi occasionem præbet.

III. Phlegmone, aut furunculus carbunculosus, carbunculi revera non sunt, sed alteruter in gangrœnam desinens.

Dia-

Diagnosis.

I. Super allata descriptione facile carbunculus legitimus innotescit; quo ad carbunculum erysipelatosum, ipse a legitimo ex eo distinguitur, quod minus extensus, atque minime circumscriptus appareat; denique carbunculus verus ab erysipelate simplici facile distinguitur ob renitentiam, quæ in carbunculo major est, sed potissimum ob rubrum colorem in carbunculo a compressione etiam persistentem, quod in erysipelate non observatur.

II. Tria vero carbunculi stadia, videlicet inflammatio, vesicularum eruptio, atque gangrena solo inspectu manifestantur. In nonnullis carbunculis hujusmodi mutationes intra quatuor circiter dies accidere solent; in aliis vero post viginti quatuor horas patescunt.

III. Tandem causæ carbunculi se offerunt perquisitionibus, quæ satis declarant, an ab obvia causa, aut a febri maligna, peste, aut alia externa, & accidentali labe morbus procedat.

Prognosis.

Omnis carbunculus periculosus est, ideoque teterrimam, aut valde incertam prognosin proferre cogimur.

II. Carbunculi pernicies multiplici de causa variare poterit.

1. In ratione causæ producentis; carbunculus pestilentialis majus periculum importat, quam malignus; & hic, quam vulgaris.

2. Pro diversis phenomenis, quæ superveniunt; idcirco carbunculus, qui paucam febrem, levem dolorem comitem habet, atque serius in gangrenam desinit, minus periculosus est illo, qui in opposito statu reperitur.

3. Juxta carbunculi positum; majus detrimentum affert ille, qui partes tendineas afficit, vultum, aut collum constrictionum ergo, quas inducit, a quibus sanguinis a capite refluentis reductio intercipitur.

4. Pro varia denique carbunculi specie; nam ceteris paribus carbunculus legitimus magis perniciosus est, quam erysipelatosus.

III. Carbunculus, qui postquam erupserit, citra manifestam causam evanescit, semper letalis est; quia humor peccans in sanguinem reductus pene semper aliquam internam partem infirmat.

Curatio.

In carbunculo, ut in reliquis externis morbis, duplex distingui debet medendi ratio: una externa, altera interna.

I. Interna curandi methodus postulat,

1. Venæ sectionem in pede, aut brachio crebro, vel raro, uberius, vel parcius, prout morbi indicationes poposcerint, aut vires permiserint.

2. Ptisanæ exhibitionem, qua affatim æger uti debet, eaque cichoreo, boragine, capillari, atque radice acetosæ confecta, si febris præsertim ardens sit, & pulsus validiores; contra vero si pulsus debilis sit, febris modica, hujusmodi potio confici poterit ex scabiosa, carduo bened., scorzonero &c.

3. Quarta quoque hora cochlearia nonnulla exhiberi poterunt potionis cordialis ex aquis distillatis cardui bened., scabiosæ, diaphoretico minerali, pulve-

re vi-

re viperino, salibus volatilibus, confectione Alkermes, aut Theriaca, præsertim si pulsus debiles sint.

4. Contra tamen, dum pulsus persistant, febris ardeat, emulsiones præscribi debent, tum jura gallinacea, julapia refrigerantia, quibus addi poterunt syrupus acetosæ, granatorum, limonum, aut guttæ aliquot spiritus salis dulcificati, ad gratam aciditatem conciliandam; vel saltem in his circumstantiis cordialia magis commoventia caute exhiberi oportebit.

5. Ægrum purgare secunda die necessum erit leni emetico, nisi quid obsit; quod repeti debebit, nisi simpliciorem purgationem occasio petat.

6. Solo jure ægrum vesci fas erit, valde diluto, si febris ardens sit; magis nutrienti vero, cum pulsus validiores fiant.

II. Quod ad externam curationem attinet.

1. Citius quam fieri poterit, gangrenæ progressus intercipi debent. Olim pro hoc scopo usurpabatur cataplasma ex foliis paratum scabiosæ, morsus diaboli, corticibus alliorum simul tritis, & parti affectæ admotis, tum vitriolum ceruleum, adipe suillo remixtum, quibus carbunculus obliniebatur.

Hodie tamen statim confugiunt.

2. Ad escharotica tutiora, qualia sunt lapis causticus, præcipitatum rubrum, mercurii solutio, spiritus nitri &c. quorum ope partem exurunt, atque profundius ulcus producunt, quam in carbunculo appareret.

3. Antequam hujusmodi remedia adhibeantur, usque ad vivam carnem carbunculus laniatur, ut pars affecta ex parte saltem a morbifica materie repurgetur, verum etiam ut melius escharotica ipsam pervadant.

4. Modo eschara appareat, forcipe ipsa excerpi debet, antequam sponte decidat; postquamquod ulcus pertractabitur cum vulgari digerenti, tinctura myrrhæ, aut Aloes actuato, usque dum ulcus detersum sit.

5. Ulcere vero deterso, plerumque usuvenit balsamum Arcei pro carnis reproductione fovenda; deinde balsamum viride, filamenta sicca, aut pulvis Terebinthinæ, ut ulcus perfecte cicatrizetur.

6. Tandem, quandoque evenit, quod prima vice pars affecta nondum destructa sit: in hoc casu labor reiterari debet, usque dum omnis abeat gangrena, & ulcus in suppurationem tendat.

CAPUT NONUM.

De Panaritio.

Descriptio.

I. Interdum accidit, quod dolor persistens, atque profundus cum calore, & obscura pulsatione circa radicem unguium persentiatur.

II. In progressu dolor, calor, atque pulsatio augentur, ita ut ferri non possint, tunc rubor, atque tumor superadduntur, & morbus sane inflammatorius evadet.

III. Haud infrequenter tumor manui, & brachio communicatur; & tunc tensio, rubor, atque pulsatio ultimum gradum acquirunt circa locum affectum.

IV. Febris, per-vigilium, delirium, & convulsiones sæpissime superveniunt, quæ morbum periculosum reddunt.

V. Apparet tandem punctum albicans in loco affecto cum mollitie, & fluctua-

ctuationis specie, tunc symptomata imminuuntur, punctum album disrumpitur, materies morbosa effluit, & morbus, quamvis lente, convalescit.

VI. Sæpe tamen, antequam suppuratio se prodat, gangrena digitum aggressa est, & caries ipsa ultimæ phalangi communicata.

VII. Tandem morbus plerumque non abit citra unguis jacturam; sæpe unguis inæqualis per totum vitæ cursum perstat; quandoque penitus destruitur absque regenerationis spe; neque mirum est, quod interdum postrema phalanx destruatur.

VIII. Id morbi genus a Græcis παρωνυχία *Paronychia* appellatur, quia circa radicem unguis exurgit. Medici recentiores vocem pervertendo *Panaritium* dixerunt, ex quo gallicum nomen *Panaris* derivat; sed idem morbus in diversis regionibus diversa nomina adeptus est.

Differentiæ.

I. Panaritium *verum* est *& legitimum*, quod circa radicem unguis nascitur, in externa digiti parte; *spurium* vero illud est, quod pulpam digiti, atque unguis intimius pervertit.

II. Panaritium legitimum, modo *complanatum*, apparet; modo ipsum *eminet*.

III. Idem interdum *gangrænam* minatur; interdum *nequaquam*.

Sedes morbi.

Quamvis panaritium morbus obvius sit, quem frequenter observare quimus; attamen videtur, auctores nuperrimos ejusdem neque indolem, neque sedem cognovisse. Omnes pene conveniunt, tres species affectus dari: *una*, quæ cutim infestat; *altera* periostium; *tertia* tendinum thecam. Tamen abscessus, aut stasis in his partibus orta, neque panaritium est, neque hujusmodi nomen meretur.

En brevi, quod observationes circa naturam, & sedem morbi ostendunt.

Certum est, Panaritium legitimum incipere a paucæ lymphæ rubicundæ, & saniosæ infartu, qui circa radicem unguis, & corticem cartilagineum producitur, qui periostium obtegit, & cum ungue nectitur.

Id confirmari poterit animadvertendo, ungues tantum, earumque radices panaritio affici, quod undique cognoscitur, ut ex eo morbus *paronychia* dicatur, videlicet morbus prope unguem; at idem fulcitur observationibus Fabricii (a) Hildani, fide dignissimi, qui narrat, se pluries, dum vocatus erat, in incremento morbi cutim incidisse unguem obtegentem, ibique post radicem unguis unum, vel duo puncta reperisse, quæ cultro incidendo unica, vel duplex gutta lymphæ rubræ exierat, postquam statim æger convaluit.

Hæ observationes procul dubio affirmant, panaritium oriri a stasi paucæ serositatis lymphaticæ sub radice unguis latitantis, videlicet intra hanc radicem, & cartilaginem, quæ obtegit periostium extrinsecus ultimæ phalangi, cum qua unguis nectitur.

Hoc leve morbi initium, semel neglectum, sufficit, ut phenomena illa teterrima insurgant, quæ in hoc morbi progressu evenire solent; quæque, (etiamsi in lymphis effluentibus nulla corrodens qualitas supponatur,) facile dignosci

(a) Observ. cent. 1. observat. 97.

gnosci poterunt, si experimenta animadvertantur *machinæ Papini*, quæ summam actionem in liquidis valide compressis, ut vix fingi possit, apertissime ostendunt.

Verum, quod attinet ad paronychia illegitima: hæc vel in ungue, vel in extrema digiti pulpa resident, quam, ut plurimum non excedunt, minus idcirco, ac leve incommodum afferunt; quandoque tamen ad unguem usque pertingunt, tuncque molestiora sunt, licet multo minus veris, atque legitimis.

Causæ.

Ex dictis patet, paronychia legitima a guttis quibusdam lymphæ subrubræ sparsis, in unguis radice subsidentibus, semper oriri. Separatur itaque hoc loco unguis radix a proximis cartilagineis partibus; quamobrem vasis lymphaticis, & sanguineis dilaniatis, lympha subrubra dispergitur.

Hæc autem separatio a duabus solummodo causis potest provenire.

1. A contusione digiti extremi, quæ, vel extra flectens, vel intus adigens unguis radicem, ipsam a propria sede in aliquo puncto disjungat.

2. Ab acus, aciculæ, aut forcipum punctione, quæ unguis radicem pertundat, elevet, nonnullarumque hujusce lymphæ guttarum eruptioni locum præbeat.

Hæ duæ sunt verorum paronychiorum causæ; & futile omnino est, eas in qualitatibus sanguinis, ac lymphæ ungues nutrientis inquirere; quod ut statuatur, duæ observationes sufficient.

Prima: paronychia adveniunt solum sarcinatoribus, iis, qui laborant, vel qui artem aliquam mechanicam exercent, quique ad sibi pungendos digitos, tundendosque expositi sunt.

Altera: paronychia digitos pedum nunquam infestant, quamvis ungues conformatione ab illis manuum non differant, eademque lympha nutriantur. Quoad spurium Panaritium attinet, vel ab aliqua punctione derivat, vel saltem raro a collisione producitur.

Symptomata.

1. Prius obtusum dolorem, atque levem pulsationem sine calore, rubore, aut tumore ægri persentiunt, quia tunc simplex lymphæ rarescentia adest absque suppurationis ingressu.

2. Demum dolor, atque pulsatio augentur, prout suppuratio producitur, & tunc calor, rubor, tumor se manifestant.

3. Hæc phenomena plerumque satis valida sunt, quod suasit, morbosum laticem valde corrodentem esse, quamvis id falsum esse, compertum sit, habito respectu sanis de cetero subjectis, quæ crebro hoc morbo corripi solent; ast vehementia symptomatum pressioni coacervatæ lymphæ tribuenda videtur; præsertim cum a resistentibus membranulis lymphæ virtus eo magis augeatur; hac enim de causa vidimus in machina Papini puram aquam compressam ossa emollire simplici ignis actione.

4. Hæc calamitas interdum intenditur, ita, ut tumor, atque dolor manui, atque brachio communicentur, donec intumescentia, atque inflammatio superveniat; tunc febris, pervigilium, delirium, & convulsiones plerumque, vel syncopes etiam occurrunt.

5. Dolor, quem in Paronychiis ægri patiuntur, vix cum aliis doloribus comparari quit, qui reliquos tumores inflammatorios comitantur. Hos enim

ipſe longe ſuperat, quare non ſolum lancinans, ſed potius perterebrans appellari poteſt, quod oritur a ſumma coarctatione ſtagnantis laticis.

6. Suppuratio tamen unguis radicem perfodit, interdum etiam pus intra unguem, & digiti pulpam viam ſibi aperit; plerumque tamen exterius nunquam ſe præbet, niſi prius os in cariem, & phalangem in gangrȩnam mutaverit.

7. Vehemens hujuſmodi ſuppuratio neceſſario filamenta radicis unguis deſtruere debet, vel quod hoc acrimoniæ laticis tribuatur, vel conatui efferveſcentiæ ſuppurantis materiæ; certum eſt, ab his derivare paulo poſt convaleſcentiam unguis caſum.

8. Veriſſimum ſane eſt eadem filamenta a cute exeuntia pro radicis unguis formatione iterum produci, atque in longitudinem creſcere, ut novus unguis oriatur priori ſuccedens; at cum hujuſmodi filamenta ſuppurationis actione valde labefactata ſint, unguis iccirco nunquam levigatus, ſed inæqualis, atque ſcaber per totum vitæ curſum apparebit.

9. Interdum tandem evenit, quod unguis baſis ita deſtruatur, ut etiam, ſublato morbo, nunquam unguis reproducatur, & digitus quotidie ſuperſit ungue orbatus.

Ea phenomena tamen mitiora ſunt in panaritio ſpurio; ſuppuratio facilius perficitur, & conſecutiones minus teterrimæ ſunt; quod derivat a diverſitate ſedis, quam occupat morboſus fomes, qui cum minus coacervatus ſit, facilius exitum ſibi pandit.

Diagnoſis.

1. Recognoſcitur facile ſedes, quam Paronychia occupant a deſcriptione ſuperius allata.

2. Panaritium legitimum a ſpurio diſtinguitur a ſedis differentia, & phenomenorum indole diverſa.

3. Panaritium complanatum a prominenti viſu, & tactu diſtinguitur.

4. Tandem gangrȩna, aut caries violentia, magnitudine morbi, ſegnitie ſuppurationis ſatis ſe manifeſtant.

Prognoſis.

1. Panaritium fere nunquam letale eſt; attamen inter periculoſas calamitates merito recenſetur ob dolorem, quem inducit; phenomena, quæ parit; atque conſecutiones, quæ ipſum ſubſequuntur.

2. Quo magis panaritium prominet, eo facilius ſuppuratio perficitur, atque tumor citius diſrumpitur, quod ceteris paribus multum periculi demit.

3. Panaritium legitimum ſpurio minus periculoſum rationibus ſupra enunciatis eſt.

4. Illud tamen, quod in cariem aut gangrȩnam abit, nunquam periculo vacat.

Curatio.

Duplex eſt curandi methodus; interna una; externa altera.

I. In curatione interna. 1. neceſſum eſt ægrum ex brachio phlebotomizare ex oppoſita parte, quod pluries reiteratur pro ratione doloris, atque inflammationis.

2. Sanguinis efferveſcentia compeſci debet per julapia, obvias emulſiones cum

cum syrupis limonum, granatorum, acetosæ, aut cum spiritu salis, seu vitrioli dulcificato, guttatim affuso ad gratam aciditatem conciliandam.

3. Narcotica usuveniunt pro dolore sedando, videlicet syrupus Diacodii, pillulæ cynoglossi, tinctura anodyna, laudanum solidum &c. Quorum dosis pro morbi vehementia moderatur.

4. Sunt clysmata inijcienda refrigerantia, anodyna, ægrum brodio, & ptisana nutriendo.

5. Tandem paucis diebus transactis, ut febris imminuatur, alvum ciere oportet levi purgatione, aut blando emetico, prout indicationes postulaverint.

II. Quoad externam curationem pertinet, tutior methodus est, stasis sedem invenire, quod per renitentiam detegitur; ibi brevis incisio instituitur juxta digiti longitudinem ad unguis usque radicem; cute ita dissecta abscessus secatur, & serositas extrahitur; postquam vero paucus fluxerit sanguis, vulnus cooperitur filamentis spiritu vini imbutis cum pauca simul theriaca. *Fabricius Hildanus* idem consuevit.

Nisi hæc methodus adhibeatur, subjicitur æger diuturnitati, atque periculo sequentis curationis, quæ obvia est.

1. Primo supra partem affectam ad dolorem sedandum cataplasmata applicantur, ex lacte, & mica panis parata, aut lintea lacte vaccino madida, ubi ebullierint flores meliloti, camomelli, & sambuci, tum cataplasmata confecta ex pulpa hyusciami, solani, atque sedi &c. commendant potissimum lenticulam aquaticam, atque plantam illam, quæ paronychia (a) appellatur, quibus specifice dolorem compesci putant, quinimo facile credunt ab hac proprietate hujusmodi plantam nomen (b) derivasse, at dissentiunt circa stirpis (c) speciem quæ ita nuncupari debeat.

2. Subacto aliquantisper dolore, suppuratio promovenda videtur cataplasmatis confectis ex pulpis putrefacientibus radicis liliorum, cæparum, fermenti veteris, radicis brioniæ &c. vel cum emplastro diachyli gummosi; aut ex fimis animalium, vaccæ nempe, canis, muli &c. sub forma pariter cataplasmatis applicatis. Riverius jubet, digitum diu in aurem felis detineri, qua methodo (d) asserit, post duplicem horam dolorem sedari.

3. Neque negligi debet tumoris incisio, modo aliqua mollities appareat, antequam suppuratio perficiatur, quæ ossum in cariem convertere posset; pure evacuato, atque leniter expresso ulcus vulgari digerenti pauca tinctura myrrhæ atque aloes actuato oblinitur.

4. Si tunc carnes spongiosæ crescant, ut fieri solet, destruuntur unguento ægyptiaco, alumine usto, lapide infernali, aut caustico.

5. Si caries ossum infestet, quæ superficialis non sit, exfoliatio promovetur turundam applicando Myrrhæ, Aloes, aut evphorbii imbutam, aut cauterium actuale apponendo; at si caries profunda sit, & phalanx valde deturpata, ea prorsus scindi debet, posteaquam consueta methodo vulnus pertractatur.

6. Tandem, si gangrena superveniat, remedia adhiberi debent superius *cap.* 3. proposita vel si progrediatur, digitus statim scindi oportebit.

In

(a) Dioscorid. *l.* 4. *c.* 54.

(b) Galen. *de Simplic. medic. lib.* 8. Paronychia, *ait*, ab effectu nominata est. Sanat enim paronychia.

(c) Tabernæmontanus putat ipsam esse *Alsinis* speciem: Rajus vero *Bursa pastoris*. Speciem; Boyleus *Sedum tridactilites tectorum*; Boeclerus tandem *in Cynosura materiæ medicæ continuata*, ipsam voluit *Poligonum minus candicans supinum*.

(d) Centur. 4. *observ.* 63.

In Occitania putant, panaritium curare, quod interdum utiliter evadit, digitum aqua ebullienti immergendo: hujusmodi methodus tamen a Medicis derivare credendum est, cum reperissem Hieronymum Fabricium (a) ab Aquapendente idem commendasse.

CAPUT DECIMUM.

De Parotidibus, Bubonibus ceterisque axillarum, aut inguinum tumoribus.

Descriptio.

I. IN diversis glandulis conglobatis, aut lymphaticis colli tumores inflammatorii producuntur, quos comitantur rubor, calor, dolor, atque pulsatio.

II. Hi tumores quandoque resolvuntur; sæpe in suppurationem vergunt; quandoque in scirrhum desinunt; haud infrequenter etiam in gangrenam convertuntur.

III. Sæpe ipsi febrem subsequuntur, quæ essentialis tunc est; interdum febris a tumorum apparitione evanescit, & critici tunc dicuntur; frequenter tamen etiam febris hujusmodi tumores consequitur, quæ symptomatica videbitur.

IV. Hi tumores, quamvis causæ producentis respectu parum inter se differant; tamen consecutionum ergo, vel positus, aut remediorum exhibitionis causa valde differunt. Græci, & Latini ipsos Βουβῶνες *Bubones* appellant, dum glandulas inguinales, aut axillares infestant: Παρωτίδες dicunt illos, qui in glandulis lymphaticis producuntur circa aures, maxillam aut collum locatis.

V. Præter sæviores tumores, duros, renitentes, inflammatorios, curatuque difficiliores, qui glandulas axillares, inguinales, parotides infestant, eædem glandulæ sunt infartui obnoxiæ, qui tumores molles œdematosos producit; hi tumores dum parotides deturpant, a Gallis *Orrellons*, dicuntur, aut *croissans*, dum axillares, & inguinales glandulas infestant: ipsi tamen mitioris indolis sunt. Similes tumores, & reliquas glandulas afficere solent, qui tamen speciali nomine minime designantur. Græci Φυγέθλα aut Φύματα hujusmodi leviores tumores appellant, quocumque loco superveniant, & a Latinis *Pani* dicuntur. Ipsi denique in infantia crebrius, quam in pubertate eveniunt.

Differentiæ.

I. Distinguitur *Bubo venereus*, qui a fomite celtico producitur; *bubo scorbuticus*, qui a lue scorbutica procedit; & *bubo pestilentialis*, quem pestis gignit; *bubo malignus*, qui febrim malignam consequitur; & *bubo simplex* magis obvius, qui a vulgari causa dependet.

II. De bubone maligno, atque simplici tantum agemus, qui tres species complectuntur, scilicet bubonem *phlegmonosum* ubi inflammatio se prodit; *oedematosum* in quo oedema se manifestat; & *scirrhosum*, qui in tumoris centro maximam duritiem, atque resistentiam exhibet.

III. Bubones denique generice inter se differunt ob specialem configurationem: modo enim *rotundi* sunt, modo *oblongi*; modo *unicum* tumorem, modo

(a) De Chirurg. operat. c. 103.

do plures simul congestos exhibent: at hujusmodi differentiæ plerumque parvi penduntur.

IV. Similes differentiæ parotides, ceterosque tumores inflammatorios, aut oedematosos respiciunt glandularum, cujus indoles ab illa bubonum vix distat.

Causæ.

Cum Bubones, aut Parotides in glandulis lymphaticis sedem habeant, certumque sit hujusmodi tumores lymphaticos esse, videlicet a lympha productos; erunt idcirco causæ perpendendæ, in lymphæ circulo vitiato latitantes.

Sanguis, & lympha simul per eadem vasa, videlicet arterias a corde omnes versus corporis partes propelluntur; qua de causa lymphæ cursus ab illo sanguinis haud differt, easdemque leges omnino prosequitur.

In omnibus partibus cujusque arteriæ capillaris extremum in duplex vas desinit: quorum *alterum* latius est, ipsumque proinde intrat pars rubra sanguinis lymphæ portioni remixta, ubi *vena sanguinea capillaris* initium habet; *alterum* angustius est, ipsumque penetrat maxima lymphæ pars, & hinc *vena lymphatica capillaris* oritur.

Hæc exigua venula sanguifera simili consociata grandiorem ramum gignit; amplior hic ramus ab aliorum similium additione grandiores truncos generat, qui a partibus diversis sanguinem reducunt, & omnes tandem in cavam influunt, aut in venam pulmonarem, ex quibus sanguis in auriculas cordis versatur, & in ventriculos tandem. Talis est circulus sanguinis perfecte cognitus, de quo supervacaneum est ulterius loqui.

Exigua vero venula lymphatica ab extremitatibus arteriolarum nata, cum aliis similibus copulata, ampliores truncos gignit, quorum ope lympha paulatim, segniter tamen cordi appropinquatur; singulari tamen ratione, quæ fusius explicari oportebit.

Deciperemur putando venas lymphaticas lymphæ regressui destinatas cavitate donari, ut vasa sanguinea, continuata, lymphamque assiduum cursum habere, ut sanguis in venis habet, quinimo scimus identidem venas lymphaticas a glandulis *conglobatis* dictis intercipi, quæ lympham redeuntem recipiunt, eamque lympham glandulis haustam per excretorium ductum in alias venas lymphaticas devehunt, quæ subtiliorem partem in similes, sed ampliores glandulas transducunt, & ita successive progrediendo, omnis lympha venam subclaviam sinistram intrat, ubi rursus sanguini remiscetur.

Hujus rei exemplum præbent venæ lymphaticæ, quæ dum lympham a pede reducunt, in plures exiguas glandulas conglobatas desinunt, quæ sub planta pedis sunt, vel circa articulos cruris, atque pedis. Ab his glandulis novæ venæ lymphaticæ procedunt, quæ lympham in alias glandulas devehunt circa genua locatas, ubi lympha a reliquo crure redux eodem tempore per speciales lymphaticas venas transfertur; a postremis hujusmodi glandulis venæ lymphaticæ ampliores oriuntur, quæ ad inguina lympham adducunt, ubi per alias lymphaticas venas lympha femoris reliqua transducitur. Ex hoc loco, ut brevitati consulamus, lympha successive, atque eadem methodo glandulas conglobatas intrat, quæ in bifurcatione arteriarum hypogastricarum reperiuntur, atque glandulas illas centrales mesenterii, quæ *pancreas Asellii* nuncupantur.

Denique *cisternam sequetianam* lympha implet, atque tandem ductum thoracicum ingreditur, qui in subclaviam sinistram aperitur.

Lym-

Lympha ex partibus imi ventris redux, postquam huc illuc in exiguis glandulis perstiterit, omnis in pancreas Asellii colligitur, ex quo in cisternam pequetianam, & ex hac per ductum thoracicum subclaviam sinistram intrat.

Pari ratione lympha ex partibus superioribus corporis reducitur; ipsa enim ex manibus in glandulas volæ, ex his in articulos, deinde in musculos Deltoides, & potissimum in glandulas axillares transitum facit, ubi similiter lympha congeritur partium externarum, videlicet thoracis, dorsi, atque mammarum, quæ in utroque sexu verissimæ sunt glandulæ lymphaticæ. Tandem ibi collecta lympha in subclaviam sinistram per duas, aut tres grandiores venas lymphaticas transfertur, quæ *vasa rorifera bilis* nuncupari solent.

Lympha, quæ a capite tum ab externis, cum ab internis partibus revertitur, per plures venas lymphaticas utrinque glandulas intrat, quæ circa aures in propinquitate maxillæ inferioris collocantur, vel circa collum positæ sunt, ex quibus locis per ampliores truncos in vasa rorifera bilis, aut immediate in subclaviam sinistram transmittitur.

Tandem lympha, quæ a pulmone procedit, postquam per viam glandulas nonnullas penetraverit, omnis in Thymum colligitur, quæ vera glandula lymphatica est, ex qua in vasa rorifera, aut in subclaviam sinistram per propria vasa transducitur.

Ab hac lege excipi debent venæ nonnullæ lymphaticæ, quæ ab interiori parte costarum procedunt circa spinam dorsalem, & alterutrum latus intrant canalis thoracici.

His rebus explicatis, facile cognoscitur, quomodo lympha tot excursionibus submissa segniter procedere debeat; eoque magis, cum venæ lymphaticæ ex *una parte* sint tunica diaphana, gracili, fibris muscularibus orbata fabrefactæ, nullumque elaterium habeant, aut debilem valde, ut neque servare, neque augere lymphæ motum valeant; *ex altera* vero *parte* glandulæ conglobatæ, quas lympha permeat, ex vesiculis, aut cellulis conflentur ejusdem indolis communi membrana involutis, invicem communicantibus, ut lympha per per venas *afferentes* ibi affluens singulas cellulas percurrere debeat, antequam venas *deferentes* intret, quem cursum satis patet, fieri non posse, absque quo lymphæ motus retardetur. Anatomici tamen ab hac animadversione commoti modos perscrutati sunt, quibus lymphæ motus accelerari possit. Alii enim docuerunt, venas lymphaticas plerumque ab arteriis circumcingi, earumque pulsationibus esse obnoxias; alii magni fecerunt positum harum venarum in interstitiis musculorum, qui se contrahendo venas lymphaticas premunt, & motum lymphæ ita accelerant; utrique vero affirmant, easdem venas, præsertim cum ab inferioribus partibus veniant, innumeris valvulis sigmoideis instrui, quæ valent sustinere lymphæ ascendentis pondus, & subsequentis cursum fovere.

At hujusmodi utilitates, quamvis efficaces essent, impedirent potius stasim lymphæ in propinquis partibus, quod quidem sæpe evenit, nunquam tamen lymphæ segnitiem sanguinis saltem respectu tollere possent; id enim requiritur, ut lympha corporis nutritioni inserviat, cui operi est destinata, at supervacaneum est hæc perpendere, quæ nostrum institutum non respiciunt.

Sat enim erit concludere ex notionibus superius allatis glandulas lymphaticas, aut conglobatas, nunquam tumefieri, ut bubones, aut parotides producant, nisi lympha congeratur, & in earum cellulis subsidat; quod a triplici causa oriri potest.

Prima est spissitudo ejusdem lymphæ, quæ difficile cellulas omnes permeat, quas percurrere debet, ut ipsius cursus perficiatur.

Secunda est labefactatio roboris glandularum, aut occlusio communicationum cellularum, ut lympha necessario persistat.

Tertia tandem est confluentia utriusque simul præcedentis causæ.

I. Spissitudo lymphæ a pluribus causis procedit.

1. A qualitate sanguinis, qui lympham suppeditat, cum & ipse sit inspissatus alimentorum crassiorum usu, imperfectis digestionibus, animi passionibus, vel aliis innumeris de causis; nempe,

2. Ab externo frigore, cui interdum glandulæ subjiciuntur; qua de causa lympha inspissatur.

3. A lue venerea.

4. A fomite scorbutico.

5. A viro pestilentiale, quæ omnia lympham, quamvis diversa ratione inspissando, inquinant.

6. Ab admixtione puris, aut crassioris sanguinis partis; hac de causa in Erysipelate, inflammatione, aut ulcere alicujus partis, glandulæ intumescunt, quæ lympham refluentem recipiunt; hoc frequenter observatur in infantibus, qui caput aliquo morbo habent deturpatum, in quibus colli glandulæ a reducta lympha inflantur.

II. Imminutio roboris glandularum lymphaticarum, earumque cellularum intercepta communicatio pro causa recognoscunt contusiones ab ictibus, casibus, aut compressionibus validioribus; quapropter quotidie observamus mulieres a percutionibus mammarum tumoribus lymphaticis affici, qui tandem carcinomatosi fiunt.

III. Hæ duæ priores causæ quorum altera lymphæ, altera glandularum vitium respicit, simul facile collineant, & in glandulis tumores magis periculosos, atque curatu difficiles parit.

Quamvis omnes glandulæ corporis lymphaticæ æquabiliter sint hujusmodi causis obnoxiæ; bubones tamen, & parotides, videlicet tumores glandularum inguinalium, axillarum, atque parotidum magis frequentes sunt, quam tumores ceterarum glandularum; & hoc multiplici de causa.

1. Quia glandulæ inguinum, axillarum, atque aurium externo frigori magis subiiciuntur.

2. Quia ipsæ lympham recipiunt a partibus frigori magis expositis, ideoque illam recipiunt jam inspissatam.

3. Quia ipsæ uberiorem lympham accipiendo facilius etiam ejusdem stasim patiuntur.

4. Quia lympha ibi refluens magis spissa est, quia a partibus a corde magis longinquis derivat, ipsaque jamdiu a sanguine separata fuerit.

Speciatim parotides frequentes sunt in febre maligna.

1. Quia lympha magna copia tunc a capite refluit sanguinis ergo ibi congesti, phlogosim aut inflammationem producentis.

2. Quia lympha nonnihil tunc sanguinis particulis oneratur phlogosis causa in venas lymphaticas devoluti.

3. Quia ipsa sæpe affert portionem aliquam puris, modo parotides se prodant initio suppurationis.

Reliquorum tumorum respectu a parotidibus non admodum absimilium, qui glandulas axillares, sive inguinales occupant, tumores sunt potius œdematosi, quam

quam inflammatorii, quorum resolutio facile obtinetur; nam a lymphæ stagnatione in iisdem glandulis proveniunt, & in infantibus frequentes sunt.

In his subjectis enim lympha in glandulis facile subsistit; quia in ipsis crassior est, magisque gelatinosa, ac proinde ad stasim magis disposita, modo aliqua de causa novus gradus spissitudinis superaddatur; hoc inducere valet vitium digestionum, cui infantes sunt obnoxii voracitatis ergo, idemque parit externum frigus, cui exponuntur.

Symptomata.

1. Dum lympha in glandulis conglobatis subsidit, cellulæ omnes extendi debent, atque glandulæ tumefieri plus, minusve in ratione resistentiæ, atque infartus gradus.
2. Si glandulæ intumescentia cito perficiatur, compressio, quam patiuntur propinquæ venæ, erit in causa stagnationis sanguinis, ac proinde phlogosis, atque inflammationis: præsertim si cruor sui rarefactioni sit magis dispositus, quæ phenomena, vel nunquam, vel mitiora evenient, cum lente intumescentia glandularum procedat, minusque videatur sanguis rarescentiæ pronus.
3. Glandulæ tumor, ejusdemque renitentia a glandulæ ipsius magnitudine circumscribi debet.
4. Dolor, qui comitatur plerumque hujusmodi tumores, plus, minusve intensus est pro celeritate, amplitudine, atque gradu inflammationis ejusdem tumoris.
5. In inguinum bubonibus crura frequenter œdematosa fiunt in his glandulis lymphæ circulationis interceptæ ergo; simili de causa superiores artus intumescunt in bubonibus axillarum, sed hæc tunc potissimum accidunt, cum hujusmodi glandulæ cito tumefactæ fuerint; neque unquam œdema apparet, modo harum glandularum nonnullæ adhuc sinant lymphæ transitum; vel cum segniter, & ope congestionis tumor perficiatur: nam lympha novos cursus habet per glandulas musculorum propinquorum, deltoidis potissimum.
6. Pervigilium, atque febris, quæ effectus sunt doloris, in ejusdem ratione perstant.
7. Omnia hæc phenomena in reliquis pariter tumoribus similibus accidunt, sed mitiori gradu; nam lymphæ stasis lentius procedit, minori copia subsidit, neque conspicuam inflammationem parit, aut in iis glandulis dolorosam tensionem.
8. Posteriores enim tumores plerumque resolvuntur, quia lympha in his multum fluiditatis retinet; verum in infantibus, qui magis hisce affectibus sunt obnoxii, omnia vasa latiora, patula, atque facile permeabilia sunt, ideoque ad hauriendam lympham stagnantem magis idonea.

Causæ Differentiarum.

1. Fermentum gallicum, scorbuticum, aut pestilentiale bubones producit venereos pariter, scorbuticos, aut pestilentiales; febris maligna bubonem parit mali moris; & causæ vulgares simplicem tumorem.
2. Ostendimus jam, bubonem phlegmonosum oriri a glandulis cito tumefactis per viam fluxionis, in quibus sanguis subsidens facile sponte rarescat; œdematosum vero fieri, cum intumescentia lentius progrediatur, atque cruor sero-

serosus magis fit; scirrhosum denique bubonem perfici, cum in glandulis humor lente per viam congestionis detineatur, & lympha spissa magis fit.

3. Bubo unicus est, cum simplex glandula afficiatur, vel plures simul congestæ intumescant; contra in plures tumores divisus apparet, cum plures glandulæ corripiantur, & ipsæ invicem sejunctæ sint; tandem bubones oblongi, aut rotundi fiunt pro diversa glandularum tumefactarum configuratione.

Diagnosis.

1. Bubones, atque Parotides tumores sunt valde distincti ob eorum sedem, circumscriptionem, atque renitentiam, ut vix cum simplicibus phlegmonibus confundi possint. Ceteroquin visus, atque tactus docent, si ipsi prominentes, aut complanati sint; sive phlegmonosi, oedematosi, aut scirrhosi; si denique in resolutionem, aut suppurationem vergant.

2. Causæ bubonum a præsentibus circumstantiis deducuntur, si post suspectum, illicitumque coitum veniant, vel in subjecto jam venerea lue infecto venerei judicantur; scorbutici, si in scorbutico; Pestilentiales in peste affectis; ut maligni, qui febrim malignam subsequuntur. Citra has causas simplices sunt: quod pariter intelligi debet de parotidibus, ceterisque tumoribus.

3. Quamvis benigni reliqui tumores eandem bubonum, atque parotidum sedem occupent, facile a bubonibus, vel aliis malignis tumoribus distinguuntur, modo animadvertatur renitentiam, inflammationem, calorem, atque dolorem mitiori gradu pollere, nullamque febrem, vel levissimam adesse, ceteraque phenomena mitiora existant.

4. Multo minus hi tumores, qui ut superius admonuimus, *oreillons*, & *croissans* appellantur, cum phlegmonosis tumoribus confundi possunt, a quibus facile distinguuntur, tum positus ergo, quem occupant, cum limitum, quibus circumscribuntur.

Prognosis.

1. Bubones atque parotides periculo nunquam vacant, sed hoc causæ magnitudinem prosequitur; ideoque bubo pestilentialis multo magis periculosus est, quam malignus, & quam scorbuticus; hic, quam venereus; & venereus, quam simplex bubo.

2. Pro diversa tumoris qualitate bubones complanati prominentibus periculosiores sunt; phlegmonosi oedematosis; & scirrhosi magis pertinaces sunt, difficiliusque convalescunt phlegmonosis, & oedematosis.

3. Pro phenomemorum concomitantium genere difficilius judicantur ii, qui sero, vel nunquam, quam qui facile in suppurationem vergunt.

4. Pro sede, quam occupant bubones inguinales, segnius putrescunt, quam axillares; & parotides difficilius, quam inguinales.

5. Speciatim parotides maximum damnum afferunt, quia venas jugulares comprimendo, sanguinis a capite refluxum intercipiunt, ac proinde stasim augent.

6. Parotides perniciosissimæ observantur, si cum mentis aberratione superveniant; quia tunc, vel ab exuberanti inflammatorio cerebri infartu procedunt; vel (quod pejus est) ab ipsius suppuratione derivant.

7. Hujusmodi tumores contra salutares sunt, & judicatorii, si cum levami-

ne

ne symptomatum appareant, quia tunc ob resolutionem oriuntur, in qua, ut supra admonuimus, venæ lymphaticæ aliquot sanguinis guttulas semper resorbent.

8. Bubones, atque parotides majus periculum conjunctum habent, quæ febrim subsequuntur, quam si ipsam præcedant.

9. Valde periculosum est, si bubones, atque parotides, derepente sine manifesta causa evanescant; quia hujusmodi delitescentia pro legitima resolutione haberi nequit, sed suspicionem inducit alicujus metastasis, sive stagnantis humoris transfusionis in nobiliorem partem, ut frequenter accidit.

10. Quod ad reliquos supradictos benignos tumores attinet, qui infantes potissimum solent afficere, periculo plerumque vacant, & sponte evanescunt, modo ægros a frigore tueamur. Hi tumores enim neque valde renitentes, neque inflammati apparent, neque resolutioni rebelles.

Curatio.

Hic assignare non intendimus curationem, nec bubonum pestilentialium, nec scorbuticorum, nec venereorum; sed solum bubonum, & parotidum, qui aut in febre maligna evenire solent, aut sunt ab ordinariis causis producti.

Hæc curatio vel respicit remedia interna adhibenda, & tunc curatio *interna* appellatur; vel illa, quæ externe adhiberi debent, & tunc *externa* nuncupatur. Utraque est ex ordine exponenda.

I. In curatione interna.

1. Venam secare oportet in bubone, aut parotide, modo jam venæ sectio instituta non fuerit; & cum hi tumores maligni sint, pluries venæ sectiones sunt iterandæ; pro numero, aut magnitudine venæ sectionum, ratio habenda est tumorum conditioni, atque viribus ægri.

2. Circa victus rationem, ægri continuo jure, & ptisana alantur.

3. Adhibeantur etiam julapia, aut apozemata diluentia, & refrigerantia, cum boragine, cichoreo, nasturtio aquatico, additis etiam scabiosa, aut carduo benedicto, si pulsus status postulaverit, videlicet debilis valde sit.

4. Ægrum necessum erit purgare emetico, vel simplici cathartico juxta morbi indolem, ea pluries repetendo.

5. Tandem diaphoretica, & cordialia mitiora convenient, videlicet confectio hyacinthina, theriaca, pulvis viperinus, diaphoreticum minerale &c. si febris mediocris sit, & hæc remedia pulsus sinant.

II. Curationis externæ respectu;

1. Cataplasmata emollientia, & laxantia ad dolorem leniendum primo adhibentur, ex mica panis, vel ex oryzis cum lacte ebullitis, aut vino dulci, vel denique ex farina avenæ, cum lacte, & melle excocta.

2. Vitari debent resolventia, cito nimis applicita, eoque magis repellentia, quorum potissimus effectus est, glandulam indurare, & scirrhosam reddere.

3. Si bubo, aut parotis sponte evanescat, solo emollientium usu statim purgantia, atque diaphoretica repeti debent ad humorem per inferiora, aut per diaphoresim eliminandum, aut meastasin in nobiliorem partem impediendam.

4. Contra si bubones, & parotides persistant, maturantia, atque digerentia sunt applicanda, quæ suppurationem promoveant. Talia sunt cataplasmata ex pulpis malvæ, altheæ, brancæ ursinæ, radicis liliorum, cæparum, basilico, fermento veteri, & oleo liliorum; potissimum tamen emplastrum de diachylo compositum impendi solet.

5. Bubones, tum inguinum, tum axillarum minime aperiri debent, nisi perfecte suppurati, & molles appareant, modo symptomata non urgeant.

6. Cum glandulæ corpus solutum fuerit, per crucialem incisionem aperiri debet, angulos cutis remote forcipe scindendo, vel lapidem causticum applicando, qui aptiorem aperturam producit.

7. Parotidum respectu aperiri debent, antequam suppuratio perficiatur, ne ob compressionem, quam pariunt ipsæ venarum jugularium, cerebri infartum augeant.

8. Tutior methodus erit oblongo frustulo lapidis caustici juxta ejusdem longitudinem tumorem aperire, ut tali pacto glandulæ tumefactæ venter resolvatur. Deinde forcipe eschara tunditur, & butyro recenti, aut basilico promovetur superstitis casus.

9. Demum bubones, & parotides jam apertę, digestivo simplici, vel cum oleo simul hyperici, pulvere Myrrhæ, aut ejusdem tinctura pertractantur. Ulcere deterso vulgari methodo sanatur, videlicet cum balsamo Arcei, ut carnes restituantur, & sub fine balsamo viridi, quod cicatricem producat.

10. Si omnis glandula per suppurationem soluta fuerit, ulcus consolidatum, atque cicatrix cito restituta videbitur; at si glandulæ portio aliqua superfit indurata, erit forcipe aut escharotico rescindenda; ceteroquin si bubones, aut Parotides in scirrhum convertantur, remedia impendi debent scirrho appropriata, de quibus alibi disserturi erimus.

11. Quo ad reliquorum benignorum tumorum, qui prope aures, aut inguina nascuntur, curationem spectat, sat erit venam secare, & jura, atque apozemata refrigerantia præscribere, atque ægros lectulo detinere; denique tumores oleo camomillæ, aut lumbricorum terrestrium irrorantur, vel superimponitur lana pinguis, quæ prius fumo succini, aut ambari lutei exposita fuerit.

CAPUT UNDECIMUM.

De Pernionibus.

Descriptio.

Perniones, (a) quos Galli *Engelures* appellant, & Græci χείμεθλα quatuor diversa stadia nobis offerunt, quæ invicem distingui debent.

1. Manuum, aut pedum digitis, vel propinquis partibus levis intumescentia apparet, cum rubore, dolore, pauco calore, atque pruritu; pars affecta pressioni cedit, sed restituitur, vix ulla pressionis macula relicta, tunc morbus appellatur *incipiens*, seu *oedematosus*.

2. Aucta intumescentia, augentur calor, & dolor in eadem ratione, & pars magis rubicunda fit, ita tamen, ut a pressione albescat, & pernio *confirmatus*, aut *Erysipelatosus* dicitur.

3. In progressu, his omnibus eo magis auctis, tamen pars affecta rubedinem servat, adeo ut pernio *phlegmonosus* dicatur.

4. Tandem bullulæ efformantur, a quibus cutis scinditur, & perniones disrumpuntur, atque in ulcus degenerant, ideoque pernio tandem *ulcerosus* appellatur.

Sedes

(a) Italis *Bugancie*.

Sedes.

Neminem latet, perniones pedes, manusve circa digitos infestare, tum nares, labia, & externam faciem aurium deturpare, generice omnes corporis extremitates, præsertim cum frigoris insultibus exponantur.

Causæ.

1. Perniones, nisi hyemali tempore superveniunt frigoris ergo, præsertim cum de repente a callente ambitu ad frigidum, & contra, transitum facimus, quia tunc frigoris actio validior fit. Ea igitur est, quæ lymphæ spissitudinem producit, cui perniones tribuuntur.

Lympha inspissata in propriis vasis subsistit, vel redux etiam lente refluit, quam ob causam vasa lymphatica intumescunt, & tumor propinquæ parti communicatus, cutem elevat frigori magis expositam.

Hæc intumescentia a simplici lympha nata, *oedematosa* dicitur, neque colorem affectæ partis mutat; & quamvis pars hujusmodi mollis sit, tantum adhuc elaterii superest, ut affluens lympha suum cursum aliqua ratione prosequatur.

2. Lymphæ infartus continuatus, quin immo auctus, ita vasa lymphatica tumefacit, ut hæc propinquas venas comprimant, atque sanguinis circuitum retardent; quapropter tumor magnopere increscit, ruborque sensibilis magis fit, a pressione tamen adhuc evanescens, ut merito quidem tunc perniones *Erysipelatosi* dicantur.

3. Eadem causa persistente, sanguinis stagnatio continenter augetur, & pinguedini, atque membranæ cellulari, cuti substratæ communicatur, quod veram inflammationem producit, rubore, calore, atque dolore comitantibus; & Perniones tunc *phlegmonosi* fiunt.

4. Tandem e vasis lymphaticis, aut sanguineis valde turgentibus serositatis guttulæ stillant, quæ ab epidermide detentæ bullulas producunt, ut si disrumpantur, cutis scissuras faciant, in ulcera desinentes; ab his oriuntur *Perniones ulcerosi*.

I. Partes pernionibus magis obnoxiæ, ut superius diximus, sunt digiti manuum, pedumque, nares, labia, aures &c. & hoc duplici de causa.

1. Quia hujusmodi partes, cum a corde magis distent, sanguis ibi affluens, motus, atque caloris maximam partem amiserit, quod lymphæ pariter eveniet; ideoque facilius ipsa subsidet.

2. Quia eædem partes externo frigori magis expositæ sunt, tum earum positus, cum voluminis ergo.

II. Non sumus omnes æqualiter pernionibus obnoxii; nam experientia docuit, illos præsertim hoc morbo corripi, qui lympha spissa, viscosa, parumque salina donantur, ut infantes, mulieres, pituitosi, & abstemii.

Contra, Perniones nunquam infestant eos, qui lympha tenui, salina, & acriori præditi sunt, ut adulti, biliosi, & vini bibitores.

Symptomata.

1. In Pernionibus tumor initio albus apparet, dum simplex lympha retardatur; calet tamen, & dolet aliquantulum.

2. Pernio tunc mollis est, cum aliquo tamen elaterio, quia lympha subsidens nondum vasorum tunicas relaxaverit.

3. Cum sanguis ipse in pernionibus subsistat, calor, rubor, atque dolor augentur; nihilominus infartus nondum valet rubedinem a pressione servare.

4. Hæc phenomena validiora fiunt, prout turgentia vasorum sanguineorum intenditur, ut ultimum inflammationis gradum attingant.

5. A turgentibus tunc vasis sanguineis, & lymphaticis serositatis guttæ erumpunt, quæ cutem sublevando, bullulas gignunt in ulcerosas scissuras abeuntes.

6. Ab his scissuris statim ichor lymphaticus stillat; deinde uberior, & serosa valde puris species.

7. Perniones in quolibet stadio oedematosi, Erysipelatosi, & phlegmonosi sint, resolvi possunt, modo lympha priorem fluiditatem, atque cursum recuperet.

8. Dum ipsi resolvuntur, valde pruriunt; vel quia lympha affluens per cutin transpiret, vel quod semis exsiccata epidermis continuum pruritum excitet.

9. Tandem cuticula decidit ob ipsius exsiccationem, & a subtus posito tumore separatur, qui prout resolvitur, etiam constipatur.

Diagnosis.

Perniones valde cogniti sunt, & modo obscuri essent a super allata descriptione, satis superque paterent; nihil vero facilius est, quam ictu oculi varia stadia pernionum distinguere.

Prognosis.

Perniones plerumque periculo vacant; interdum tamen, sed raro ossa cariarunt; quandoque etiam in gangrænam desierunt, quod rarissimum est.

Difficillimum est, perniones sanare, modo frigus persistat, videlicet morbi causa, modo ejusdem impressiones non vitemus: at tempestate mitiori, & vere restituta, sponte pene convalescunt.

Curatio.

Generice hujusmodi pertractatio tria complectitur obiecta.

1. Præservatio ab hoc morbo, antequam occurrat.

2. Prompta sanitatis restitutio, modo superventus sit, dum perniones oedematosi, erysipelatosi, aut phlegmonosi tantum apparent.

3. Tandem pernionum resolutio, atque convalescentia, cum in ulcera desierunt.

I. Haud facile est a Pernionibus illos cavere, qui plerumque his sunt obnoxii. Unica methodus tamen est, sequentia auxilia amplecti.

1. Commonefacere ægros, ut sedulo a frigore se caveant; præsertim, quod perperam non calefcant, antequam frigus sensibile valde superveniat; neque refrigescant, dum adhuc calent: experientia didicimus, hujusmodi errores potissimum perniones producere, præsertim in infantibus, qui his magis sunt obnoxii.

2. Si

2. Si quis perniones pedum patiatur, caligas ferat ex lana, aut ex castore fabrefactas, quin immo aliquibus guttis spiritus vini imbutas, & pro manuum tutela digitalia concisa gestet simili materie confecta.

3. Bis in die (si fieri possit) decoctione raparum pedes, atque manus abluantur; eoque melius res procedet, si rapæ prius congelatæ fuerint, quia tunc succus mitior erit.

Ex hoc balneo exeuntes ægri, postquam pedes, atque manus absterserint, ipsas aliquibus guttis spiritus vini, aut aquæ hungaricæ aspergant.

4. Partes denique pernionibus minatæ lintei frustulo obducuntur, unguento imbuto ex cera virgine, terebynthina, & camphora, cum oleo lauri subactis confecto.

5. Tandem pedes, atque manus fumo exponuntur tabellarum, quæ ex myrrha, storace, & pauca cinnabari conficiuntur, verum prunis projiciuntur.

II. Si hujusmodi cautelæ inutiles evadant, pernionibus supervenientibus, efficaciora remedia impendi debent, quæ eorum resolutionem promoveant, vel saltem progressus impediant.

Hac de causa:

1. Pedes atque manus calida decoctione plantarum aromaticarum madefieri possunt, quales sunt salvia, anthos, lavendula, thymum, origanum, ruta; similiter valet decoctio radicis ciclaminis. Hujusmodi decoctiones non solum vino rubro perficiuntur, verum ipsis additur spiritus vini.

2. Partes affectæ etiam irrorantur spiritu vini camphorato simplici, vel sale ammoniaco consociato, cui pariter cedit urina calida, tinctura resinæ pini, oleum lumbricorum, lauri, aut philosophorum.

3. Hæc olea ceræ oleo superadduntur, in quo ebullierint rapæ cum pauca terebinthina; oleum similiter lauri usuvenit cum terebinthina, cera, aut adipe gallinaceo, cum tertio embammatis mustei subactum.

4. Suffumigia adhibentur tabularum propositarum articulo *præced. n.* 5. vel quod melius vertit, fumus solearum, aut cornu combusti.

5. Partes infirmæ obteguntur linteis præparatis, ut in *articul. præced. n.* 4. vel emplastro mucilaginis meliloti, de-Vigo, aut Norimbergæ.

III. Quamvis omnes hæ diligentiæ adhibitæ fuerint, frequenter perniones in diuturniori, & rigido hyeme exulcerantur.

1. In hoc casu persistendum erit in usu remediorum propositorum, quæ meliorem effectum ediderint, abluendo perniones vino calido, aut aqua calcis, cui paucæ guttæ aquæ-vitæ additæ fuerint.

2. Verum applicabitur emplastrum cerusæ diapalmæ, aut lintea super allata methodo parata; vel quod efficacius evaserit, pars affecta pertractabitur unguento confecto ex oleo ceræ, resina pini, colophonio simul fusis, quæ omnia detergunt, atque consolidant.

3. Ulcus in pernionibus quandoque citissime progreditur, ut ossa pertingat; in hoc casu supra os pulvinum spiritu vini imbutum, aut tinctura myrrhæ imponitur, ne caries superveniat.

4. Interdum necessum est, perniones, ut ulcera, petractare; tunc post ablutionem cum aqua *de balaruc* aut *barege* vel cum decoctione radicum aristolochiæ successive unguentum digestivum, balsamum Arcei, vel brunum, aut viride pro diverso morbi statu locum habent.

5. Raro remedia interna opportuna sunt, quia plerumque nullum habetur constans vitium in sanguine, aut lympha; ideoque diluentia, diuretica, & ape-

aperientia satis sufficient, videlicet Apozemata cichorii, nasturtii aquatici, cherophilli, tum jura cancrorum, aut serum lactis, cum tartaro martiale solubile.

CAPUT DUODECIMUM.

De sugillatione, aut Ecchymosi.

Descriptio.

Ecchymosis apud Latinos sugillatio, & apud Græcos ἐκχύμωσις est sanguinis expansio, levis interdum, sed plerumque in plura puncula distincta plus, minusve extensa, quam portionalis inflammatio subsequi solet, rubore, calore, & dolore comitantibus, obvia inflammationis symptomata.

I. Hæc expansio interdum superficialis est in cute tantum residens; interdum profunda, & in membranam cellularem, & adiposam, verum etiam subtus positos musculos inserta: prior vocatur Ecchymosis *superficialis*; altera *profunda*.

II. Frequenter hæc expansio lymphæ potius, quam sanguinis est, præsertim in infantibus, in quibus vasa sanguinea, quæ mollia sunt, ictuum impressiones effugiunt, quas patiuntur præsertim venæ lymphaticæ: frequenter tamen hæc expansio est, vel puti sanguinis, vel humoris valde cruenti, præsertim in adultis, & senibus: una species appellatur *lymphatica*; altera *sanguinea*.

III. Modo sugillatio supervenit, absque quo cutis erosa sit, & appellatur Ecchymosis sine *ulcere*; modo cutis corroditur, & Ecchymosis *cum ulcere* nuncupatur.

IV. Pro diverso gradu vehementiæ causæ producentis expansio grandior est cum grumis extravasati sanguinis, quando ampliora vasa disrumpuntur, & tunc *magnæ* Ecchymosis nomen sane meretur; modo contra expansio exigua, aut modica est, quando exigua vasa concisa fuerint, & tunc Ecchymosis *exigua*, aut *modica* vocabitur.

V. Plerumque hic morbus partes corporis molles tantum afficit; quandoque tamen ad ossa usque pertingit, ut facile in cariem abeant, aut *exostosim* circa contusam partem producat.

VI. Calor infirmæ partis idem semper non est; initio sanguis recenter expansus suam fluiditatem, atque colorem conservat; pars vero affecta rubra se offert; ipsa tamen livida fit, cum sanguis concrescens, & ipse nigrescat; dein nigredo paulatim evanescit, prout sanguis resolvitur, & circa finem pars lutea fit; frequenter hi colores circulos concentricos efformant, quorum niger centrum tenet, verum ruber, tertio luteum, ut iridem simul referant.

VII. Sugillatio quatuor habet desinentias; *prior* est resolutio, quæ sane proficua est, quia sanguis expansus, paulatim a lympha diluitur, & cum ipsa per venas lymphaticas transducitur.

Secunda est suppuratio, quando sanguis continuo in calidum locum affluens, ubi calor ab inflammatione augetur, arteriarum propinquarum pulsibus putrescit, & in fœtidum abscessum convertitur.

Tertia fit per indurationem, quando sanguis extravasatus exsiccatur, & grumos efformat, qui pariter exsiccantur, & scirrhi speciem producunt.

Quarta tandem omnium perniciosissima ea est, quæ in gangrenam desinit; tum ipsa oritur, quando serositas acris ab expanso sanguine scatens pervadit, de-

destruitque fibras propinquas, & oscillationes sistit, quæ vitalitatem partium constituunt.

Causæ.

Expansio lymphæ, aut sanguinis, quæ in sugillata parte fit, & ecchymosim constituit, a nulla causa procedit, quæ vasa, aut cutem rescindat; nam tunc ulcus produceretur, neutiquam sugillatio; sed ab iis causis, quæ valent vasa lædere cuti subtus posita absque ipsius cutis laceratione: istæ causæ ad contusionem & distractionem reducuntur.

I. Duplex est contusionis causa.

1. Casus, qui existimari debet ab altitudine, & pondere subjecti decidentis, tum a duritie corporis, in quod impingit.

2. Ictus, qui eo validius agunt, quo a fortiori brachio, majori numero, vel duriori corpore impelluntur.

II. Distractio in omnibus his casibus occurrit, ubi partes valide distrahuntur; vel cutem fodicando, artus sub luxatione extendendo, vel fune torquendo; quibus addi possunt distractiones, quæ fractorum ossium occasione in vicinis partibus fiunt, præsertim si fragmenta acuminata fuerint; pariterque ejusdem generis videtur distractio, quam patitur vesica sub introductione specillorum, aut uterus sub fœtus extractione, quando chirurgi necessariam diligentiam non impendunt.

Symptomata.

1. Morbi initio pars livida, & dolens perstat, at inflammatione superveniente, quæ post 24. horas evenit, calor, rubor, dolor, atque tumor se manifestant, quæ sunt obvia inflammationis phenomena. Denique febris ipsa, si sugillatio ampla admodum fuerit.

2. Modo inflammatio cito evanescat, & in parte affecta restituatur naturalis mollities, extravasatus sanguis facile resolvi poterit; quia oscillationes tunc restitutæ in lymphatica vasa paulatim magis solutum sanguinem impellunt, atque resolutione semel confecta leviores scissuræ, quæ sub cute reperiuntur, statim coalescunt.

3. Contra vero si inflammatio pertinax sit, cum resolutioni officiat, sanguis expansus facile causarum ergo cap. 3. explicatarum in pus convertetur. In hoc casu in parte affecta abscessus gignitur eo periculosior, atque extensior, quo major erit infirma pars in suppurationem vergens.

4. Quandoque sanguis siccus est, & grumi ejusdem inflammationis calore interdum ita exsiccantur, ut indurescant, atque tumoris scirrhosi speciem gignant, qui neutiquam resolvi poterit.

5. Quandoque etiam tantus est grumosus sanguis, atque induratus, ut omnes destruantur vasorum oscillationes, & partium vita pereat, vel (ut melius dicam) gangrena superveniat.

6. Cum horum phenomenorum aliquid eveniat, tutior methodus erit, infirmam partem dilaniare, ut infra videbimus, extravasatum sanguinem exprimendo, & ulcus simplex inducendo, quod vulgari methodo pertractabitur.

Diagnosis.

1. Sugillatio, aut Ecchymosis oculis statim se offert, & solo inspectu cogno-

gnoscitur, an lymphatica, sanguinea; ampla, vel exigua; superficialis, aut profunda sit.

2. Indoles phenomenorum docet, si pars affecta in resolutionem, suppurationem, indurationem, aut scirrhum, vel in gangrænam vergat.

3. Sugillationis positus, casus, aut ictûs magnitudo indicant, si ossa vel carnes tantum contusionem passæ fuerint.

Prognosis.

1. Generice contusiones minus periculosæ sunt, modo ossa fracta non fuerint.

2. Periculum tamen variat pro diversa morbi indole, ideoque ecchymosis sanguinea, lymphatica periculosior est; extensa mediocri; & profunda superficiali.

3. Pro diversitate partis affectæ. Nam si ossa afficiantur, majus periculum adest, quam in carnium sugillatione; tendines contusi majorem calamitatem afferunt, quàm cutis adeps, aut carnes contusæ.

4. Pro phenomenorum diversitate, ideoque magis periculosa est ecchymosis inflammata, quam non; magis suppurata, quam inflammata; tandem gangrænosa omnium periculosissima est.

Curatio.

Ecchymoses tria stadia habent.

1. Dum lymphaticæ sunt, mediocres, & vix sanguineæ.

2. Dum sanguinem detinent, ejusdemque grumos.

3. Dum abscessum, aut gangrænam minantur, vel tendines, aut ossa afficiunt.

I. Quando sugillatio lymphatica tantum est, idoneis remediis resolutio erit promovenda; hæc praxis plerumque benevertit, vel facile, si contrarium eveniret, curationis methodus institui poterit, quæ sanguineæ sugillationi conveniret, in qua,

1. Egrum pluries phlebotomizare oportet pro ictus magnitudine, aut ægri ætate.

2. Si affectus mitis videatur, leviora resolventia sufficient, ideoque applicari poterunt adeps suillum, mica panis, charta masticata, aut nux, quæ infantibus plerumque juvant; modo pars vinculo parum constricto comprimatur, quod intumescentiam impediat.

3. Si morbus intensior fuerit, atque adultos infestet, aqua vitæ simplex canphorata, aut sale ammoniaco consociata, vel aqua hungarica adhiberi solent, quibus lintea imbibuntur parti affectæ sæpius admovenda; cataplasmata ex foliis parietariæ contusæ, quorum succus exprimitur, & spiritu vini canphorato remiscetur, utilia evadunt; quia partis mollitiem diu conservant.

4. Si Ecchymosis his remediis obsistat, utiliter adhibentur radices brioniæ, sigilli salomonis sub cineribus excoctæ, tritæ, & in pulpam redactæ, quibus adduntur spiritus vini, oleum lauri, aut camomelli. Si cutis excoriata fuerit, applicatur ceratum diapalmæ, aut Galeni; postea remedia resolventia superimponuntur.

5. Si applicata remedia sanguinis stasim resolvant, in his erit persistendum; si contra, subsequens methodus amplectenda.

II. In sugillatione sanguinea, quæ ampla admodum sit, & grummosa, efficaciora auxilia impendi debent,

1. Majori diligentia, quam in præcedentibus casibus, venæ sectio erit instituenda, uberiores, & frequentiores venæ sectiones præcipiendo.

2. Re-

2. Resolventia tentari poterunt, sed scarificationes melius convenient, ut pars affecta statim a detento sanguine liberetur.

3. Scarificationes ergo plus, minusve profundæ impendi debebunt pro diverso statu, aut magnitudine morbi.

4. Post scarificationes sanguis extravasatus, quo magis fieri poterit, exprimetur, postea partem vino rubro, calido, simplici, vel cum spiritu vini simul abluendo, vel cum sola aqua vitæ, si major adsit partis suppuratio.

5. Infirma pars obducetur deinde pulvinis imbutis simplici digerenti cum pauca simul tinctura myrrhæ, aut aloes.

6. Hac methodo laudabilis suppuratio obtinebitur, qua perfecta ulcus pertractabitur vulgari methodo, videlicet balsamo Arcei, & sub fine balsamo viride, si opus erit.

7. Si margines ulceris sicci, & nigerrimi appareant, ut gangrenam minentur, destruentur applicatione unguenti bruni, lapidis caustici, aut infernalis, vel quod melius erit, forcipe abscindentur.

8. Cum eschara deciderit, suppuratio optime processerit; reliquum erit ea ratione ulcus pertractare, quam pluries descripsimus.

III. In sequentibus casibus diversimode erit agendum, prout singularis casus postulaverit; idcirco.

1. Si Ecchymosis in suppurationem tendat, suppurantia remedia erunt admovenda, qualia *cap.* 3. de apostemate, aut abscessu proposuimus. Denique aperto abscessu ulcus pertractabitur methodo *eodem cap.* indicata.

2. Si in gangrenam vergat, quod sedulo inquirendum erit, statim remedia omnia adhiberi debebunt superius proposita *cap.* 4. de gangrena.

3. Si sugillatio tendines afficiat, ut ipsi relaxentur, resolventibus remediis addi poterunt olea simul resolventia, qualia sunt illa lauri, camomelli &c. & si unquam animadvertatur intra thecam tendinum materiem deponi, prompte ipsam cultro abscindito, oleum terebinthinæ calidum, dissectis tendinibus, applicando.

4. Si Ecchymosis ossa aggrediatur, infantum respectu, id levioris momenti est, quia affectus in brevem exostosim desinit absque graviori periculo.

At in adultis os labefactatum interdum exfoliatur, & in hoc casu idoneis remediis ejusdem destructioni erit obsistendum, pulvina applicando spiritu vini, aut tinctura myrrhæ imbuta, aloem aut myrrham pulverizatam supra inspergendo; vel si opus sit, cauterium actuale admovendo, leviter nempe plus, minusve pro ossis qualitate candente ferro ipsum tangendo.

LIBER SECUNDUS
DE ERYSIPELATE ATQUE TUMORIBUS ERYSIPELATOSIS.

CAPUT PRIMUM

De Eryſipelate.

Deſcriptio.

ERyſipelas eſt tumor complanatus, ſuperficialis, cum vivido rubore, urenti calore, atque intenſo dolore, in quo rubor a preſſione evaneſcit; ea tamen ceſſante ſtatim reproducitur.

In Eryſipelate quatuor ſtadia diſtinguuntur.

1. *Initium*, ubi pruritus cum tenſione, & calore perſentitur, ſed rubor modicus adhuc apparet, & exiguum inſenſibiliter ſpatium occupat.

2. *Augmentum*, ubi rubedo intenditur, atque extenditur, & calor, tenſio, dolor ſimul augentur.

3. *Status*, in quo phenomena altiorem gradum attingunt, & cutis quaſi exiguis furunculis conſperſa videtur, a quibus ſcabra fit, & bullulæ producuntur.

4. *Decrementum*, quod per modum reſolutionis, ſuppurationis, & gangrenæ quandoque fit.

Hic Tumor apud Græcos Ἐρυσίπελας appellabatur; qua ratione Celſus ipſum vocabat; reliqui tamen latini ſcriptores ignem ſacrum illum appellarunt; & Galli Eryſipelatis nomen retinuerunt.

Differentiæ.

Eryſipelata in plures ſpecies dividuntur.

1. Eryſipelas verum ſive legitimum proprium characterem conſervat; at Eryſipelas ſpurium, quod phlegmonem, oedema, aut ſcirrhum æmulatur, dicitur phlegmonoſum, oedematoſum, aut ſcirrhoſum.

2. Eryſipelas, vel ſimplex eſt, quod nullum periculoſum ſymptoma comitatur; vel carbunculoſum, ſive gangrenoſum, ubi eryſipelatis portiones nigreſcunt, & in gangrenam abeunt.

3. Eryſipelas, vel lævigatum eſt abſque tuberculis, aut bullis; vel tuberculoſum, & ſcabrum; vel bullulis interſperſum, dum cutis a pluribus ampullis deturpatur.

4. Eryſipelas fixum eſt, quando unum poſitum conſtanter retinet; aut ambulans, ſi huc illuc per varias corporis partes pervaget.

5. Tandem Eryſipelas hujus generis eſt, quod in reſolutionem terminatur; vel quod in ſuppurationem tendit; aut tandem quod in gangrenam abit.

Sedes, & Causæ.

Certum eſt eryſipelas eſſe peculiarem cutis morbum, vel proprie loquendo, ejuſdem inflammationem. Id confirmatur:

1. Quia cutis manibus comprehenſa totus morbus elevatur, nullaque reſiſtentia perſentitur.

2. Quia ſuppuratio, & gangrena, ubi in eryſipelate ſuperveniant, initio ſaltem hujus calamitatis ſolam cutim deturpant.

3. Quia cutem premendo rubor evaneſcit; quod confirmat, cutem tantummodo affici.

Ut clare procedamus in natura, atque cauſa hujus affectus perquirenda, prius cutis ſtructuram, atque diverſas partes quibus conflatur, explicare neceſſum erit; eoque magis cum reliqui tumores eryſipelatoſi, de quibus in hoc libro acturi erimus, omnes cutin occupent.

In cute tres partes obſervantur inter ſe diverſæ: externa ſuperficies, alia ratione epidermis, ſive cuticula appellata; membrana reticularis ſive membrana mucoſa; & cutis proprie dicta.

I. Epidermis exiliſſima eſt membrana, quæ totum corporis ambitum obtegit, quæ arctiſſime membranæ reticulari ſubtus poſitæ adhæret. In ipſa fibræ non animadvertuntur, pluribus tamen perfoſſa foraminibus ſe offert, per quæ tranſeunt canales excretorii ſudoris, & humoris ſebacei, pili, atque inſenſibilis perſpiratio. Hæc membrana unam undique tenuitatem nunquam retinet; ſubtiliſſima in facie videtur, in corpore craſſior, atque extremitatibus; in volis manuum, plantiſque pedum; tandem craſſiſſima in his præſertim, qui magni deambulatores ſunt; ſed hæc membrana, quamvis tenuis ſit, pluribus lamellis conflatur, ut in herpete farinaceo apparebit, ubi ſuperficies pluries ab eadem parte ſeparatur.

II. Membrana reticularis, ſive mucoſa immediate cuticulæ ſubſternitur, cui illa fortiter adhæret, reticularis appellatur, quia innumeris exiguis cellulis conflatur in retem diſpoſitis, & humore lymphatico repletis, parumque viſcoſo, cui muci nomen tribuunt; veriſimile eſt, hunc humorem per membranæ reticularis parietes ipſos, ſive loculamenta ſecerni, atque hanc membranam cutis, atque cuticulæ mollitiem ſervare. Dum prædictus humor naturalem diaphaneitatem retinet, cutis proprium colorem conſervat; at ſi mucoſus liquor perturbetur, cutis color pariter pervertitur; ceteroquin, ut ſupra enunciavimus, reticularis membrana utrinque omnino perfoſſa eſt, ut per ejuſdem foramina ſudoris meatus, humor ſebaceus, pili, papillæ nerveæ, atque inſenſibilis tranſpiratio tranſabeant.

III. Cutis proprie dicta pro antica facie nuper deſcriptam membranam habet; intus vero intime adhęret membranæ cellulari, quæ ipſam ſubſequitur; pluribus cutis fibrarum tendinearum ordinibus componitur, quæ fibræ inordinate ſimul texuntur, ut facile inſpicitur in corio, vel alia præparata pelle. Inter illas fibras plures intromittuntur arteriæ, atque venæ, quæ evehunt, revehuntque ſanguinem; inſuper venæ lymphaticæ, quæ lympham ibi deferunt, atque auferunt; tandem nervea filamenta, quæ cutis ſenſum faciunt. Inter eaſdem fibras, atque in omni cutis textura quatuor partium ordines locantur, quos infra explicabimus.

1. Innumeræ fere glandulæ pęne ſphericæ ibi reperiuntur, quæ microſcopii auxi-

auxilio tantum distingui queunt; ipsæ appellantur cutaneæ positus respectu; quem occupant; & miliares similitudinis ergo cum milii granis. A singulis glandulis exiguus canalis excretorius oritur, qui, postquam membranam reticularem perfoderit, in superficiem cuticulæ panditur. Hæ glandulæ sudoris secretioni sunt destinatæ, quod indicat ipsas cavas esse, ac proinde in centro exiguam cavitatem habere, ubi humor sudoris, prout secernitur, colligi soleat a quo per excretorios ductus in cuticulæ superficiem deferatur. Hæc secretio sudoris quotidie fit, non una tamen copia æque, ac de lacrymis evenit: cum modicus sudor sit, avolat, atque cum insensibili transpiratione confunditur; at si uberior fuerit, tunc cuticula apparet, innumeris sudoris guttis consperfa, ut sensibilis admodum fit hujusmodi excretio.

2. Glandulæ, aut vasa sebacea in spissitudine cutis locata sunt exigua vasa cylindrica, altero extremo occlusa, altero vero reticulari membrana perfossa, in externa corporis superficie patula, ubi insensibiliter humorem oleosum fundunt, a sebo liquato haud absimilem; quare hujusmodi vasa sebacea nuncupantur. Ea æquabiliter per omnes cutis partes non distribuuntur, præsertim abundant in parte capitis capillata circa nares, collum, atque scapulas, ut cutis in illis partibus oleosa appareat, & indusia, modo sæpe non immutentur, oleo imbuta remaneant. Quandoque etiam cutem premendo in iis partibus exigua filamenta densi humoris prosiliunt, quæ sebum æmulantur, non abs re fortasse putant, hunc humorem ad partes obliniendas, tuendasque esse destinatum.

3. Capsulæ tendineæ, quæ figura ovali a granis hordei non absimili donantur, radices pilorum, atque capillorum complectuntur. Hæ capsulæ æquabiliter non disperduntur per omnem corporis ambitum, neque æque abundant. Tandem non unam in singulis subjectis magnitudinem servant, quod sufficit ad varietates explicandas, quas in numero, & natura pilorum Physici animadverterunt. Hæc materies tamen infra fusius pertractabitur.

4. Papillæ nerveæ, quæ in externa cute prominent, pyramidali figura plerumque pollent, membranam reticularem perfodiunt, donec in superficie patescant; hæ papillæ pluribus filamentis conflantur tendineis simul staminibus intertextis; ipsæ pro sensus organo habentur, eoque magis cum confertiores sint, ubi sensus vividior est, ut in extrema digiti pulpa.

5. Tandem animadvertendum est, quod præter foramina, quæ membranam reticularem, & cutem perfodiunt, eædem membranæ innumeris alterius generis foraminulis præditæ sint, ubi insensibilis perspiratio erumpit, quæ a sudore admodum diversa est.

Textura cutis ita explicata, facile deducitur, quales partes erysipelatis productionem promoveant. Diximus jam erysipelas esse cutis inflammationem; ergo necessum est juxta leges inflammationis superius *lib.* I. *cap.* I. explicatas, quod in affecta parte,

1. Sanguis persistat, & in vasis congeratur, ideoque partem inflet, atque distendat; & ita primus gradus erysipelatis producitur, sive erysipelas per *stagnationem*.

2. Sanguis, prout vasa dilatabit, novas in venis lymphaticis sibi pandat vias; quo in casu hæ venæ rubicundæ, & tumidæ fient, & hic erit secundus gradus erysipelatis, sive erysipelas per *irruptionem*, aut *deviationem*.

3. Prout vasa sanguinea, atque lymphatica lacerabuntur, sanguis per cellularem dispersus ultimum gradum erysipelatis pariet, sive erysipelas per *extravasationem*.

Cum tres hujusmodi status simul ita congruant, ut alter altero succedat; su-

supereſt cauſas cognoſcere, præſertim quæ in priori caſu in alterutra parte ſanguinem detinent; ipſæ ſunt;

1. Compreſſio, quæ lumen venarum coarctat, quæ ad refluentem ſanguinem recipiendum deſtinabantur.

2. Conſtrictio harum venarum, quæ ſimilem effectum gignit.

3. Ambæ cauſæ ſimul junctæ idem quoque, ſed validius præſtare poſſunt.

Hujuſmodi cauſæ porro, ut eryſipelas producant, prompte, & vehementer agere debent, ut in inflammatione docuimus; ſecus ſtagnatio parvi momenti produceretur, quæ neque inflammatoria, neque eryſipelatoſa videretur; ideoque has cauſas eryſipelas producentes, ſigillatim magis perquirere noſtrum erit.

Prima cauſa Generalis. Vaſa venoſa cutis, niſi a glandulis *miliaribus* comprimi poſſunt, quæ tumefactæ venas valide premunt, per earum anfractus reptantes, quod neutiquam tribuendum eſt ſebaceis glandulis, quæ dulcem, & oleoſum humorem ſecernunt. At ad glandulas miliares revertendo, ipſæ inflari nequeunt, niſi a ſudoris ſtagnatione, quem ipſæ ſeparare ſolent, idque triplici de cauſa evenire videtur.

1. Ob denſitatem hujus humoris, quæ per canales excretorios liberum ejuſdem exitum impedit.

2. Ob acrimoniam ipſius humoris, quæ ductus excretorios irritando, ipſos corrugat, atque in eorum cavitate ſecernendum liquorem detinet.

3. Vel ob confluentiam ambarum cauſarum.

I. Humor ſudoris multiplici de cauſa, & in diverſis circumſtantiis ſpiſſus evadit.

1. Pro ſpiſſitudine ſanguinis, quæ conſequitur pravam nutritionem, imperfectam digeſtionem, & moleſta pathemata.

2. Pro indole alicujus extranei fermenti, venerei nempe, aut ſcorbutici, quo ſudor inficitur.

3. Pro admixtione viſcidæ, & concreſcentis bilis in ſanguine detentæ.

4. Pro externo frigore, quod ſanguinem inſpiſſando ſudoris fluiditatem ſimul imminuit.

II. Sudor acer fit pluribus de cauſis ſimiliter, videlicet.

1. Cum ſanguis acrimonia peccet propter uſum nimium alimentorum acrium, ſalitorum, atque aromaticorum, vel abuſu liquorum ſpirituoſorum.

2. Cum cruor acrimonioſam ſalſedinem contrahat pro magno tempeſtatis æſtu, exercitio nimio, immoderato veneris uſu, ira &c.

3. Cum multa acri, & urenti bile oneretur ſanguis occaſione obſtructi, aut alio modo labefactati jecoris.

III. Ambæ nuper indicatæ cauſæ, ſpiſſitudo nempe, & acrimonia hujus humoris ſimul concurrere poſſunt, imo reapſe concurrunt ſequentibus modis.

1. Quando ſanguis una ſiccus, & acer ſit, ut humorem pro ſudoris ſecretione ſuppeditet acrem, ſpiſſumque.

2. Quando extraneum fermentum ſanguinem inficiat, quod ſudori ſpiſſitudinem, & acrimoniam communicet, ut frequenter a celtica, & ſcorbutica lue derivat.

3. Quando bilis, qua ſudor imbuitur, pariter ſpiſſa, & acris ſit, propriaſque qualitates ipſi communicet.

4. Quando frigus externum tandem, quod ſudorem inſpiſſat, adverſus humorem jamdiu acrimonioſum agat.

Secunda cauſa generalis; venæ cutis nequeunt coerceri, niſi per convulſivam

constrictionem, vel quod idem sonat per erethismum fibrarum tendinearum; cutis, quæ ipsas circumvestiunt: id multiplici de causa oriri potest.

1. Per applicationem emplastrorum, oleorum, aut pinguedinum irritantium.

2. Per ictum animalis, aut insecti venenati.

3. Per vesicatoria.

4. Per solis, aut ignis ardorem.

Tertia causa generalis. Ambæ causæ generales nuper propositæ, videlicet compressio glandularum miliarium, & crispatio fibrarum tendinearum cutis simul concurrunt, quotiescumque aliquæ ex causis sudorem inspissantibus inflando glandulas miliares venarum cutanearum compressionem inducant; deinde altera ex causis erethismum fibrarum tendinearum producentibus venas constringat uno, eodemque tempore, quod harum causarum affinitatem demonstrat.

Theoria erysipelatis igitur innumeris animadversionibus occasionem præbet, sed præcipue,

1. Inter causas hujus morbi nonnullæ topicæ, aut locales sunt, hæque in partem affectam agunt sejunctim ab omni prævia dispositione.

2. Aliæ generales sunt, & hæ in hunc vel alterum cutis locum agere debent ob aliquam hujus partis anteriorem dispositionem, vel aliam causam, aut circumstantiam externam, & accidentalem.

3. Erysipelas a simplici sudoris spissitudine procedens phlogosis tantum est, ubi rubor, calor, dolor, tensio, atque pruritus modici sint.

4. Ea, quæ dependet a sola acrimonia ejusdem humoris, magis inflammatoria est, eamque idcirco comitantur altiori gradu calor, rubor, dolor, tensio, atque pruritus, ut revera erysipelas vocari possit, sed *prioris speciei*.

5. Ea, quæ ab utraque simul causa, spissitudine nempe, & acrimonia sudoris procedit, eo magis erysipelatis nomen meretur; quia symptomata concomitantia sæviora sunt, & pro erysipelate *secundæ speciei* est habenda.

6. Præterea, quæ postremam compositam causam agnoscit, cum erethismo simul fibrarum tendinearum cutis, omnium maxima est, tum ratione teterrimorum symptomatum, cum futuri periculi causa, eaque *tertiam speciem* erysipelatis producit

7. Erysipela[illegible]ioris gradus, sive per *stagnationem* semper resolvitur; altera secundi gradus, si[illegible] per *irruptionem* frequenter, & ipsa resolvi solet; sed illa tertii gradus, [illegible] quæ per *extravasationem* fit, nunquam pene resolvitur, sed in suppurationem tendit, aut in gangrænam quandoque.

8. Generice erysipelas frequentius virili ætate supervenit, ubi sanguis, atque bilis acriores, & spissiores sunt, quam in infantia, aut senectu, in quibus humores isti fluidiores sunt; eadem de causa, erysipelas crebrius æstate, quam autumno, aut reliquo tempore apparet; frequentius in meridianis provinciis, quam septentrionalibus; in hominibus, quam in feminis; in biliosis, quam in phlegmaticis; in bibaculis, quam in abstemiis; in excedentibus tandem, quam in temperatis.

Symptomata.

1. In omni erysipelate tumor adest, quia vasa sanguinea tumefacta illius partis volumen inflant.

2. Sed hic tumor complanatus apparet, quia in cute tantum residet, quæ brevi crassitie donatur, verum quia intumescentia a subtilissimis capillaribus vasculis producitur, quæ parum dilatari queunt.

3. In hoc morbo rubor affectæ partis vividus est, tum quia sanguis per innumera tenuia vasa distribuitur, quæ majorem superficiem offerunt; tum quia sanguis omnem suam rubescentiam ostendit, cum a sola epidermide obducatur.

4. Calor urens tangenti se præbet, quia pars inflammata immediate tangitur; ideoque omnis inflammationis calor persentitur; & ipse æger maximum calorem persentit, quia cutis, ubi morbi sedes est, partibus reliquis sensibilior est.

5. Dolor in erysipelate intensissimus est, quia respondet sensibilitati cutis & acrimoniæ humoris per vasa tumefacta transudantis, qui partem lacessit.

6. Sed hicce dolor minus tensivus est, quam in phlegmone, quia tumor in cute exilior pariter est.

7. Continuus pene pruritus persentitur, qui ab acrimonia producitur humoris in glandulas miliares affluentis, aut a poris turgentium vasorum erumpentis, quique ambarum causarum compositæ actioni respondet.

8. Quantumvis vividus appareat Erysipelatis rubor, a compressione tamen evanescit, quia tunc comprimuntur, ac proinde evacuantur vasa, quæ turgida ruborem producebant; sed revertitur color statim, ac compressio tollitur, quia vasa a compressione depleta, iterum sanguine inflantur.

9. Quando tumor glandularum miliarium, & crispatio fibrarum tendinearum uno, eodemque gradu integrum ambitum erysipelatis afficiunt, intumescentia uniformis, & erysipelas *æquabile* est.

10. At si tumor, & erethismos inæquabiliter agant, inflatio inæqualis erit, & erysipelas *scabrum*.

11. In illis partibus, ubi causæ erysipelatis validius agunt, sanguis successiva congestione, atque pressione serositatis partem relinquit, quæ ab epidermide coercita bullulas gignit plus, minusve conspicuas in ratione congesti sanguinis, & numero turgentium portionum.

12. Quotiescumque humor erysipelatosus in parte affecta omnis deponitur, erysipelas ibi *fixa* persistit, neque ultra extenditur; sed si ejusdem pars aliqua nunquam deponatur in sanguine superstes, per vices propinquas partes infestabit, ideoque erysipelas extendetur, & *ambulans fiet*.

13. Erysipelas in *phlegmonem* desinit, quando compressio, quam vasa cutis patiuntur, aucta membranæ cellulari communicatur. Verum in *Oedema* vergit, quando compressio satis quidem imminuitur, ut nequeat sanguinis circuitum intercipere, vel leniter saltem, sed nihilominus in venas lymphaticas adhuc agit, donec ex detenta lympha oedema producatur. Tandem in *scirrhum* mutatur, quando glandulæ miliares denso humore turgidæ, aut calore exsiccatæ gignunt tumores duros, atque scirrhosos.

14. Erysipelas febrem sequitur, quando humor vitiatus in sanguine stabulans, qui febrem producit, sudorem inquinat, & glandulas miliares deturpat; si hic humor omnis deponatur, febris evanescit, prout erysipelas increscit, quæ tunc *critica* appellatur; sed *symptomatica* dicitur, quando humor ex parte deponitur, ut qui in sanguine superest, febrem detineat.

15. Contra febris erysipelatis consequens est, sive symptoma, modo effectus sit doloris, aut acris humoris a parte affecta in sanguinem transeuntis.

16. Modo glandulæ miliares depletæ fuerint, & filamenta tendinea prius contracta satis laxa videantur, sanguinis circuitus restituetur, & erysipelas in

 reso-

resolutionem erit abitura. Sed *suppuratio* superveniet in oppositis casibus ab his haud absimilibus in phlegmone suppurata indicatis.

17. In erysipelate suppuratio plerumque externam faciem cutis primum occupat, quia ibi major infartus producitur; tunc in superficie plures apparent suppurantes portiones, quæ in unum conjunctæ unicum superficiale ulcus producunt. At cum suppuratio ad internam cutis faciem incipiat, abscessus producitur plus, minusve extensus, in quo fusum pus facile membranam cellularem deturpat, nisi lanceola aperiatur.

18. Quando tumor vasorum sanguineorum maximus sit, ut hæc contrahi nequeant, & tonica persistant; tunc oscillationes in parte affecta cessant, & gangrena apparet etiam ante suppurationem; quandoque etiam acrimonia puris destruit cutis texturam, omnesque pariter oscillationes aufert, ideoque gangrena post suppurationem se manifestat.

Diagnosis.

I. Existentiam erysipelatis ostendunt signa huic tumori propria, quæ sunt spissitudo, tensio, renitentia, rubor, calor, atque cutis dolor, tali pacto tamen, ut rubor a simplici pressione evanescat, quod erysipelas a phlegmone distinguit.

II. Solo inspectu quo aggreditur, de erysipelatis qualitate judicium profertur; eo enim distinguitur simplex, vel phlegmonosum; scirrhosum, aut oedematosum; tum carbunculosum, vel non; scabrum, vel lævigatum; ampullis interspersum aut æqualiter cuti adhærens erysipelas.

III. Diligens medicus facile distinguere debet ob morbi persistentiam, aut symptomata supervenientia stadia erysipelatis diversa, nempe incrementum, progressum, statum, decrementum, ut moderari valeat remedia exhibenda.

IV. Debet pariter cito prænoscere morbi exitum, nempe si ipse in resolutionem, aut suppurationem vergat; verum etiam in gangrenam tendat, ut idonea remedia applicare valeat.

V. Cognita natura, & specie erysipelatis causæ veniunt distinguendæ, videlicet si internæ sint, ut vitia sanguinis, & sudoris; vel externæ & accidentales simpliciter; id tamen dignoscitur ab ægri narratione cum proposita morbi theoria comparata.

Si erysipelas a causa interna procedat, animadvertendum est, si ea sit spissitudo, aut salsedo ipsius humoris, quod recognoscitur a gradu pruritus.

Si contra causa externa, aut accidentalis morbum faciat, antecedentium historia causam satis declarabit.

VI. Tandem attendendum est naturæ febris concomitantis: ea enim *essentialis* esse potest, si erysipelas præcesserit. *Symptomatica*, si subsecuta fuerit; maligna etiam, vel continens simpliciter; tandem homotonus, vel remittens quibus medela respondere debebit.

Prognosis.

Erysipelas quandoque periculo vacat, quandoque summum conjunctum habet.

I. Ipsum periculo caret, parvique faciendum est, cum *intensio* atque *extensio* parvi momenti sint; quando truncum, aut extremitates corporis occupet, vel sine febre insurgat, vel levem saltem comitem habeat; quando externam causam recognoscat; verum si facile in resolutionem vergat.

II. Ery-

II. Eryſipelas contra in oppoſitis caſibus ſemper periculoſum eſt; ſed periculum augetur in ſequentibus circumſtantiis potiſſimum.

1. Eryſipelas caput infeſtat, præſertim ſi omnes vel maximam partem occupet, quia facile ſuſpicandum erit, quod partes internæ inflammentur.

2. Quando collum afficiat, præſertim ad modum cinguli, & tunc appellatur ζωστὴς quia venas jugulares circumcingit, impeditque a cerebro ſanguinis regreſſum.

3. Quando hic affectus febrem malignam continuam, vel remittentem comitem habet; nam præter proprium periculum, illud febris jungitur.

4. Quando eryſipelas deleteriæ indolis eſt, ſcabrum, carbunculoſum, aut bullis conſperſum, quod acrimoniam morboſi laticis indicat.

5. Quando a cauſa interna procedat in ſubjecto cachetico, ubi ſanguinis vitium difficillime corrigi poteſt.

6. Quando morbus in ſuppurationem deſinit, præſertim cum pus in cellulari tela producatur, ubi facile ſerpit.

7. Quando eryſipelas in gangrænam, aut ſphacelum terminat, cujus progreſſus difficillime cohibentur.

8. Quando tumor ſemel apparſus ſtatim retrocedit abſque ſymptomatum levamine, quod in nobiliorem partem morboſi fomitis metaſtaſim prænunciat.

Curatio.

Hujus morbi medela complectitur curationem internam, & genericam eryſipelatis; verum externam, & magis ſpecialem, tum benigni, cum maligni eryſipelatis.

I. Curatio interna eryſipelatis eadem ſane eſt, ac illa phlegmones. Nam eryſipelas, & ipſum nil aliud eſt, quam cutis phlegmone, quare conſuli poteſt, quod circa phlegmone dictum eſt: generice curatio interna hujus morbi vehementiæ eryſipelatis, & indoli febris concomitantis reſpondere debet.

1. Si Eryſipelas ſuperveniat, nullo præcedente morbo, primis diebus quinque, vel ſex vices erit vena incidenda. Paulo minus vena ſecari debebit, ſi hic affectus febrem ſubſequatur, cum jam pluries in morbi progreſſu ſecari debeat. Si eryſipelas partes ſupremas occupet, faciem præſertim, collum, aut reliquum caput, ex pede venæ ſectiones veniunt inſtituendæ; contra vero ex brachio eſt mittendus ſanguis, ſi tumor partes poſt cor locatas, infeſtet; numeri vero & quantitatis reſpectu extrahendi ſanguinis ratio habenda eſt morbi ſtatui, febris vehementiæ, atque ægri viribus.

2. Tunc temporis tenuiſſimo victu æger utatur. Si eryſipelas eſſentiale ſit, ptiſana tantum, aut juſcula tenuiora primis diebus exhibeantur; ſed ſi eryſipelas ſymptomaticum videatur, vel alium morbum ſubſequatur, juſcula craſſiora permitti poterunt, ſimulque opportuna ſunt clyſmata purgantia, ad craſſa inteſtina repurganda, eaque ad ulteriorem purgationem præparanda.

3. Semel vaſis depletis æger efficaciter purgari debebit. Si eryſipelas caput, vultum, aut collum occupet, ne cerebrum etiam infarciat, tartarum ſtibiatum, ſolubile, idoneo vehiculo ſolutum ad tria, vel quattuor grana eſt exhibendum; & cum vomitus deſiſtat, emetici virtus erit ſuſtinenda potionis ope ex ſenna, ſale vegetabili, & manna confectæ; ſi morbus minus urgeat ſat erit eam potionem exhibere, & cum inferius agere incipiat, ejuſdem actio intendi poterit cum duplici, vel triplici grano tartari emetici, ſolubilis in aquæ tepen-

tis sextario partitis vicibus singula semis hora sumendi, quod sine vomitu valide purgabit.

4. Post ea remedia singulis diebus apozemata nonnihil purgantia propinari poterunt, identidem supradictam purgationem reiterando cum, vel sine emetico, prout morbus postulaverit; imo venæ sectio iterum institui poterit, si febris aut tumor intendatur.

5. Post purgationem quotidie vespere julapium, aut emulsio exhiberi poterit addita circiter uncia syrupi nympheæ cum 25. guttis tincturæ anodynæ ad febris ardorem, atque dolorum cruciatus compescendos.

6. Tandem jura leviora erunt propinanda; initio præsertim, & in progressu opportunissima erit larga potatio aquæ pulli cum seminibus, vel ptisanæ graminis, cum pauco syrupo hordei, aut nympheæ.

II. In curatione erysipelatis benigni externa.

1. Omnia remedia sunt vitanda pinguedinosa, aut oleosa, videlicet cremor lactis, butyrum cacai, oleum liliorum, oleum ovorum, rosatum; pariterque cerata omnia, atque emplastra, quia ipsa poros cutis obstruendo transpirationem imminuunt; ac proinde morbum augere valent.

2. Diligentius vero proscribi debent remedia adstringentia, aut repellentia, uti bolus, lithargirium, terra cimolia &c. quia exsiccant, atque indurant cutim, morbique resolutionem impediunt.

3. Caute impendi debent remedia, quæ refrigeranti virtute pollent; hujusmodi sunt succus solani, plantaginis, sedi, tum acetum rosatum, quæ nisi urgenti casu, ut infra videbimus, adhiberi poterunt; nam sanguinem detentum inspissando impediunt, vel saltem retardant resolutionem, aut suppurationem, cum non levi gangrænæ periculo.

4. Optimum enim erit consilium, modo dolores ferri queant, a remediorum applicatione penitus abstineri; sed si cruciatus modos excedant, pars affecta lacte vaccino, madefieri poterit, in quo ebullierint flores sambuci, vel decoctione tepenti radicis altheæ, ubi parum croci infusum fuerit; hanc indicationem pariter impleverit aqua destillata spermatis ranarum frigida, vel calida, tum leve cataplasma ex mica panis, lacte & croco sine ovi luteo confectum; tandem in excessu doloris cataplasma admoveri poterit ex pulpa paratum hyoscyami, solani, mandragoræ &c. sub cineribus excoctæ; sed non erit in his remediis diu persistendum.

5. Modo inflammationis vehementia, atque dolor sit imminutus, ut resolutionis indicia appareant, ipsam auxiliari poteris applicatione lintei, spiritu vini madefacti cum aqua calcis tepenter commixti.

6. Sæpe sæpius erysipelas excoriatur: si excoriationes leviores fuerint parvi faciendæ videntur; sed si grandiores apparuerint sunt linteo cooperiendæ, cerato Galeni inducto, sine aceto confecto, vel pauco ovi luteo semis indurato.

7. Prout erysipelas resolvitur, atque cutis detumescit, epidermis, quæ extensa fuerit, exsiccatur, & in innumera fragmenta scinditur, quæ molestum pruritum faciunt; sed hic lenitur partem madefaciendo lacte, aut decoctione tepenti radicis bismalvæ.

III. Dum erysipelas resolutionis spem promittit, enunciata methodus est adhibenda; at si dies 7. 8. 9. & 10. sine resolutione transeant, & tumor sedem non mutet, pro maligno haberi debet, neque sine graviorum phenomenorum adventu valetudo erit expectanda, quare sequenti ratione præoccupari debebit.

1. Si erysipelas alias partes præter vultum deturpet, incidi poterit plus, minusve,

nusve, prout infirma pars permiserit; difficilius hac methodo in facie utimur, at quandoque ob maximum periculum sævioris morbi cogimur.

2. Postea incisa pars oleo ovorum cum tertia parte tincturæ myrrhæ, vel saltem aquæ vitæ camphoratæ commixto obducitur, hac mixtura imbibendo linteola scarificationibus admovenda.

3. Si suppuratio manifestabitur in externa cute, vulgari ratione suppurata pars pertractabitur, videlicet applicando basilicum cum tinctura myrrhæ simul, aut pauco spiritu vini camphorato; verum ulcere deterso balsamum Arcei frequentius usuvenit.

4. Cum pus cellularem telam intimius dilaniet, minime multiplici incisione profundiorem suppurationem prosequemur, sed utilius erit ultra partem affectam lateraliter cutem incidere, ut morbi progressus ex ea parte cohibeantur: plerumque unica scarificatio sufficiens esse solet, modo cutis alte incidatur.

5. Cum animadvertamus erysipelas in gangrænam tendere, protinus partem affectam incidere oportet, insuper remedia adhibere, superius *lib.* 1. *cap.* 4. adversus gangrænam proposita. Si præter hujusmodi cautelas gangrena excedat, cauterium actuale leviter calidum erit admovendum.

6. In his postremis casibus intus exhiberi poterunt cordialia, & diaphoretica, videlicet syrupus S. Ambrosii, aut decoctio milii cum ficubus, & radicibus siccis, vel quod melius operi cedit, tenuis decoctio foliorum borraginis, cardui benedicti, scabiosæ, veronicæ, virgæ aureæ ad quinque circiter unciarum dosim quarta quoque hora de mane, addendo grana aliquot pulveris viperinæ, salis volatilis, cornu cervi, bezoaris mineralis, vel aliquot guttas lilii.

CAPUT SECUNDUM.

De Herpete.

Descriptio.

I. PRimo cutim deturpant exiguæ pustulæ nonnihil rubicundæ cum molesto pruritu, modo sejunctæ, modo in unum congestæ, quæ parvi facienda videntur.

II. Quandoque vero hujusmodi pustulæ imperceptibiles sunt, sed in utroque casu brevi circum extenduntur, & calor, rubor, atque pruritus in circumferentia augentur, centro vero imminuuntur, ut ibi quandoque naturalis cutis conditio revertatur.

III. Partem affectam scalpendo humor lymphaticus, salinus erumpit, qui inspissatus crustam refert.

IV. Hic morbus indiscriminatim omnes corporis partes aggreditur, quandoque sub tuberculorum forma, crebrius tamen sub latioris superficiei specie, interdum etiam circulum regularem efformat primo angustum, qui tamen in diem extenditur.

V. Partes, quæ frequentius infirmantur, sunt femora, perineum, genitalia, anus, mentum, aures, manus &c.

VI. Hic affectus gallico sermone vocatur *Dartre* sive *dértre*, græco vero Ἕρπης; sed veteres nonnulli hujus morbi species diverso nomine indicare consueverunt, videlicet Λειχὴν *impetigo*, *vitiligo*, *morphæa*, *lepra græcorum &c.*

Differentiæ.

Variæ diſtinguuntur herpetis ſpecies.

I. *Herpes farinaceus* ubi epidermis effloreſcit, ſive in farinam redigitur, quæ ſub pulveris ſpecie decidit abſque feroſo, aut purulento madore; hæc ſpecies apud græcos λειχὴν appellatur.

II. *Herpes ſquammoſus* a præcedenti parum diverſus, niſi quod cuticula in grandiora fragmenta reſolvatur.

III. *Herpes cruſtoſus*, in quo humor pinguis exſudat, qui dum inſpiſſatur, cruſtas plus, minuſve denſas, aut nigerrimas producit.

IV. *Herpes humidus*, ex quo feroſa, acris, aut purulenta fanies effluit; modo ipſe cruſta caret, quandoque ex cruſtis humor ſtillat.

V. *Herpes vivus, aut corrodens* apud Græcos Ἕρπης ἐσθιόμενος, qui extenſum cutis ulcus conjunctum habet, modo cruſtis quampluri mis, modo nullis conſociatum.

VI. *Herpes carcinomatoſus* apud Græcos Ἕρπης καρκινωματώδης appellatus, in quo puſtulæ herpeticæ cancri naturam ſequuntur, eademque ratione pertractari debent.

VII. *Herpes miliaris*, in quo puſtulæ minime congeruntur, ſed ſejunctim plerumque grana miliaria referunt, ex quo derivat apud latinos miliaris nomen, & apud græcos illud Κεγχρίας.

VIII. Huc etiam referri poſſunt *maculæ rubræ, luteæ*, aut *nigræ*, quæ lue venerea infectis ſine ulceratione, aut epidermidis deturpatione frequentes ſunt.

Sedes.

Herpetis ſedes in glandulis miliaribus cutis plerumque ſtatuitur, ſed hæc opinio erronea videtur, eaque veriſimilior eſt in cellulis membranæ reticularis inter cutem, & epidermidem locatæ herpetem inſidere.

1. Quia glandulæ miliares ſcabiei ſedem parant, ut infra videbimus, & varii affectus varia loca occupare debent.

2. Quia habentur herpetis ſpecies, quæ cutem nulla ratione deturpant, ut herpetes farinacei, & maculæ lue celtica laborantium.

3. Quia experientia oſtendit herpetem farinaceum a ſola acrimonia humoris mucoſi derivare, occaſione præſertim inſolationis.

4. Quia herpetes ſi a glandularum vitio procederent, epidermis non in bracteolas, ſed integra decideret, vel partes diu herpete affectæ, & pluries depilatæ poſt valetudinem etiam cuticula cooperirentur.

Cauſa.

Generice a duplici cauſa herpes procedit; a vitio epidermidis vel ab altero humoris mucoſi.

I. Quoad vitium cuticulæ attinet, ſi ipſa ita areſcat, ut a cute ſeparetur, herpetes farinacei producuntur ſequentibus circumſtantiis potiſſimum.

1. Dum crebro ſolaribus radiis quis ſe exponit.
2. Dum vividum nimis ignis calorem patitur.
3. Dum vultui coſmetica exſiccantia admoventur.
4. Dum vero frequenter fuco rubro utuntur mulierculæ.

Hujusmodi affectus leviores sunt farinacei, & illos præsertim infestant, qui molliori corporis superficie, & ficciori simul corporis habitu donantur.

II. Quoad humoris mucosi vitium spectat, ipse acer, atque corrodens evadit, quotiescumque

1. Sanguis acer fiat ob impurum nutrimentum, aut pravum regimen.

2. Cruor fomite quodam vitiato inquinetur gallico, aut strumoso &c.

3. Vel si humor quidam acer sanguini remisceatur, ut bilis, modo libere ab hepate non secernatur.

4. Quotiescumque tandem ab extrinseco humor aliquis acer cutem deturpet; ita enim sordes manibus contrectando herpetes facile producuntur, aliisque communicantur.

Inter hujusmodi causas tres priores universaliores sunt, & postulant, vel aliquam in affecta parte antecedentem dispositionem, vel externam causam quæ una in ipsam agat.

Symptomata.

1. In omni herpete, si farinacei excipiantur, humor mucosus in cellulis contentus membranæ reticularis acer, atque corrodens, quamvis diverso gradu in singulis speciebus constanter reperitur; ergo continentes cellularum parietes lacessere debet, atque inflammare, ut proinde pustulæ nascantur, vel totidem rubræ bullæ, quot erunt affectæ cellulæ.

2. Si cellulæ contiguæ sint, pustulæ simul congestæ latiorem herpetis superficiem referent; si contra distinctæ sint, herpes miliaris insurget.

3. In utroque casu a centro sui ortus ad circumferentiam herpes se extendet, quia humor vitiatus successive propinquis cellulis communicabitur.

4. Herpetes farinacei, & squammosi veniunt frequenter, ut superius diximus, a solo vitio epidermidis ob externas causas exsiccatæ; quandoque ab acrimonia humoris mucosi procedunt, qui cutim alterare quamvis non valeat, cuticulam tamen lædit; sed quomodocumque oriantur, plus, minusve squammosi sunt, aut farinacei, prout magis, vel minus cuticula tenuis est; ideoque ipsi frequenter in facie farinosi sunt, squammosi vero in reliquo corpore, ubi cuticula densior est.

5. In herpete crustoso crustæ ab erumpente mucoso humore gignuntur, qui humor pro densitate, atque viscíditate ab aere inspissatur, & in crustas concrescit; quandoque hujusmodi crustæ siccæ apparent, & intus cutis sana, & integra perstat, quod evenit, ubi humor mucosus spissus quidem sit, non vero, vel parum acer; quandoque vero pus e crustis stillat, & cutis ipsa læditur, quod accidit, ubi istiusmodi humoris densitati acrimonia addatur.

6. In herpete crustarum color pro diversa humoris mucosi natura variat. Herpetes enim flavi apparent, modo humor mucosus purus sit; cinerei vero, lividi, aut nigerrimi, dum guttæ aliquæ sanguinis ipsi remiscentur, vel ipsæ ab erosione cutis, aut ægri frictione dependeant.

7. In humido herpete ubi latex absque crustis stillat, patet mucosum humorem fluidiorem, & uberiorem esse; at si cutis, quam in reliquis herpetibus, magis exulcerata appareat, signum est hujusmodi humorem quamvis serosum valde, acriori tamen facultate pollere.

8. In Herpete carcinomatoso nihil specialiter est dicendum, quia a peculiaribus causis procedit in *Tractatu de cancro* explanandis; hic sat erit animadvertere, ipsum plerisque affici cancri phenomenis.

9. Her-

9. Herpetes partes nonnullas frequentius aggrediuntur, videlicet

1. Illas, quæ humorem mucosum difficilius fundunt, ut genitalia, perineum, nates, anus, aurium concha &c.

2. Illas vero, ubi cuticula tenuior est, ut vultus, frons, palpebræ &c.

10. Certum est herpetes epidemicos esse, scabie tamen minus, quia morbi fomes spissior est, neque facile ita ut ex scabie transmittitur; excipi tamen debent herpetes humidi, qui perquam facillime communicantur.

Diagnosis.

I. Herpetes cum erysipelate confundi possunt, dum primo apparent, sed brevi error evanescet, quia rubor, calor, atque dolor, qui in herpete mitiores sunt, ab altero morbo satis nostrum distinguit.

II. Cum scabie etiam confundi possunt, at in ipsa pustulæ sunt satis dissitæ, in herpete vero confluentes plerumque apparent; insuper scabies manus, & internodia potissimum infestat, quod herpetis minime est; denique scabiei pustulæ rubore carent, non ita illæ, quæ in herpete observantur.

III. Quoad varias spectat herpetum species, farinacei, squammosi, crustosi, humidi, corrodentes, cancrosi, aut miliares a superallata descriptione inter se facile distinguuntur.

IV. Interest tamen celticos, aut strumosos herpetes probe cognoscere, quod obtinebitur antecedentium historiam & præsentium phenomenorum complexum perpendendo, inter quæ nonnulla luem celticam, aut strumas indicabunt.

V. Tandem sanguinis conditio est perpendenda, ut curatio interna rite instituatur. Præter temperamenti notionem, herpes crustosus sanguinem densum indicat; herpes vero ichorem fundens acrimoniam simul, & spissitudinem sanguinis manifestat; humidus herpes sanguinem acrimoniosum tantum habet; tandem farinaceus, aut squammosus herpes modica tum acrimonia, cum densitate sanguinis pollere solet.

Prognosis.

I. Generice herpetes magis incommodi, quam periculosi sunt, ut cum convalescere videantur, facile recrudescant.

II. Farinacei, & squammosi remediis plerumque facile cedunt.

III. Idem evenit de crustosis, modo ipsi grandiorem cutis erosionem non ostendant; quod indicat humoris mucosi acrimoniam, & ipsius sanguinis producentis.

IV. Herpetes humidi, atque corrodentes pertinaces valde sunt, quia ab acrimonioso humore confirmantur ibi copiose affluente.

V. Omnium maxime periculosus est herpes carcinomatosus, qui cancri phenomena habet concomitantia.

VI. Generice porro herpetes a causa interna producti difficilius curantur, quam externi, & accidentales; illis tamen exceptis, qui a lue venerea originem agnoscunt, ubi frictiones mercuriales satis valent.

VII. Periculosum magnopere est sistere, aut curare herpetes, nisi prius idonea, & diutina præparatio adhibita fuerit, quod præsertim in malignis, humidis nempe, & corrodentibus necessarium observatur; tot enim tristes fuerunt imprudenter curati herpetis eventus, ut medici in hujus morbi curatione satis caute incedere debeant.

Curatio.

I. In curatione hujus morbi interna, primo sanguinis vitia corrigi debent; quod obtinebitur sequentia auxilia adhibendo.

1. Statim vena brachii est incidenda; verum simplex purgatio cum senna, rhabarbaro, sale vegetabili, atque manna est exhibenda.

2. Insuper potissimum sanguinis vitium est cohibendum; ideoque si sanguis acer, aut salitus appareat, remedia diluentia, quæ pro diversa tempestate variant, sunt ægris propinanda; æstivo enim tempore conveniunt balnea tepentia, & aquæ minerales acidulæ, aut ferrugineæ; reliquis vero temporibus decoctiones, aut apozemata ex radicibus confecta cardui, fragorum, acetosæ &c. tum ex foliis borraginis, buglossi, cichorei silvestris, pimpinellæ, agrimoniæ, nasturtii aquatici, quibus addi potest drachma una salis de duobus; attamen eandem indicationem pariter implent jura pullorum, simili ratione parata, aut serum lactis depuratum illi sali, & simili dose affusum.

3. Ita sanguine repurgato si tempestas sinat, dulcificantia exhiberi poterunt; talia sunt lac asininum, vaccinum, caprinum &c. juscula avenæ, aut ranarum, & testudinum.

4. Si obstructionem primarum viarum hepatis præsertim suspicemur, quæ humores recrementitios in sanguine retinendo acrimoniam ejusdem intendant, aperientia opportuna videntur; videlicet tartarum martiale solubile, ad dosim 20. aut 25. granorum sub forma bolari, vel in decoctionibus, apozematis, aut sero lactis solutum; crocus pariter martis aperiens ad grana viginti; æthiops etiam mineralis per ignem confectus simili dosi sub forma boli, aut opiati, cum salibus, & purgantibus idoneis propinatus.

5. Si sanguis aridus, spissus, & acer videatur, diluentia, & temperantia remedia impendi solent; ut ptisana sudorifera simplex, aut purgans ad dosim unius, vel duplicis cyathi pro singula die; copiosus liquor ptisanæ ingredientibus affusus pro vulgari potu inserviet, deinde juscula cancrorum, asellorum, & viperarum præsertim efficaciora evadunt.

6. Dum hujusmodi remedia exhibentur; sumere fas erit bolum compositum ex 20. aut 30. granis florum sulphuris, antimonii diaphoretici, & ex granis sex, aut octo gummi ammoniaci, atque aloes, cum æquali quantitate salis tartari, & idonea copia syrupi fumariæ pro bolo conficiendo necessaria.

7. Tandem ea diversa remedia vel purgantibus remisceri debent, vel identidem ægros purgare oportet, prout occasio postulaverit. Sed in herpete farinaceo, aut squammoso hujusmodi præparatoria methodus, vel ableganda, vel imminuenda videtur.

II. Certum est in omni herpete cellulas corporis mucosi affectas totidem patula cribri foraminula evadere, ex quibus continuo acer humor ibi detentus secernitur; ideoque remedia in herpete extrinsecus applicita filtri contextum destruere debent, ac escharotica vi pollerent. At ea seligere oportet, quorum actio proportionalis sit vitio corrigendo; quare.

1. Si herpes a solis, aut ignis calore, vel fuci nimio usu dependeat, linimentum sat erit ex oleo de behen, vel seminum frigidorum cum spermate ceti, aut pauco balsamo medinæ subactum, quod lintei ope parti affectæ applicatur. Simul opportuna sunt linteola lutea, & luteo ovorum imbuta, paucoque infuso croci orientalis madefacta.

2. Si

2. Si herpes a causa interna procedat, qui tamen neque farinosus, neque squammosus sit, ipse saliva identidem madefiat, vel solutione salis marini, aut gummi arabici ex aceto peracta, verum etiam aqua destillata felis bovini.

3. Si herpes crustosus sit, squammæ facile decident post linimentum cremoris, aut butyri lactis recentis, vel pulpæ foliorum betæ; post hæc cutis abluatur cum decoctione vulneraria absinthii, aut aristolochiæ, vel cum aqua secunda calcis; insuper usuvenire solet unguentum paratum ex pulpa radicum, patientiæ silvestris sub cineribus excoctæ, cum floribus sulphuris, quod plerumque sufficere solet.

4. Si herpes malignus, & pertinax sit, validiora remedia impendi debent, inter quæ præcipua sunt sequentia.

Lana succida combusta, & adipe commixta.

Pulpa radicum enulæ campanæ sub cineribus excoctarum.

Unguentum enulatum.

Oleum papyri, tritici, aut lintei sub patina combusti.

Oleum tartari per deliquium purum, vel aqua dilutum.

Flores sulphuris unguento rosato, quandoque etiam pauco sale simul ammoniaco subacti.

Præcipitatum rubrum, aut album, vel farina levis sublimati dulcis, & corrosivi, etiam cum jasmini linimento prudenter applicata.

Aqua phagedenica clara, vel turbida plumæ ope leviter admota.

Cautelæ

In Herpetum pertractatione magis necessariæ.

1. Herpetes nunquam sunt cohibendi, nisi postquam dilutus, atque temperatus fuerit sanguis, ac proinde destructus omnis herpetis fomes; hæc cautela potissimum necessaria videtur in vivido, extenso, & inveterato herpete, in subjectis præsertim cacheticis, male affectis, vel pulmone male constitutis, & in iis, qui oculorum fluxionibus sæpe laborant; tum in mulieribus, quibus albi fluores frequentes sunt.

Dantur tamen plures circumstantiæ, ubi prudentis medici est, nulla ratione herpetes cohibere, quia interdum ad sanitatem servandam utiles evadunt: innumeræ afferri possent observationes, quæ summum detrimentum ostenderent, eorum, qui perperam hujus morbi curationem poposcerunt.

2. Sed quacumque ratione herpetibus mederi velit, per vices curatio inchoari debet, a parte intimius affecta incipiendo, aut visui magis conspicua, sensim progrediendo, ne cito nimis herpetis fomes supprimatur; verum si opus requirat, sibimetipsis libere relinquantur.

3. Tutius erit proinde decimo quinto quoque die, aut singulis mensibus ægrum purgare, vel segnius post herpetis evanescentiam, præsertim si morbus vetustior fuerit; quinimmo diuturnus lactis, asinini præsertim, usus, si stomachus permiserit, opportunissimus erit.

4. Tandem cauterium non est negligendum in brachiis, aut crure incisum pro diversa, quam herpes, parte occupat, quod detineri poterit per integrum, aut duplicem annum ad eliminandam ita fomitis morbosi maximam partem, ne in nobiliorem aliquam internam partem majus damnum inferat.

CAPUT TERTIUM.

De Scabie.

Descriptio.

I. IN scabie circa cutem efformantur exiguæ ampullæ interdum pene conspicuæ, & salsedine repletæ.

II. Ipsæ molestum pruritum semper comitem habent cum maximo scalpendi desiderio, ita bullæ lacerantur, dolor excitatur, serumque funditur.

III. Has lacerationes subsequuntur ulcuscula, aut exiguæ ulcerosæ crustæ; sed in utroque casu pruritus subsistit.

IV. Scissuræ, aut crustæ rubore superficiali, & erysipelatoso cooperiuntur cum proportionali cutis calore.

V. Hæc phenomena in diem multiplicantur, atque intenduntur, frequentius tamen afficiunt internodia digitorum, articulos, carpos, maleolos, & genua, videlicet partes frigori magis obnoxias, vel illas, ubi rugarum caussa acer humor uberius affluit.

VI. Hic affectus a Græcis Ψώρα, à Latinis *scabies*, & a Galliis *Rogne*, sive *Gale* appellatur.

Differentiæ.

Generice scabies *humida* est, vel *sicca*.

I. *Humida* illa est, cujus bullæ grandiores, & confertiores sunt, ubi scissuræ efformantur in ulcera post suppurationem abeuntes.

II. Scabies *sicca* ea est, ubi pustulæ exiguissimæ sunt, quæ absque seri fusione disrumpi solent, & in crustas exilissimas sine humiditate abeunt, appellari solet *scabies ferina*.

III. Præter duplicem hanc differentiam scabies distinguitur etiam in *erysipelatosam*, *&* *herpeticam*, modo alterutri morbo accedat.

IV. *Scabies ferina* modo altiorem gradum attingat, *lepra Græcorum* appellari solet. Sed probe distingui debet a *lepra Arabum*, quæ est lepra proprie dicta, sive *elephantiasis* Græcorum.

Caussæ.

Sedes scabiei est cutis superficies, ubi pruritus persentitur, qui certus est passionis index, ubi exiguæ bullæ sive pustulæ oriri incipiunt. Non citra rationem ergo in extremitatibus canalium excretoriorum glandularum miliarium ponitur, ubi canales isti in cutem desinunt.

Causa enim scabiei cum illa erysipelatis, quamvis certa quadam ratione convenire videatur, duplici tamen ratione differt. *Primum*, quia sedes erysipelatis est in glandulis miliaribus ipsis, ut superius vidimus; scabies vero in extremitatibus canalium excretoriorum earum glandularum. *Secundum*, in erysipelate morbosus humor glandulas miliares de repente, & ubertim aggreditur, ut infartum, atque inflammationem inducat, sed scabiei fomes minori copia, & mitiori gradu sensim, sensimque in ipsas agit.

Ceteroquin scabies æque ac erysipelas ab humore acri procedit, qui lacessit, inflam-

inflammat, atque exulcerat extremitates excretoriorum harum glandularum; hujusmodi humor ille sudoris est, qui acrimoniæ gradum contraxerit ob alterutram trium sequentium causarum.

I. Ob vitium sanguinis, qui & ipse acer erit, ita acria alimenta, & salita, aut potiones salsæ, tum pisces morrhua, aringa, &c. internam scabiei causam sæpe producunt; idem parit, absque diætæ errore, bilis hepate coercita, & sanguine detenta, quæ ejusdem qualitatem pervertat.

II. Ob nimiam congestionem sudoris, in canalibus excretoriis adipe obstructis, ubi ipse acer fit, & ulcuscula gignit, quæ pertinacem scabiem tandem producit, quoniam exulcerati hujusmodi canales cribri speciem referunt aeribus sanguinis humoribus erumpentibus parati.

III. Ob mutuum commercium cum scabioso decumbendo, ipsumque contrectando, vel scabiosi indusia vestiendo, quia particulæ vitiati humoris, quibus scabiosi, aut vestimenta imbibuntur, cutem intrant, & facile extremitates canalium glandularum miliarium ulcere afficiunt, ipsasque ad acrem sanguinis humorem recipiendum, aptiores reddunt.

Verum enim est ambas postremas causas in extremitates illorum canalium agere, ipsasque irritando, aut inflammando scabiem producere; quoad priorem causam attinet, quæ est acrimonia sudoris a sanguine derivata in extremitates simul canalium eorum agere debet, quia acrior fit ob jacturam serosæ partis sanguinis, quæ tunc dissipatur. Hac enim de causa in ptyalismo mercuriali, humor e glandulis salivalibus erumpens earum excretoria inflammat, atque in ore exulcerat, glandulis ipsis secernentibus intactis:

Ex his consequitur in extremitatibus canalium glandularum miliarium scabiei sedem esse reponendam, ut supra admonuimus. Secus difficillime explicaretur, quomodo scabies produci posset citra sanguinis vitium per simplicem sorditiem, aut contagium, quæ ultra cutis superficiem minime agunt.

Symptomata.

1. Cum in scabie extremitates canalium glandularum miliarium ab aliqua ex explicatis causis exulceratæ fuerint, eorum lumina obstructa, vel constricta valde esse debebunt; ita sudor ex his glandulis promanans detineri debet, & exiguas pustulas inflammatas gignere, plus, minusve amplas, pro quantitate sudoris retenti.

2. Cum sanguis serosus valde fuerit, plus sudoris glandulis subministraverit; at si earum extremitates canalium inflammatæ fuerint, sudor ibi majori copia cumulabitur, & ita grandiores bullæ, & confertiores producentur, ut in *humida* scabie evenire solet.

3. Contra si sanguis siccus, & resinosus sit, parumque sudoris suppeditet, præsertim si extremitates canalium glandularum magis exulceratæ, quam inflammatæ videantur, ut imperfecte obstruantur, sudor minori copia cumulari & paucis in locis debebit; in hoc casu pustulæ raræ sunt, & exiguæ apparebunt, ut in scabie *sicca*.

4. Cum in mulieribus, infantibus, & temperamento sanguineo & pituitoso donatis sanguis magis serosus sit, & sudor minus acer, ideoque in his circumstantiis pustulæ grandiores fient, majori quidem, sed minus corrodenti sero repletæ, ideoque hujusmodi scabies *humida* plerumque erit.

5. Sanguis contra dum siccus, & resinosus est in biliosis, atrabilaribus, & seni-

senibus frequenter ob sudoris inopiam, atque majorem acrimoniam pustulas exiguas sero magis vacuas, sed cum majori acrimonia producere debet; quare scabies tunc superveniens, quæ senibus frequens est, *sicca* esse debet.

6. Cum humor in pustulis contentus acer, & salitus in scabiosis magnopere sit, pustularum internam faciem lacessere debet, atque molestum pruritum proinde excitare, qui speciatim morbi naturam manifestat. Hic pruritus plus, minusve incommodus est, prout humor majori, vel minori acrimonia pollet, vel extremitates canalium plus, minusve afficit: quare patet cur in sicca scabie major sit cruciatus.

7. Magnum statim levamen ægri scalpendo persentiunt, summamque proinde delectationem, quia pustulæ scinduntur, atque irritans funditur contentus humor; at cum ab attritu innumeræ scissuræ producantur, ideoque oblectamentum statim sequitur cutis ardor, atque inflammatio, pruritu deterior affectus.

8. Hujusmodi scissuræ crustis statim obducuntur, plus, minusve extensis pro varia cutis excoriatione; hac de causa grandiores fiunt in humida scabie, in sicca vero exiliores.

9. Crustæ canales excretorios obturando novum vitiatum sudoris laticem retinent, novumque ita pruritum excitant, qui ad scalpendum invitat; quare attritu crustæ abraduntur, & scabies confirmatur.

10. Tum ignis, cum lectuli calor ex *una* parte salinas particulas vitiati humoris commovet, ex *altera* morbi fomitem rarefacit, ex quo, pustulis distensis, sensus augetur; ita calor ignis, atque cubilis pruritum auget, & molestissimum reddit, ut ipsum scabiosi vix pati valeant.

11. Tandem scabies plerumque internodia digitorum, articulos, coccygem, genua, nates, atque clunes aggreditur, quia cutis rimæ in his partibus, & major sordities vitiatum sudorem facilius retinent.

Diagnosis.

I. Facile scabies ejusdemque diversæ species ab anteacta descriptione agnoscuntur.

II. Hic affectus pariter a reliquis affinibus morbis facile distinguitur; ab erysipelate enim, quia scabies, neque inflammationem cutis, neque febrem comitem habet, sed in quibusdam locis corporis superficiem tantum infestat; ab herpete, quia scabies nunquam extensa videtur, sed sejuncta, sive in granula distincta, quæ brevem latitudinem ostendunt; a sanguinis ebullitione, quia scabies nequaquam totum corporis habitum de repente obtegit, verum pertinaciorem, sævioremque pruritum comitem habere solet.

III. Tandem ab ipsius ægri narratione disci potest, si scabies recens, aut inveterata sit, si a causa externa, aut accidentali, vel a vitio sanguinis sine contagii suspicione veniat.

Prognosis.

I. Scabies magis incommoda, quam periculosa est,

II. Sicca, humida difficilius curatur, & in quibusdam subjectis nunquam subigitur.

III. Quæ a causa interna procedit, pertinacior est illa ab externa causa procedenti; quare nunquam profligatur, nisi prius sanguinis vitium tollatur.

IV. Periculosum est scabiem sanare, priusquam sanguinis vitium corrigatur, ut

ut in herpetibus diximus, & eadem de causa; in utroque enim casu vitiatus humor perperam detentus nobiliores partes aggredi potest, ut pluries accidit. Frequenter enim prudentis medici est in curatione cunctari præsertim cum hujusmodi morbi inveterati sint, & in subjectis occurrant cacheticis, pulmonę laborantibus, vel in mulieribus albo fluori obnoxiis.

Curatio.

I. In curatione scabiei internæ potissima indicatio videtur sanguinis vitium moderari. Hac de causa,

1. Remedia generalia primo impendi debent, nempe venæ sectio, & purgatio; verum etiam in progressu utrumque reiterare necessum erit, purgationem saltem, prout circumstantiæ postulaverint.

2. Post hæc si scabies humida sit, cum hoc indicium afferat sanguinem satis serosum esse, sufficiet salsedinem, ac acrimoniam sanguinis corrigere, leviora absorbentia exhibendo, qualia sunt diaphoreticum minerale, pulvis asellorum, oculi cancrorum, terra japonica, radix gentianæ &c. ex quibus cum syrupo quinque radicum aperientium boli conficiuntur, qui jejuno stomacho per plures dies propinantur.

3. Præterea post bolos decoctiones exhibentur ex pullo, vitulo, cancris, vel ex vipera cum plantis idoneis, chærophillo, fumaria, nasturtio, cichoreo, agrimonia &c. confectæ, quibus addi potest drachma una salis de duobus.

4. Sufficienter ita ægro repurgato, correctoque sanguine, dulcificantia convenire videntur, nempe serum lactis, vel lac asininum, aut vaccinum, tum jura ranarum, aut testudinum in his per quindecim, aut viginti dies persistendo.

5. Contra vero, si scabies sicca sit, quæ humorum arescentiam, atque acrimoniam indicat, diu erit insistendum in decoctionibus refrigerantibus, atque ptisanis ex radicibus fragariæ, oxalidis, graminis, cum pauca glycyrrhiza confectis, tum usus conveniet, si tempestas idonea sit, aquarum martialium.

6. Postea dulcificantia superius proposita adhiberi debent, videlicet serum lactis depuratum, lac destillatum, vel simplex vaccinum, aut asininum, ceteraque remedia, quæ lacti substitui possunt, modo ea stomachus ferat.

7. Tandem in omni scabiei specie balnea domestica aquæ dulcis pro sanguine humectando, atque tum calore, cum acrimonia ejusdem cohibenda utilissima evadunt. Juvant pariter ad cutem laxandam, pruritumque compescendum, tandem cutis hiatus aperiunt, ut adhibenda topica facilius ipsam pervadant. Usuveniunt etiam sequentes boli, qui scabiei fomitem in sanguine latitantem non parum corrigunt, ipsumque a sanguine eliminant; ipsi conficiuntur ex granis 20. diaphoretici mineralis, 12. æthiopis mineralis sine igne parati, & 15. aut 20. florum sulphuris; omnia cum syrupo fumariæ, pro una vice subigendo.

II. Rebus ita paratis in ratione morbi vehementiæ ad externa remedia, sive topica erit confugiendum: innumera hujusmodi apud Auctores reperiuntur, quæ neque simplicia, neque tuta semper videntur; usitatiora, & efficaciora nostrum erit proponere.

1. Pulpa radicum lapathi silvestris, sive enulæ campanæ cum adipe suillo sub linimenti forma subacta, qua partes affectæ obliniuntur.

2. Decoctio foliorum nicotianæ, aqua, aut vino albo confecta, qua calide scabiosi madefiunt.

3. Oleum

3. Oleum olivarum, in quo ſulphur ebullierit, donec linimenti formam ſuſcipiat, ſed hoc remedium male olet nimis; quare ipſi ſubſtituitur ſulphur in ſubtiliſſimum pollinem redactum cum adipe ſuillo, aut ſimili odorato commixtum, eoque articuli fricantur, tali pacto minus olet, & efficacius agit.

4. Nitrum, atque latera contrita, & anatica quantitate, cum iiſdem pinguedinibus commixta, ad infirmas partes fricandas valet.

5. Lixivium Reguli antimonii, vel aliarum præparationum hujus ſemimetalli, quæ per detonationem nitri confici ſolent.

6. Sal ammoniacum cum octuplo ſaponis veneti, ſufficienti etiam quantitate olei amygdalarum dulcium addita pro linimento conficiendo.

7. Unguentum Neapolitanum, ſive mercuriale, quo interdum articuli fricantur, plus, minuſve pro diverſo ægri ſtatu, aut ætate.

8. Oleum olivarum cum æquali quantitate vini albi conſociatum, ubi ebullierint folia aliquot lauri roſei, ſive Diaphnoides ad vini uſque conſumptionem.

III. In hac medendi methodo neceſſum erit,

1. Hujuſmodi unguenta, ſive linimenta aromatizare cum ſtorace, benzoino, eſſentia aurantiorum, aut ſimilibus, ut fœtor imminuatur.

2. Ægri ſub eorum remediorum uſu calido loco detineri debent, ne cutis hiatus de repente occludendo ſcabiei fomes in ſanguinem repellatur.

3. Magis infirmæ partes ſunt tantum obliniendæ, & ut cautius incedatur, ſucceſſive ſunt inungendæ.

4. Tandem obvium eſt per tres ſubſequentes dies de ſero ante decubitum linimentum admovere, dein a ſcalpendi deſiderio ſe abſtinere per octiduum, tantumdemque temporis frigidum aerem evitare.

CAPUT QUARTUM.

De Papulis.

Deſcriptio.

I. IN hac eruptione, efflorescentia, ſive ebullitione ſanguinis corporis ſuperficies ſtatim exiguis tuberculis, rubris, diſtinctis conſperſa obſervatur, plus, minuſve confertis, aut elevatis rubicundiſque.

II. Hi parvi tumores modo levem bullam comitem habent, ut in variolis ſpuriis quandoque evenit; modo nullam bullam oſtendunt, ut in morbillis.

III. In utroque caſu pruritus præſens eſt, minus moleſtus tamen, quam in ſcabie, ſatis vividus tamen, ut ſcalpendi deſiderium moveat.

IV. Hac de cauſa enim tuberculorum apices ſcinduntur; poſtquam quod cruſtæ decidunt, & morbus evaneſcit.

V. Quandoque tamen ſanguinis hujuſmodi ebullitio in herpetem degenerat, & niſi per univerſum corpus, in aliquibus ſaltem partibus.

VI. Græci hujus morbi plura nomina, videlicet Ἐκθύματα, Ἐξανθήματα, Ἐκζέσματα, Ἐκβράσματα tradiderunt quæ gallicis ſynonymis reſpondent, nempe *eruption*, *efflorescence*, *ebullition*; Latini vero parvulos hoſce tumores *papulas* vocarunt.

Cauſæ.

Certum eſt ſedem morbi in glandulis miliaribus ſitam eſſe, eaſdemque glan-

dulas a sudore exuberante inflari, atque pro ipsius acrimonia irritari.

Experientia admonuit, hunc morbum a pluribus caussis produci, quarum actio tamen una, vel similis saltem videtur.

1. Febris enim paroxysmus ephemeræ, vel continuæ simplicis, dum validum sumptum drasticum subsequitur, id parere valet; tunc febre evanescente sudor copiosus erumpit, quem in subjectis acrimonioso sanguine donatis universalis ebullitio plerumque sequitur.

2. Pariter idem producit abusus vini, aut spirituum ardentium, motus nimius, insolatio diebus canicularibus præsertim.

3. Hujusmodi morbus excitatur occasione iracundiæ, quæ bilem commoverit, vel in aliqua parte auxerit, tum aggressu *choleræ morbi* &c. quia bilis tunc in sanguine exuberans sudori simul remiscetur.

4. Remedia tandem diaphoretica æstivo tempore, aut in calido subjecto perperam propinata pari ratione afficiunt; talia sunt decocta viperata, vel sudorifera, vel illa cancrorum, aut cordialia calefacientia.

Symptomata.

1. In Sanguinis istiusmodi ebullitione glandulæ miliares ab affluente continuo exuberante sudore tumefiunt.

2. Post tumescentiam in exiguas papulas, & discretas producuntur cum rubore, calore, atque pruritu, sudoris acrimoniæ respondentibus.

3. Si infartus glandularum maximus sit, bullæ in apice papularum conspiciuntur, non ita si ille levior fuerit.

4. In acumine cujusque papulæ excoriatæ eschara tenuissima oritur brevi prolabenda, & morbus plerumque intra quinque, octo, aut decem dies dissipabitur.

Diagnosis.

Ebullitio enim, sive effervescentia sanguinis in hoc ab herpete differt, quod discreta sit, citoque convalescat; differt vero ab erysipelate ex eo, quod papulæ admodum distinctæ appareant, non ut in illo continuatæ, sed quod magis arridet, ex eo quod rubor a pressione non evanescat; a scabie distat, quia hic papulæ universales sunt, de repente superveniunt, & facile sponte quasi abeunt; tandem a rubeola, & morbillis facile papulæ distinguuntur ex eo, quod in illis morbis ægri, ante eruptionem pustularum, affecti appareant, non ita in sanguinis ebullitione, ubi papulæ statim aggrediuntur. Ceteroquin in supradictis morbis eruptio in diversis partibus successive fit, sed non igitur in eo, de quo agitur.

Prognosis.

Papulæ periculo penitus vacant, nisi illud habeant caussæ producentis.

Curatio.

Papulæ post duplicem ex brachio venæ sectionem, lenientem purgationem, & nonnullas refrigerantes, aut diureticas decoctiones haustas evanescere solent.

At si pertinaciores videantur, adhiberi solent serum lactis, lac asininum, aquæ minerales, & balnea tepentia aquæ fontanæ, nullumque externum auxilium impendi necessum est.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Esseris, sive morbo Porcino.

Descriptio.

I. Cutem afficiunt tumores, aut prominentiæ magis quam in erysipelate elevatæ, minus rubræ tamen, a quibus modo omnis corporis superficies, modo aliqua tantum pars obducitur.

II. Hujusmodi tumores quandoque late serpunt, quandoque in exiguas portiunculas complanatas apparent magnitudinis nummi aut lenticulæ.

III. Quandoque valde rubent, quandoque non; modo pruritus maximus est, modo mediocris, sed generice quo magis scalpitur, eo grandiores, & confertiores fiunt, cum majori calore.

IV. Hujusmodi efflorescentiæ magnopere variant, modo se produnt, modo cessant, modo revertuntur, quando pallescunt, quando rubent, nunc molestum pruritum excitant, nunc ipso carent.

V. Nulla bulla in his prominentiis apparet, vel saltem raro; quare scalpendo cutis interdum madefit.

VI. Hujusmodi prominentiæ vero supra cutem elevantur ab una ad tres lineas usque; quapropter variolis exceptis, constituunt affectum erysipelatosum magis eminentem.

VII. Hic affectus, dum exiguas papulas præbet, valde ictus apium æmulatur, vel parvulos tumores, qui ab urticæ contrectatione oriri solent.

VIII. Eædem cutis prominentiæ modo apparent, modo abeunt pluries in die; generice diu non perdurant, cito, & sponte desistunt, nullo subsequente incommodo.

Hæc morbi species Græcis, atque Latinis non innotuerat, vel saltem apud illos variis nominibus insigniebatur, *exanthematum* nempe, *efflorescentiæ*, *papularum* &c. sed apud Arabes *Sora*, aut *Essere* appellabatur. In Occitania communiter vocatur *Lou Mau peourcieu*, vel *pourcel*, *morbus porcinus* ex quibus credo Gallos illud *porcelaine* procreasse.

Differentiæ.

I. Modo esseræ valde rubent, & erysipelatosæ sane apparent, modo pallescunt, ideoque *erysipelato-oedematosæ* fiunt.

II. Quandoque sine febre oritur, & sudores consequitur æstivos; quandoque febrim hic affectus comitem habet, vel melius dicam, supervenit.

Causæ.

Tumores, qui in hoc morbo cutim deturpant, perbelle ostendunt glandulas miliares affici, atque obstrui, ipsasque sanguinis, & lymphæ circuitum intercipere, donec ibi reptantibus vasculis inflatis cutis intumescat.

Idcirco omne id, quod hasce glandulas obstruere valet, esseras pariter parere potest; necessum tamen est, quod obstruens materies neque valde salina, neque spissa sit, ut ex *una* parte glandulas non inflammet, quod erysipelas

 pro-

produceret, ex *altera* facile dissipari queat, ut morbus *transitorius* sit, qualem descripsimus.

Obstructio enim glandularum cutis, qualis necessaria est, ut esseræ producantur, oriri solet a levi sudoris vitio, dummodo ipse una nonnihil exuberet, & paulo magis inspissescat, quod evenit sequentibus casibus.

1. Quando sanguis naturaliter spissus ob tempestatis æstum valde rarescat, vel ob exercitium nimium, quod sudoris secretionem auget, ipsumque sudorem spissiorem reddit.

2. Quando nimis usi sint ægri remediis cordialibus, sudoriferis, & attenuantibus, quæ sudorem ubertim cutem versus impellunt.

3. Quando vinum meracum biberint, aut liquores spirituosos haurierint, qui effectum producunt remediorum calidorum.

4. Quando vehementi quis corripiatur ira, quæ sanguinem valide commovendo, de repente sudoris copiam augeat.

5. Quando perperam prius calefacto corpore, quis extremo frigori subjiciatur; hujusmodi tamen diversæ causæ producentes plerumque esseras apireticas producunt.

6. Quando febris quem aggreditur spisso sanguine donatum, quia ipsa sudoris copiam auget, tamen ejus densitatem minime attenuat.

7. Quando biliosa subjecta, aut valde calefacta, quorum sudor est acer, inopinanter cum frigore, & febre corripiantur, quæ subito sudorem solet condensare.

Hæ duæ postremæ causæ esseras producunt, quæ febrem subsequuntur.

Symptomata.

1. Hic affectus frequenter erysipelatosus est, qui dependet a qualitate sanguinis magis rarefacti, & a gradu obstructionis glandularum miliarium, quæ magis sanguinis circuitum impediunt.

2. Quandoque erysipelas oedematosum est, quod a sanguinis conditione procedit, qui magis serosus est, tum a glandularum infartu, quæ perturbant quidem lymphæ circuitum, minime vero sanguinis.

3. Esseræ, totidem plana plus, minusve extensa referunt, vel distincta puncta, prout infartus in pluribus glandulis contiguis fit, vel in paucioribus, & distinctis.

4. Accedit pruritus plus, minusve molestus pro diversa sanguinis salsedine, atque stimulo, vel pro diversa glandularum phlogosi, vel earum sensibilitate.

5. Nulla plerumque bulla apparet, quia sanguinis circulus, atque lymphæ nondum intercipitur ita, ut aliqua serositas per hiatus cutis sub epidermide effundatur.

6. Esseræ abeunt, atque revertuntur pluries, prout sudor plus, minusve densus est; vel plus, minusve in glandulas miliares irruit; quod levi de causa variare potest.

Diagnosis.

Esseræ ex anteacta descriptione satis patescunt.

1. Differunt ab erysipelate, quia hic affectus magis prominet, minus rubet, minus dolet, atque tandem transitorius, & versatilis est.

2. Mi-

2. Minùs vero cùm rubeola confunditur, nam hic cutis inflammantur latæ portiones, illic exigua puncta; ceteroquin rubeolam præcedunt intensa febris, pluraque alia symptomata admodum periculosa, præsertim tussis specialis generis, quæ in esseris non observatur; nihilominus Parisienses Medici sæpe rubeolam cum esseris confundunt, ubi hæ non satis innotescant.

Prognosis.

Esseræ plerumque periculo carent, præsertim si febris absit, nullum grave symptoma ostendant, & intra tres dies vel horas aliquot interdum finem habeant.

Quando hic morbus febri periodicæ supervenit, frigore perdurante, tantum persistunt, & in calore evanescunt, modo sudor satis tenuis sit, sed quandoque in novo frigoris accessu revertuntur.

Esseræ, quæ febrem continuam subsequuntur, salubres sunt, si criticæ; sed si symptomaticæ videantur, quod raro occurrit, febris producentis detrimentum tantummodo habent.

Curatio.

I. Hic affectus cùm sine febre exurgat, sponte plerumque dissipatur, vel ad summum æger phlebotomizatur, ptisanam graminis, & glycyrrhizæ exhibendo, aut decoctiones, vel apozemata refrigerantia, primasque vias simul lenientibus expiando; attamen si crebro revertatur, serum lactis, aquæ minerales, & balnea domestica erunt adhibenda.

II. Cum hic morbus febrem comitetur, pluræ venæ sectiones sunt instituendæ; de cetero eadem usuveniunt remedia nuper indicata.

In utraque vero specie sudorifera sunt vitanda, quæ potius magis nocent.

CAPUT SEXTUM.

De Sudaminibus.

Descriptio.

I. Infantes, atque adulti, qui tenui, alba, & gracili donantur cute, sunt æstivo tempore exiguis obnoxii prominentiis, rubris, & erysipelatosis, quæ superficiem obducunt, præsertim circa collum, mentum, inguina &c.

II. Hæ prominentiæ subsequi solent crebros sudores, magis pallescunt refrigeratis ægris, rubent valde dum sudant, aut calefiunt.

III. Hujusmodi prominentiæ frigida tempestate dissipantur, sed plerumque partes ab ipsis affectæ depilantur; quandoque etiam in herpetem farinaceum degenerant.

IV. Eędem molestum pruritum semper comitem habent, præsertim cùm depilari affectæ partes incipiunt.

V. Hic morbus apud Græcos appellatur ἱδρῶα; ipsum vero Latini *sudamina* vocant, cum copia, & acrimonia sudoris in causa potissimum sit; Galli vero ipsum nuncupant *Echaubouillures* ex veteri verbo *echaubouiller*, quod significat *echauder*, scilicet calefacere, quia revera tunc temporis cutis exardescit; In Occitania dicitur *cambriol* a vocabulo *cambier*, quod significat *changer*, quia color cutis sæpe variat.

Causæ.

In sudaminibus cutis non inflatur, ideoque glandulæ cutaneæ, sive miliares non intumescunt, & morbi sedes in his partibus minime locatur.

Igitur extremitates canalium excretoriorum harum glandularum irritatæ, atque inflammatæ has prominentias generabunt, quæ cutim scabram reddunt; sed eædem extremitates canalium irritari, atque inflammari nequeunt, nisi duplici sequenti de causa simul agenti.

I. Ob copiam, & salsedinem sudoris eos canales adeuntis; quare sudamina nisi post repetitos sudores apparent, eaque potissimum afficiunt infantes calefactos, quorum nutrices acri sanguine prçditæ sunt, tum adultos bilioso temperamento correptos, aut pravo regimine, & calido utentes.

Quamvis sudor çque per cavitatem glandularum miliarium, ac per lumen canalium excretoriorum transeat, ipse tamen extremitatem tantum horum canalium lacessit, quia ibi sudor majorem acrimoniam adipiscitur pro maximo dispendio serositatis, qua prius onerabatur. Hac de causa, ut admonuimus in mercuriali ptyalismo, saliva nisi in extremitate ductuum salivalium ulcera producit, tum in rheuma cerebri, nisi apice narium papulæ efformantur.

II. Ob gracilitatem horum canalium excretoriorum, & circumpositæ cutis, quod tamen inter causas recenseri difficulter meretur, sed est conditio tamen, *sine qua non*, nam dummodo cutis dura, atque densa sit, sudoris salsedo impar est ullam impressionem parere, non ita cum corporis superficies tenujor valde sit.

Quare infantes præsertim, albi potissimum & pingues sudaminibus sunt obnoxii; contra adulti raro hoc morbo afficiuntur, nisi tenuissima cute præditi sint.

III. Sedes sudaminum eadem videtur ipsius scabiei; maxima enim affinitas datur inter causas utriusque morbi, modo certum sit utrumque a salsedine, & acrimonia sudoris dependere, quod probabile valde apparet.

Nihilo tamen minus sudamina a scabie multum discrepare debent.

1. Quia in ipsis sudor nec constanter, nec intimius peccat, sed per accidens acer, & salitus fit ob tempestatis æstum: quare sudamina evanescunt, calore evanescente; in scabie vero sanguis, atque sudor essentialiter, atque vehementer deturpari solent, ut scabies diuturnus, atque pertinax morbus fiat.

2. Insuper quantitas sudoris in sudaminibus cum acrimonia simul concurrit ad ea producenda; quare infantes nunquam corriperentur hoc incommodo, etiam sæviori canicula ardente, nisi in ipsis sudor moveretur; in scabie nihilo secius sudor in ratione quantitatis minime agit, quia scabiosi vulgari ratione sudant. Sed in illis sola acrimonia canalium extremitates constanter exulcerat.

Symptomata.

1. In sudaminibus prominentiæ quamplures sunt, sed moderatæ, cum canalium excretoriorum extremitatibus respondeant, quæ quidem sunt valde clausæ, sed simul distantes.

2. Ipsæ parum prominent, quia ab exigua intumescentia inflammatoria orificiorum canalium excretoriorum producuntur, ut hinc exigui tumores tantum producantur.

3. Confertiores sunt circa collum, mentum, & inguina, quia sudor ibi præsertim cumulatur, quia cutis valde in his partibus cohçret.

4. Ha-

4. Harum prominentiarum rubor cum sudore augetur; cùm irritatio, & sic inflammatio tunc major fiat; e contra vero imminuitur, dum frigidus fit aer, & sudor desistat.

5. Pruritus hujusmodi prominentias comitatur irritationis molestæ ergo, quam patiuntur puncta inflammata.

6. Tunc pruritus augetur, dum sudamina depilantur fragmentorum ergo exsiccatæ epidermidis, quæ cutem irritant.

7. Cum maxima sit sanguinis acrimonia, sudamina in herpetes degenerant, quia una est horum morborum sedes, & valde affinis causa.

Diagnosis.

Recentia sudamina æmulantur papulas superius descriptas; distingui tamen facile possunt, quia papulæ a sudoris vitio non dependent, ac in morbi decursu rubor in eodem gradu perstat, attamen si confunderentur, parvi momenti erit deceptio, quia remedia eadem adhibentur. Sudamina, in quibus cuticula decidit, herpetes farinosos valde imitantur; distinguuntur tamen facile tum ob ea, quæ præcedere solent, tum ob modum valetudinis; nam sudamina sponte abeunt, vel facile remediis cedunt, non ita herpetes, qui rebelles sunt.

Nonnulli putant sudamina quandoque confundi posse cum variolis, aut rubeola. At si id medici dixerint, probabile est aliqua speciali de causa coactos fuisse id suadere; nam difficillimum est credere ipsos persuasos fuisse. In rubeola enim, quæ tantum aliquam similitudinem cum sudaminibus ostendit, papulæ multo magis prominent, ceteroquin signa rubeolæ eruptionem præcedentia morbi indolem satis declarant.

Prognosis.

Sudamina periculo vacant, infantibus tamen incommoda sunt, quia ipsis somnum impediunt, & nutritionem labefaciunt. Illa quæ in herpetem farinosum degenerant, pertinaciora sunt, sed generice in junioribus facile dissipantur.

Curatio.

Quies, frigus, clysteria refrigerantia, diæta humectans, potus frigidus in adultis sufficiunt ad sudamina profliganda; sed si diuturniora sint, venæ sectio cum haustu limoneæ aut juris hordeati, tum julapia, & emulsiones sero sumptæ, vel ptysanæ refrigerantes satis, superque valebunt.

In Infantibus irrumantibus eadem remedia sunt nutricibus exhibenda, vinum prohibendo, & omnes excessus, quæ calefacere possent, omne id vitando, quæ calefaci; unt modo infantes lactationem respuant, & sudamina persistant, madefieri poterunt aqua tepenti, aut ipsis sanguinem mittere fas erit; sed raro hoc necessum est, plerumque sufficiens videtur tepenti decoctione seminum lini affectas partes oblinire, vel radicis bismalvæ cum lacte simul, aut aqua rosarum subactæ, ubi parum camphoræ solutum fuerit, loca affecta madefacere.

Quandoque æstivo tempore, dum cutis abunde sudore madescit, eveniunt exiguæ bullæ sudore repletæ milii magnitudine: hoc fit, quia excretoria glandularum miliarium vascula, plerumque exsiccata, necdum sinunt egressum copiosi sudoris; quare cumulatus humor bullas producit.

Hoc phenomenon nullum periculum consequens habet, sed cutem fricando evanescit, & sudor tunc facile erumpit, verum etiam citrà frictionem sudor ipse plerumque sibi exitum petit.

CAPUT SEPTIMUM.

De rubris quibusdam faciei maculis.

Descriptio.

Quatuor distinguunt Medici faciei rubores.

I. Est rubor naturalis, a prima ætate ortus, aut veteris originis qui faciem pluribus distinctis maculis deturpat & *Visage truité* a Gallis appellatur; has maculas rubras Latini *Lentigines* vocant.

II. Est rubor, qui, se radiis solis diu exponendo maxime tempore calido, contrahitur, quem Galli *Hâle*; Latini vero, aut potius Græci Ἐφήλιδες appellant.

III. Est rubor, qui initio graviditatum supervenit, & carnis colorem obfuscat, maculasque itidem rubras, aut fuscas plus, minusve latas producit: hic tam græce, quàm latine *Ephelis a graviditate* dicitur; gallice vero peculiare nomen haud habet.

IV. Tandem est rubor, qui ætate acquiritur, quoque facies ad nasi præsertim latera, & quandoque etiam menti corio quodam denso, atque subflavo cooperta videtur; hic nomine peculiari non pollet.

Causæ.

Prima ruborum *species* ex vitio oritur humoris mucosi, & quandoque etiam membranæ reticularis, quæ hoc rubore afficitur.

Oritur ex vitio humoris mucosi, cum humor iste aliquo extraneo humore, uti biliofo oneratur; sed hoc ad producendas maculas ita constantes non sufficit: hinc adest prudens dicendi locus, cellulas membranæ reticularis esse tunc deturpatas, aut conformationis defectu, aut vitiati humoris mucosi acritate ipsas ad superficiem rubefacientibus.

Experientia constat, has rubras maculas fere nunquam advenire, nisi iis, quibus est pellis maxime rubra, & quorum humores certum est esse valde acres, quod magis semper leves exulcerationes membranæ reticularis suadet.

Altera ruboris *species* a duabus causis producitur.

1. Ex eo quod partis rubescentis mucosi humores exsiccati sint; quod pellis albedinem minuit, externamque cutem magis fuscam, aut saltem magis flavescentem reddit.

2. Ex eo quod cutis ipsa calore solis fere combusta aruerit, ex quo transpiratio decrescit, cutisque subnigra, aut subflava evadit.

Tertia ruborum *species* initio graviditatum advenit, ex eo quod menses suppressi remaneant, sanguisque in vasa redundet; nonnulli globuli cum mucoso humore miscentur, quæ commixtio, quantumvis pauca, flavum colorem huic humori impertitur, unde postea rubor enascitur, qui in facie prægnantium apparet, ubi externa cutis magis gracilis est.

Similes affectus mensium morbosas suppressiones subsequuntur, pari ratione, ac gestationem sequuntur; attamen rariores sunt in gravidis, postquam in his casibus venam crebrius secare medici solent.

Quar-

Quarta species horum ruborum procedit a spissitudine, aut exsiccatione epidermidis ob sequentes causas.

1. Videlicet actio aeris, & caloris externi, qui tamen cutim arefacit.

2. Faciei morbii nempe fluxiones, erysipelata, herpetes &c. quæ exsiccationem accelerant.

3. Abusus fucorum exsiccantium, præsertim fuci coccinei, quo nimium mulieres utuntur.

His affectibus præsertim laborant mulieres, quæ rudiori donantur corporis habitu, in quibus epidermis densior est, & plerumque nares, frontem, aut mentum infestant, ubi cuticula spissior esse solet.

Diagnosis.

Variæ species rubedinum faciei satis perspicuæ sunt, modo ipsas parum attendamus, ut a sola earum super allata descriptione distinguantur, & speciales causæ etiam facile animadvertantur.

Prognosis.

I. Rubores, qui lentigines ęmulantur, incurabiles sunt, nullumque vidi perfecte convalescere.

II. Quando morbus ab insolatione dependeat, solem vitando, vel paucis adhibitis auxiliis facile avertitur.

III. Cum gestatio in causa sit, quod raro contingit a venæ sectionum usu, prout graviditas increscit, hi affectus evanescunt.

IV. Rubores tandem, sive sudamina, quæ a densiori cuticula dependent, convalescere, vel saltem imminui possunt, remedia adhibendo, quæ cuticulam emolliant, & exteriorem superficiem magis aridam, aut opacam abradant.

Curatio.

I. Quamvis adversus sudamina lentiginosa, ut superius admonuimus, topica parvi facienda videantur, sequentia tamen tentari possunt.

1. Aqua distillata scrophulariæ, florum fabarum, aut sambuci.

2. Aqua distillata ex lacte caprino ubi pluries infusi fuerint flores sambuci, & fabarum, cum pauca in ipsa emollita mica panis alba.

3. Lac pariter hujusmodi ita paratum, & simpliciter expressum.

4. Oleum tartari per deliquium, multa aqua rosarum dilutum; his liquoribus modo facies interdiu madefit, modo noctu lintei ope ipsis imbuti humectatur.

II. Benigniora sudamina, quæ *halè* Galli vocant, sponte convalescunt, vel ad summum valetudo promovetur humectando sequentibus remediis aridam cutin.

1. Oleum de behen, sive ovi lutei; sed hæc olea solent cutem deturpare, cum diu adhibeantur.

2. Lac amygdalarum dulcium, aut seminum frigidorum.

3. Linimentum confectum ex spermate ceti, oleo de behen, aut amygdalarum dulcium, sine igne parato, cum pauco opobalsamo, aut copai multa aqua loto, & quassato.

4. Bu-

4. Butyrum cacai purissimum, atque albissimum.

5. Luteum ovorum dilutum, & cum pauca aqua rosarum quassatum.

6. Ceratum luteum ex luteo ovorum, & spermate ceti modico igne fusis paratum.

III. Ea sudamina, quæ gestationem subsequuntur, nullum plerumque remedium postulant; vel ad summum mitiora, nuperrime proposita, erunt adhibenda.

IV. Tandem cum hujusmodi affectus a spissitudine cuticulæ procedant, remedia idonea sunt, quæ cutem molliorem reddant, quod obtinebitur, auxilia adhibendo superius art. I. II. proposita; postequam detergentia usuveniunt, ut fel bovis cum sale gemma, & aqua destillatum, tum aqua sublimati corrosivi, videlicet aqua liliorum, ubi tenuissima dosis sublimati corrosivi soluta fuerit; fæculæ pariter conveniunt radicum serpentariæ, bryoniæ albæ, scrophulariæ, aut sigilli salomonis, quæ omnia sufficienti aqueo vehiculo cuti admoventur.

CAPUT OCTAVUM.

De Gutta rosacea.

Descriptio.

I. Frequenter accidit, quod in hominibus certam ætatem attingentibus faciei superficies in quibusdam locis spissa, inæqualis, & rudis fiat, atque rubro colore imbuatur.

II. Hoc phenomenon genis, naribus, aut mento frequens est; hujusmodi morbus a Gallis *La Couperose* vocatur.

III. Hic morbus a Græcis, aut Latinis non describitur: potest tamen dubitari, quod comprehendatur sub nominibus variis Ἴονθοι, & Ἐξανθήματα, vel *Vari*, *Pustulæ*, & *Mentagræ*.

IV. Arabes hunc affectum appellarunt *Albutisaga*; Medici, qui ante scientiarum renovationem inter vivos fuerunt, *Gutta rosea* ipsum appellare consueverunt rubri coloris ergo, quo facies deturpabatur, ex quo Galli efformarunt nomen *Gutte rose*, & per corruptionem *Couperose*.

V. Vocabulum *Gutta* apud medicos hujusmodi *Fluxionem* significabat, quod etiam *Podagræ* tribuerunt, quæ per excellentiam *Gutta* dicitur; tum paralysi nervorum opticorum aptarunt, ut *Gutta serena* vocetur; epilepsiæ etiam, quæ interdum *Gutta*, sive *Gutteta* nuncupatur, ex quo derivat nomen illud *pulveris ad Guttetam*, quod pulveri antiepileptico dederunt; tandem eadem ratione faciei rubores vocati fuerunt; quin hunc *Gutta rosa*, *rosea*, vel *rosacea* appellarunt.

Differentiæ.

Sex sunt hujusmorbi species.

I. Gutta rosea *simplex*, ubi cutis faciei spissior, rudior, inæqualis, & rubicundior apparet.

II. Gutta rosea *varicosa*, ubi partes affectæ exiguis venulis dilatatis sunt interspersæ, quæ per superficiem faciei reptant.

III. Gutta *squammosa*, ubi partes affectæ in squammas plus, minusve conspicuas elevantur.

IV. Gut-

IV. Gutta *tuberculosa*, in qua exigui tumores rubri, & conici exurgunt.

V. Gutta *ulcerosa*, ubi exigui illi tumores in apice putrescunt, & ulcuscula gignunt.

VI. Gutta tandem *cancrosa*, quæ in parte affecta summam duritiem comitem habet cum diris lancinationibus, quæ superficialem cancrum minantur, & *noli me tangere* vocari solent.

Animadvertendum est, hujusmodi varias species simul interdum concurrere, ut complicatum morbum faciant.

Causæ.

1. Gutta certas faciei partes potissimum afficit, ut genas, nares, mentum.
2. Ipsa nunquam in verum erysipelas desinit.
3. Pustulæ, quæ hunc morbum comitantur, circulari figura semper donantur.
4. Nudis, vel armatis oculis in gutta incipienti glandularum sebacearum infartus probe distinguitur.

Ex hoc enim concludi debet sedem primariam guttæ rosaceæ in glandulis miliaribus minime sitam esse, secus enim vultus non solum, sed reliquum corpus aggrederetur, & pene semper in erysipelas desineret; at in glandulis sebaceis locari, quæ in affectis partibus confertiores sunt, quarum canales excretorii ibi finem habent, ipsique in hoc morbo ob propriam circularem figuram cum turgescant, oculis etiam conspicui fiunt.

Glandulæ enim sebaceæ triplici ratione deturpari possunt.

I. Quando contentus humor spissus nimis videatur, tunc glandulæ sebaceæ inflantur, cutis ipsa induresceit, & scabra fit, ut proinde, vasis compressis, sanguis congeratur, & rubor in affecta parte succedat; hæc est prima guttæ roseæ species, quæ *simplex* dici potest.

At si glandularum sebacearum intumescentia certum gradum attingat, venæ magis compressæ magnopere dilatabuntur, & varicosæ fient; hinc gutta *varicosa* oriri solet, quæ *tuberculosa* tandem fit, quando extremitates canalium excretoriorum pro maxima turgentia extra cutem erumpant.

II. Quando hic humor sebaceus acer nimis fit, & corrodens, tunc epidermis a cute separata arescit, & in squammulas resolvitur, ac proinde gutta *squammosa* producitur.

Tunc extremitates canalium excretoriorum glandularum sebacearum post corrosionem putrescunt, & guttam *ulcerosam* producunt.

III. Tandem, quando humor iste una spissus, & corrosivus fit, gutta *cancrosa* gignitur, sive *noli me tangere*.

Tria hæc diversa humoris sebacei vitia a diversis causis dependent, hujusmodi sunt.

I. Spissitudo hujus humoris, quæ derivat,

1. A pravo regimine, & usu frequenti crassioris cibi.
2. A tristitia, & melancholia.
3. A lue venerea sanguinem inficienti.
4. A suppressione mensium in mulieribus, aut fluxus hæmmorrhoidalis in viris.
5. Ab applicatione linimentorum, aut aquarum nimis refrigerantium, quibus humor sebaceus in propriis organis condensatur.
6. A nimio usu fuci rubri, qui exsiccat & constringit extremitates canalium illarum glandularum, ibique secretum humorem coercet.

II. Acri-

II. Acrimonia humoris sebacei quæ producitur,
1. Ob nimium usum vini, aut liquorum spirituosorum.
2. Ob alimentorum salsugineorum, aromaticorum, aut irritantium abusum.
3. Ob exercitium nimium coitumque frequentiorem.
4. Ob venereum fomitem.
5. Ob linimentorum, aut aquarum acrium, & detergentium nimium usum.
6. Ob frequentem applicationem acrium balsamicorum.
7. Potissimum tandem ob detentam in sanguine bilem, ejusdemque cum humore sebaceo admixtionem, ex quibus hepate indurato, gutta rosea sæpe producitur.
III. Acrimonia, & spissitudo humoris sebacei connubium contrahunt, quando plures utriusque generis causæ simul copulantur.

Symptomata.

1. Gutta rosea præsertim infestat genas, nares, mentum &c. quia in his partibus glandulæ sebaceæ confertiores sunt.
2. Ipsa deturpat potissimum graciles, & albescentes homines, qui tenerrima cute donantur, quia tunc glandulæ lassiores sunt, & facilius infartui obnoxiæ.
3. Calor climatis magnopere concurrit ad guttam producendam; quare ceteris paribus frequentius observatur in calidis regionibus, ubi sanguis naturaliter arescit.
4. Attamen in frigidis etiam regionibus obvia est, sed hoc tribuendum est excessui vini, & liquorum, tum pervigilio, & animi pathematibus.

Diagnosis.

Guttæ rosaceæ descriptio ipsam satis a reliquis morbis cutaneis distinguit; facile enim solo inspectu sex diversæ guttæ species a sola descriptione deducuntur.

Prognosis.

I. Generice gutta periculo vacat; attamen difficulter curari potest.
II. Difficulter præsertim convalescit cum vetustior fuerit, ulcerosa, tuberculosa, cum rubris lividis, & purulentis papulis consociata.
III. Gutta, quæ cancrosa evadit, valde periculosa est, & diligentiorem medici operam postulat, præsertim cum efficaciora remedia morbum intendere, & cancrum accelerare valeant.

Curatio.

I. In curatione interna guttæ necessum est 1. exactum regimen præscribere humectans, & refrigerans cum modico cibo; nimium exercitium, pervigilium, coitum, & liquores spirituosos interdicendo.
2. Fas est exhibere diluentia, & humectantia remedia, videlicet decoctiones pullorum, aut vituli cum plantis refrigerantibus, sero lactis, lacte asinino, balneis, & aquis mineralibus.
3. Deinde si tempestas sinat, mitiora aperientia opportuna sunt, ut tartarum martiale solubile, tinctura martis, crocus martis aqua paratus, bulla martis infusa, & sal martiale Riverii &c.

4. Imo

4. Imo efficaciora, attenuantia convenire videntur, si ægri conditiones sinant; hujusmodi sunt decoctiones asellorum, cancrorum, viperarum, tum mercurialia simpliciter attenuantia, ut ethiops, & cynnabaris. Tandem antimonialia diaphoretica, nempe antimonium diaphoreticum, quæ omnia modica dosi, & sub forma boli, aut opiati erunt exhibenda.

5. Tandem ægrotantes purgare plus, minusve; prout temperamentum, vires & morbi status postulaverint.

Modo revera luem veneream suspicemur, ipsa mercurio admoto erit subigenda.

II. Quoad externam curationem attinet;

1. Remedia omnia idonea sunt in sudaminibus superius proposita.

2. In gutta tamen rosacea utiliter usuveniunt aquæ plantaginis, & florum sambuci, in quibus simul junctis pro duodecim unciis, duplex drachma salis saturni infusa sit, posteaquam in hoc liquore immergitur pulvinus sulphure repletus, quo affectæ partes madefiunt.

III. Usuveniunt etiam variæ species lactis virginalis, præsertim illud, quod ex solutione camphoræ in aqua liliorum quassata producitur.

IV. Sed tandem tutissimum remedium est linimentum confectum ex spermate ceti, terebinthina veneta, & oleo de Behen, aut amygdalarum dulcium, cum pauca cera virgini ad modicum ignem fusis, eo imbuuntur lintea alba, quæ noctu per longum tempus affectis partibus applicantur.

CAPUT NONUM.

De Crustis Lacteis.

Descriptio.

HIc morbus ad infantes proprie attinet: in ipso duo stadia distinguuntur; initium videlicet, & status.

I. In incipientibus crustis:

1. Cutis innumeris *hydatidibus*, aut vesiculis olei specie repletis, sive oleoso madore deturpatur.

2. Hujusmodi liquor inspissatur, & sensim, sensimque flavescit, ut plerumque in crustas indurescat, quandoque vesiculæ disrumpuntur, & liquor effunditur; at humor istiusmodi continuo ex hiatibus cutis erumpens, cito, & ipse in crustas concrescit.

II. Confirmato morbo:

1. Pars affecta obducitur crustis plus, minusve densis, albis, luteis, lividis, aut nigerrimis, ex quibus, dum humidæ perstant, humor pinguis, & oleosus stillat; nullus vero, si arescant.

2. Quandoque evenit, quod crustæ sponte decidant, vel scalpendo abradantur; tunc cutis subtus posita, integra se offert: at pluribus foraminibus circularibus perfossa, ex quibus viscosus, aut glutinosus latex prosilit in novas crustas brevi concrescens.

3. Hic affectus partem capillatam potissimum aggreditur; attamen frequenter ad aures, genas, mentum, nares, & raro interdum reliquum corpus etiam extenditur. Semel abeunte morbo cutis sana restituitur nullo præcedentis morbi indicio superstite.

4. Crustæ lacteæ duplicem denominationem a Græcis adeptæ sunt. Ipsi Αχῶρες crustas appellabant, dum ipsæ exsiccatæ apparebant, & cutis exiguis per-

perfossa foraminibus conspiciebatur; dum tamen grandiora erant foramina & stillans latex spissior erat, atque melem æmulabatur Κηρία crustas dicebant, quod idem significat, ac *favi*, sive mellis striæ; hoc postremo de nomine Latini, & Romani potissimum eas cognoscebant. Medici in Europa post imperii decrementum degentes *lactumina*, sive *crustas lacteas* illas appellarunt, quia infantibus lactantibus superveniunt; ex hoc Galli ipsas vocant *croutes de lait*. In aliquibus regionibus *tinea* vocari solent; sed in his casibus veræ tineæ de qua infra locuturi erimus, nomen *Rasche* tribuitur.

Causæ.

Evidens est, ut de gutta rosea admonuimus, crustas lacteas primariam sedem in glandulis sebaceis habere.

1. Quia nullum erysipelas inducunt, quamvis inveteratæ sint.

2. Quia cutis integra permanet quamvis ipsam obducant, nullumque morbi vestigium post valetudinem relinquant.

3. Quia partes afficiunt, ubi glandulæ sebaceæ confertiores sunt.

4. Quia destructis crustis solo inspectu se offerunt emissaria glandularum sebacearum, e quibus viscosus humor defluit, morbum detinens.

Igitur concludi potest crustas lacteas in glandulis sebaceis locari, easque crustas ab exuberantia secreti humoris derivare citra ullam hujus laticis acrimoniam, quia nulla ratione, vel levissime tantum, cutis excoriatur.

Cum hic morbus lactantes potissimum aggrediatur, isque abeat mutato nutrimento; ideoque in lactis propinati qualitate causa perquirenda videtur, quæ hanc abundantiam producat.

Nihilo tamen minus cum eadem nutrix non semper crustis inficiat quoslibet ab ipsa infantes alitos; idcirco naturalis sanguinis conditio ipsius infantis ad hunc affectum producendum non parum concurrere poterit.

I. Ubertas enim humoris sebacei, quæ potissima causa hujus morbi videtur, a crassiori sanguinis infantis constitutione pendere videtur, præsertim cum densiori butyraceo, aut vetustiori lacte ipse vescatur; hac de causa nutrices, quæ tali lacte donantur, in ea ratione male constitutis puerulis crustas lacteas excitabunt; non ita in illis, qui bona sanguinis indole pollent.

Quapropter.

1. Crustas lacteas haud infrequenter patiuntur infantes pingues, & crassiori sanguine præditi.

2. Illi pariter hoc morbo affici solent, qui ex obesis nutricibus, & bene alitis lac vetus, uberrimum, & butyraceum nimis recipiunt.

3. Ii denique infantes, qui nimis per lactationem nutriuntur.

II. Quandoque humoris sebacei abundantia aliquali jungitur acrimoniæ, quæ consequitur naturalem constitutionem sanguinis infantis, præsertim auctam ab acrimonia lactis nutricis, quæ irascibilis sit, vinoso potu delectetur, & salitis, aut calefacientibus cibis vescatur, libidine æstuet, aut mensibus jam diu deficiat:

Ex hoc enim.

1. Infantes strumosi frequenter crustis lacteis cooperiuntur;

2. Eæque crustæ proinde illis frequentiores sunt, qui nutrices habent ex indicato genere.

Symptomata.

3. Hic morbus potissimum caput deturpat, quia glandulæ sebaceæ in capil-

lata

lata parte confertiores sunt, grandioresque, ut apparet a pinguedinis copia ibi existentis; quod ab humore sebaceo indurato procedit.

2. Ex hoc loco ad faciem morbus se transfert, ubi sebaceæ glandulæ frequentiores sunt, nempe in genis, naribus, auribus, aut mento.

3. Raro reliquum corpus deturpat, quia calor humorem sebaceum fluidiorem ibi conservat.

4. Hic affectus a pluribus vesiculis miliaribus initium habet, quibus cutis obducitur: hujusmodi sunt extremitates canalium excretoriorum glandularum sebacearum ob humoris copiam, & visciditatem dilatatorum.

5. Dum hic humor inspissatur, crustas gignit, at si vesiculæ disrumpantur, pari ratione erumpens latex exsiccatus in crustas abjerit.

6. Crustæ albescunt, vel flavescunt, prout humor sebaceus purus, albus, aut luteus fuerit.

7. Quandoque lividæ, & nigræ sunt; quando infantes scalpendo, vas aliquod sanguineum infringunt, ex quo sanguinis guttulæ sebaceo humore permixtæ crustas inficiunt.

8. Dum humor sebaceus exuberantia tantum vitiatur, crustæ spissæ, & crassiores apparent, sed pruritus mediocris est, cutisque sub crustis integra perstat, tandem crustæ ipsæ induratæ observantur.

9. Ubi tamen humor sebaceus acer sit, crustæ tenuiores sunt, & humidiores; pruritus intensior est, & decidentibus crustis cutis exulcerata nonnihil apparet.

10. Hic affectus nutricem mutando, quæ lacte polleat recenti, & seroso, tollitur, aut leviorem infanti cibum suppeditando.

11. Semel profligato morbo nullum superest incommodum, & cutis jam diu crustis deturpata, pristinam mollitiem recuperat, ac si nunquam morbo affecta fuisset.

12. Crustæ per attactum nunquam, vel raro saltem communicari solent, quia supponunt antecedens sanguinis vitium, sine quo nunquam producerentur; ceteroquin morbosus latex densus nimis est, ut epidemicus fiat.

13. Experientia ostendit infantes crustis lacteis obnoxios serius dentes producere; fortasse quia humoris effusio, quæ per cutim fit, nutrimentum demat ipsorum dentium.

14. Experientia pariter demonstrat in hujusmodi infantibus dentes cum majoribus cruciatibus oriri, vel id procedat a majori duritie ossis, atque periostii maxillarum, vel a constipatione infantium, quæ dentitionem difficilem reddere solet.

15. Tandem compertum est hujusmodi infantes plerumque rachiticos fieri, quia frequenter lympha, quæ ossa nutrit, simile vitium contrahit humoris sebacei.

Diagnosis.

Crustæ lacteæ cum tinea confundi nequeunt, cum hæc propria ostendat pathognomonica signa; quo ad varias species pertinet crustarum lactearum, solo inspectu distinguuntur humidæ a siccis, tum illæ quæ ab ubertate, & acrimonia simul sebacei humoris dependent.

Prognosis.

Crustæ lacteæ suaapte natura periculo vacant; at periculosæ fieri possunt, si in-

si integrum corporis ambitum pene occupent; transpirationem iccirco impediant, quod tamen rarissimum est; contra vero si crustæ intus pellantur, periculosissimæ fiunt, quia tunc repulsus humor plerumque ophthalmiam, surditatem, febrem, alvi fluxum, & ipsam phthisim producere poterit.

Curatio.

1. Remedium adversus crustas tutissimum est, nutricem mutare, atque unam ex iis deligere, quæ junior sit, & lac copiosum, clarum, serosum, atque recens habeat.

2. Si crustæ parum copiosæ sint, & nutrices suspectæ, in hoc casu nutrici humidum, refrigerans, sobriumque regimen erit præscribendum, vinum interdicendo; quandoque etiam vel decoctiones refrigerantes; vel ptisanas radicum fragariæ, aut graminis; tum emulsiones leviores exhiberi poterunt.

3. Identidem infantem purgare necessum erit cochlearibus aliquibus infusi rhabarbari, & syrupi cichorei compositi, aut florum persicorum; verum si opus sit, occipiti cauterium admovebitur, & si pervigil fiat, duplex drachma exhiberi fas erit syrupi papaveri albi.

4. Si crustæ scalpendo scindantur, oleo amygdalarum dulcium, aut ovorum cum aqua liliorum quassato excoriatæ partes erunt obliniendæ; vitari enim debent tuthia, cerusa, & reliqui pulveres absorbentes, qui perperam humorem repercutiunt.

5. Si morbi fomes omnino repellatur, ad cutem revocabitur, admotione foliorum tenerrimorum betæ; at si remedium voto non respondeat, sedulo infantem purgare, & nutricem mutare oportebit.

CAPUT DECIMUM.

De vitiligine sive mentagra.

Descriptio.

I. QUandoque eveniunt infantibus, quibus dentes primum erumpunt, bullæ, sive vesiculæ quædam, quæ labia, atque mentum deturpando in crustas tandem degenerant; idem morbus revertitur circa septimum ætatis annum, quando nuperrimi dentes veteres expellunt; quandoque etiam infantibus occurrunt citra dentitionem.

II. Hæ crustæ quandoque siccæ, spissæ, & purulento humore madidæ sunt, frequenter ipsæ exsiccantur, & cutis erisypelatosa, spumosa, leviterque exulcerata apparet.

III. Eadem phenomena interdum infantes aggrediuntur, qui pubertati proximi fiunt; quandoque etiam puberes, & adultos infestant.

IV. Hic affectus videtur modo crustas lacteas, modo herpetem squammosum æmulari, sed ad herpetes magis accedit, ut infra videbimus.

V. A Græcis hic morbus Λειχὴν appellatur, a Latinis *vitiligo*, seu *mentagra*, ab Arabis *sahafati*; a Medicis, qui vixerunt ante scientiarum restaurationem, hic morbus *ignis silvestris*, sive *ignis volaticus* dicebatur, ut distingueretur ab erysipelate, quod ipsis erat *ignis sacer*.

Ex eo nomine enim ignis volatici Galli illud *de feu volage* composuerunt.

Se-

Sedes, & Causæ.

Cum cutis in hoc morbo sub crustis integra servetur, & hic affectus herpetes squammosos valde æmuletur; idcirco merito putandum erit, sedem morbi in reticulari membrana locatam esse, atque humorem mucosum vitiatum, ut in herpetibus, causam esse vitiliginis; ex his consequitur herpetes producere posse etiam vitiliginem solummodo; speciales quædam causæ habentur, quæ materiam morbosam mentum versus dirigunt.

I. Dentium enim eruptio, vel quia sanguis abunde tunc in mentum influat, vel quia acris spuma ex ore in mentum irrumpens ipsum deturpet, una e causis videtur.

II. Sordes quas infantes contrectare solent, & postea luridis manibus mento admovent.

III. Glandularum submaxillarium in infantibus intumescentia, quæ lymphæ refluentis cursum impedit, ut ipsa in mento, & labiis detenta vitiliginem producat.

IV. Febris paroxysmi, qui in eruptiones glandularum labialium desinunt, & aphtas producunt, quæ propinquitatis ergo mento communicantur puris effluentis ope potissimum.

Symptomata.

1. Bullæ in vitiligine apparent, quia humor mucosus, atque nimis acer irritat, atque inflammat quasdam membranæ reticularis cellulas, quæ inflantur, & in bullas elevantur.

2. Hæ bullæ exsiccantur statim, in ipsis contentus humor inspissatur, atque in crustas induratur.

3. Hæ crustæ ergo siccæ apparent, quando humor, qui ipsas gignit, spissus, & aridus fiat. Sed fluunt, quando humor serosus fit.

4. Quando crustæ decidunt, quamvis cutis integra appareat, erysipelatosam tamen se monstrat acrimoniæ ergo humoris, quæ sub crustis cutem irritaverat.

5. Crustis sanatis nulla superesse solet cicatrix; quia experientia docuit hoc abesse periculum, cum cutis integra perstiterit.

Diagnosis.

Parvi penditur vitiliginem ab herpete crustoso distinguere, quia in utroque affectu una est indoles.

Distinguitur tamen facile vitiligo humida a sicca crustarum inspectu, & humore effluente. Causæ speciales morbi conjecturantur ab historia præcedentium.

Prognosis.

I. Vitiligo sive mentagra periculo vacat, modo saltem, quod rarum est, integram faciem non deturpet.

II. Prudentis medici est hunc morbum minime tollere in infantibus, præsertim cacochimicis, & male affectis, in quibus sanguinis vitium erit corrigendum, antequam topica adhibeantur.

III. Si hic affectus perperam intropellatur, erit revocandus levioris vesicatorii ope; secus enim deteriora phenomena evenirent.

Curatio.

I. In hoc morbo necessum est, quod æger optimum regimen servet, cum sensim ætas potissimum ipsi medeatur.

II. Attamen si protinus sanari velit,

1. Sanguinem edulcorare oportebit decoctiones, serum lactis, lac, balnea, & aquas minerales adhibendo.

2. Quandoque sanguinem purificare convenit ope decoctionum asellorum, cancrorum fluviatilium, viperarum, aut bryoniæ; tum ope martialium, & mercurialium remediorum, quæ minime purgent.

III. Insuper extrinsecus adhiberi possunt remedia adversus herpetes superius proposita.

IV. Hujusmodi usitatiora sunt,

1. Scintillæ lapidis silicis, quæ supra partem affectam decidentes cutem sua impressione roborant, firmantque.

2. Oleum ex charta, aut linteo combusto atque inter patinas coercito extractum; tum oleum simili ratione ex tritico paratum.

3. Oleum olivarum, in quo ebullierit pulpa radicis lapathi.

4. Pulpa ejusdem radicis sub forma linimenti cum adipe suillo subacta.

5. Oleum tartari per deliquium cum oleo amygdalarum, aut ovi lutei quassatum.

6. Linimentum quodlibet ex tertia parte præcipitati albi, aut rubri mercurialis confectum. Hujusmodi remediis partes affectæ blande obliniuntur, atque opus ter, quaterve reiteratur.

V. Ut hæc remedia tamen validius agant, crustæ abradi debent ope cataplasmatis confecti ex foliis betę & oleo liliorum, verum etiam ex cremore lactis quassato, aut simpliciter ex cerato Galeni parum liquato.

VI. Morbo profligato utile evadet, aut cauterium aperire, aut alvum frequenter ciere.

CAPUT UNDECIMUM.

De Varis.

Descriptio.

I. QUædam subjecta exiguis tuberculis afficiuntur conicis erysipelatosis faciem deturpantibus: ii modo rariores sunt, modo confertiores; plerumque ad apicem putrescunt, ubi purulenta frequenter materies spissa erumpit.

II. Cum hujusmodi prominentiæ in suppurationem vergunt, penitus dissipantur; sed cum suppurationi obsistunt, aut imperfecte putrescunt, exiguus tumor superest difficulter resolvendus.

III. Hos affectus ἴονθοι Græci vocant, a Latinis vero ipsi *vari* dicuntur, ab Arabis *Botor*, & a Gallis *Boutons*.

IV. Vari quandoque gutta rosea copulantur; frequentius tamen sine ipsa apparent.

Sedes, & Causæ.

Neminem latebit glandulas sebaceas horum tuberculorum sedem constituere, quod

quod facilius innotescit ob eorum similitudinem cum furunculis. Etenim vari a duabus hisce causis procedunt.

1. A viscididate humoris sebacei, quo harum glandularum vascula turgent.

2. Ab acrimonia ejusdem humoris, qui inflammat, roditque vasa excretoria earumdem glandularum.

Hæc viscositas, verum etiam acrimonia humoris sebacei a spissitudine, & acrimonia ipsius sanguinis procedere videtur; sed hæc sanguinis vitia causas diversas recognoscunt pluries enunciatas.

Duplici huic causæ addi poterit in junioribus eruptio pilorum; nam pili sub cute reflexi, atque implicati cutem irritant, varosque gignunt; quapropter puberes recenter facti homines facilius his affectibus laborant.

Symptomata.

1. Prominentiæ conicæ hujusmodi rubræ, & acuminatæ, quæ vultum deturpant, sunt extremitates canalium sebaceorum turgentes, & inflammatæ.

2. Si illæ putrescant, ab apice humor sebaceus stillat, modo iste satis liquatus fuerit, ut in pus convertatur; secus enim sine suppuratione indurescunt.

3. Ex his suppuratis tuberculis furunculorum more purulentus vermiculus exit, qui ex ipso humore sebaceo in canali excretorio indurato concreverat. Sed jam extracto indurato humore furunculus perfecte convalescit.

4. Quando materies in tuberculo detenta necdum erumpit, pertinax fit affectus, & nisi post tertium mensem e cute vermiculus purulentus erumpit.

5. Exigui tumores, qui a pilorum retentione, impeditoque exitu producuntur, spurii sunt, videlicet purulento vermiculo carent.

Diagnosis.

Nihil facilius, quam hujusmodi affectus distinguere, eorumque causas determinare; de his solo inspectu judicatur.

Prognosis.

Iidem affectus vix remedia postulant, & Celsus merito ait *lib. 6. cap. 5. pene ineptiæ sunt curare varos*; nihilominus quando hujusmodi tuberculi confertiores sunt, atque exulcerati minime negligi debent, cum facile in guttam roseam converti possint.

Curatio.

Ut medeamur his affectibus, ubi vultum afficiunt, necessum erit,

1. Tenui victu uti, aquam tantum haurire, coitum fugere, dulcioribus atque humectantibus alimentis vesci, ventrem tandem sæpe expiare.

2. Diluentia, atque refrigerantia opportuna sunt superius allata, ut decoctiones refrigerantes, serum lactis, lac, balnea, aquæ minerales &c.

3. Attenuantia simul usuveniunt, videlicet martialia, & mercurialia necdum purgantia ut æthiops mineralis, aut decoctiones millepedum, cancrorum, viperarum &c.

4. Extrinsecus applicari possunt remedia adversus herpetes, aut guttas rosaceas proposita, quorum usitatiora sunt.

Succus Limonum cum floribus sulphuris commixtus sub liquoris forma appositus.

Solutio salis saturni in aqua plantaginis.

Lac virginale camphora, & benzoino confectum.

Acetum sambuci ex sale saturni aut pauco lithargyrio dulcificatum.

Tinctura sulphuris ope aquæ calcis extracta.

Ex alterutro horum remediorum interdum tepide ter quaterve in die pars affecta oblinitur.

5. Huic usui cedit linimentum etiam confectum ex oleo de behen, balsamo Medinæ, aut terebinthina, utiliterque adhibetur sperma ceti, cum pauca cera simul fusum, in quibus liquoribus linteola madefiunt, vultui noctu applicanda.

CAPUT DUODECMIUM.

De Tinea.

Apud Græcos probabiliter tinea Ψχιύδρια nomen retinuit vel illud Ἐλκύδρια habuit; apud Latinos vero *Porrigo*, vel *Furfurago* appellabatur; apud Arabes tandem *Assafati siccum* nuncupabatur, ut a crustis lacteis distingueretur, quas *Assafati humidum* ipsi vocabant. Nihilo tamen minus certum est, Medicos ante scientiarum restaurationem in Europa degentes, hunc affectum constanter *tineam* appellavisse, ea de causa quia partem capitis capillatam in hoc morbo pari ratione crustæ deturpabant, ac *insecta tinea* dicta pannos corrodunt, ex qua nuncupatione Galli *teigne*, sive *tigne* dicere solent, quamvis in aliis regionibus *Racbe*, vel *Rasque* dicatur.

Descriptio.

I. In tinea exiguæ bullæ sub cute se produnt, ut in herpete miliari.

II. Hæ bullæ in parte capillata tantum se offerunt, sed potissimum circa radicem capillorum.

III. Certæ observationes tamen docuerunt hoc affectu palpebras affici, atque barbam, quod raro tamen occurrit.

IV. Eædem bullæ facile disrumpuntur, humoremque acerrimum, quo replebantur, fundunt, ideoque in ulcera cutanea cito degenerant, plus, minusve profunda extensa, aut perniciosa.

V. Quandoque hujusmodi ulcera totam occupant partem capillatam, quandoque partem aliquam.

Differentiæ.

Generice duplex distinguitur tineæ genus, nempe tinea humida, & tinea sicca.

I. Tinea humida tres species complectitur.

1. Tinea *favina*, sive *favosa*, in cujus ulcerum centro plura foraminula circularia confertissima conspiciuntur, quæ apium cellulas valde æmulantur, a quibus humor viscosus, luteusque a melle haud absimilis profluit, ut hac de causa Latini a favo mellis favosam hanc tineam appellent.

2. Ti-

2. Tinea *ficosa*, in hac ulcera sunt tuberculis referta, granulis rotundis, luteisque repletis granis ficuum valde similibus.

3. Tinea *humida simplex* in qua ab ulceribus sanies tantum prorumpit, absque favi aut granorum similitudine.

II. Tinea sicca totidem species comprehendit: hujusmodi sunt,

1. Tinea *crustosa*, sive crustacea in qua ulcera luteis, cinereis, nigris, lividis, fædisque crustis obducta sunt.

2. Tinea *Lupina* ita dicitur labiorum ulcerum ergo exsiccatorum, atque a lupinis, aut pisellis non absimilium; appellatur etiam *squammosa*, quia callositates interdum squammarum formam suscipiunt.

3. Tinea *porriginosa* sive furfuracea ea est, in qua ulcera profundas, *siccas*, & callosas valde rimas inducunt, quarum margines continuo albo polline obducuntur, qui facile scalpendo abraditur.

Sedes.

Usque adhuc hujusmodi sedem perperam statuerunt Scriptores, in cute esse; at facile demonstrabitur ad bulbos sive capsulas radicum capillorum pertinere, easque capsulas exulcerari plus, minusve in omni tineæ specie.

Ut claram proponamus hujus morbi ideam, ea sunt revocanda, quæ superius *l. II. c. I.* enunciata fuerunt; nempe pilos atque capillos inseri in capsulas tendineas distinctas ovali figura donatas intra cutis spissitudinem, cui adhærent ope filamentorum tendineorum, vasorumque arteriosorum, venosorum, lymphaticorum, atque staminum nerveorum, quæ stamina, vel a cute ad capsulas, vel a capsulis ad cutem transferuntur.

Hę capsulæ cavæ sunt, atque in earum ultima cavitate pili, sive capilli per quinque, aut sex distinctas radiculas crescunt, quæ radiculæ, quamvis ab ortu suo sejunctæ appareant, tandem in unum coalitæ pilos sive capillos integros efformant; in reliquo corpore hujusmodi capsulæ valde inter se distant, sed in capillata parte propinquæ valde sunt.

Quapropter in his capillorum capsulis sedem tineæ locari censemus, quæque opinio confirmari videtur validissimis rationibus; videlicet,

1. Pertinacia morbi in cassum topicis adhibitis, quæ utiliter in crustis lacteis, aut herpetibus usuveniebant, quod ostendit, neque canales sebaceos, neque membranam reticularem affici.

2. Necessum esse dum tinea confirmatur ad valetudinem obtinendam capillos extirpare, quod evidenter ostendit radicem capillorum sedem esse hujus morbi.

3. Cicatrices pariter post valetudinem superstites, ubi capilli nunquam reproducuntur, ostendunt in hoc affectu capsulas capillares prorsus destrui.

4. Tandem quia tinea, nisi partem capillatam, aut aliam corporis pilosam aggreditur, ut non sit amplius dubitandum, capsulas pilorum, aut capillorum tineæ sedem constituere.

Causæ.

Causa potissima tineæ est acrimonia plus, minusve corrodens ipsius lymphæ, quæ capillos alebat, eorumque capsulas, bulbosque cartilagineos interius humefacit; ceteroquin hujusmodi lympha acris, atque corrodens fieri potest quattuor subsequentibus de causis.

1. Extraneum fermentum, quod sanguinem inficiat; atque hujusmodi lymphæ copuletur; uti lues venerea, scorbutica, aut strumosa.

2. Acrimonia in sanguine exuberans ob vitium regiminis matris, nutricis, aut infantis. Si hæc acrimonia specialiter humorem capsularum lymphaticum deturpet, id tribuendum erit accidentalibus causis; frigori nempe externo, morbis capitis externis, aut sorditiei.

3. Extrinsecum inquinamentum, quod specialiter humorem capillos nutrientem solet deturpare; hac enim de causa lues venerea semen inficit, venenum canis rabidi salivam inquinat, ideoque facillime tinea communicatur, præsertim si diu iisdem galeris utatur æger.

4. Tandem sordities capitis, ob quam lympha corrumpitur capillorum, ut ex ea crustæ lacteæ, scabies, tineam tandem producant, quare huic morbo facilius sunt obnoxii infantes, qui frequenter non pectuntur.

Explicatio Differentiarum.

1. Sanguinis conditio tineæ indolem prænunciat, si ipse lymphæ quantitate oneretur, tinea *humida* fuerit, *sicca* contra, si sanguis aridus, & resinosus extiterit.

2. Quando cutis affectæ partis nondum exulceretur, sed tantummodo circa radicem capillorum scateat lympha saniosa, quæ bullas producat, ex quibus bullulis ichor fluat, qui capitis crustas augeat, tinea *simplex* videtur sive *incipiens*.

3. Cum superficies cutis capillata in aliqua parte abradatur, canales sebacei dilatati, & patuli apparent, humor viscosus stillat, luteusque a melle haud absimilis, & tunc tinea *favosa* oritur.

4. Si cutis erosio augeatur, & capsulæ capillorum denudatæ, atque erosæ se offerant, ut perbelle æmulentur interna ficuum granula; tinea tunc *ficosa* appellari meretur.

5. Quando tinea sicca est, parumque humoris fundat, qui statim concrescat sub crustrarum specie, tinea *crustosa* appellatur.

6. Hujusmodi crustæ luteæ tantum conspiciuntur, quando a tineę latice tantum originem ducunt; sed fuscæ, lividæ, atque nigerrimæ, quando guttis aliquibus sanguinis commiscentur, quod potissimum evenit, dum ęger se scalpit.

7. Tinea sicca sub crustis callositates gignit circa ulcerum labia ob persistentiam affluentis ichoris; ubi hujusmodi callositates distinctæ & copiosæ fuerint ad magnitudinem pisi, tinea *lupina* vocatur.

8. Crustæ tineæ aridæ prout exsiccantur, in plures lobulos dividuntur, qui sejunctim a capite decidendo tineam *furfuraceam* faciunt.

9. Quando hujusmodi crustæ teneriores sunt, & friabiles in subtiliores partes distinctæ, ut crassiorem farinam æmulentur, tinea *farinacea*, sive *porriginosa* vocari solet.

Symptomata.

1. Qui tinea laborant; capite male se habent, lymphæ ergo purulentæ, plurisque affluentis; hæc capitis gravitas stat in ratione magnitudinis, & qualitatis tum puris, cum morbi, tum in ratione regiminis.

2. Identidem hujusmodi ægri horripilationibus, atque febris paroxysmis afficiuntur, qui subsequuntur retropulsionem laticis purulenti; hi affectus eo intensiores fiunt, quo negligentius ulcera deterguntur.

3. In tinea ipsa incipienti radices capillorum afficiuntur; in confirmata vero capsulæ destruuntur; in hoc morbo enim attendendum est capillorum jacturæ, quæ si generalis fuerit, *Alopecia* producitur; *Ophiasis* vero si in aliqua parte tantum per strias deficiant.

4. Cum venæ lymphaticæ, quæ ab externa capitis superficie revertuntur, tineæ ichore valde saturentur, quem in glandulas colli ferunt, ubi finem habent, tunc ut *l.* 1. *c.* 10. admonuimus, hujusmodi glandulæ ab hoc pure frequenter indurescunt, atque ingrandescunt.

5. Infantes pecti nequeunt; quare pediculi facile multiplicantur, præsertim cum sordes, atque pus, quæ caput obducunt, idoneum his animalibus nutrimentum suppeditare valeant.

6. Pus valde irritans, crustæ, atque pediculi infantibus molestum pruritum excitant, qui scalpendi desiderium ipsis movet, donec excorientur, sanguinem fundant cum vivido plerumque dolore.

7. Continuus capitis pruritus pervigilium inducit; pervigilium vero consumptionem facit; quare infantes sub tinea tandem atrophia corripiuntur.

8. Hic morbus augetur pariter a superveniente lenta febre, quæ est effectus puris, per venas lymphaticas a capite in sanguinem translati, ut in reliquis ulceribus evenit, nondum detersis.

Diagnosis.

I. Tinea nisi cum crustis lacteis, aut scabie capitis, quæ tamen ad crustas lacteas simul pertinet, confundi potest; sed facilis est distinctio subsequentia signa perquirendo.

1. In crustis lacteis, ipsis simul abrasis, cutis se offert rubram, humidam, spumosam, sed integram tamen sine rimis, ulceribus, aut excoriationibus; sed in tinea cutis ulcerosis rimis perfoditur.

2. Crustæ lacteæ per integram faciem extenduntur, & frequenter ibi initium habent; sed tinea capillatam partem tantum aggreditur.

3. Crustæ lacteæ lactantes tantum infestant; tinea vero plerumque grandiores infantes, atque pueros inficit.

4. Præterea tum crustæ, cum scabiei pustulæ a crustis lacteis relictæ, facile convalescunt; tinea vero admodum difficulter.

II. Quoad differentes tineæ species attinet, solo inspectu distinguuntur, præsertim si superallatas earum descriptiones attendamus.

III. Tandem tineæ indoles, atque antecedentium historia satis superque valent, ut morbi causas cognoscamus, & quod majoris momenti est, sanguinis conditionem intelligamus, ut de lue venerea, scorbuto, aut strumis præcedentibus rite judicemus.

Prognosis.

Generice tinea morbus pertinax est; præcipua difficultas, sive melius, unica tineam sanandi methodus ea est, quod debeant capsularum interiores superficies excoriari: quod, capillis jam male affectis, difficillime obtinetur.

Id confirmatur exemplo quorumdam ulcerum, quæ variolas circa marginem palpebrarum quandoque relinquunt, quæ nunquam sanari possunt, modo cartilago tarsi leviter non exfolietur.

2. Tinea ſicca difficilius, quam humida convaleſcit, quia illa dependet a ſanguine arido, & acri valde, verum etiam, quia tinea ſicca calloſitates plurimas habet, quæ reſolvi debent, ut ſanetur.

3. Tineę humida, favoſa, & ficoſa difficilius ſanantur, quam humida ſimplex, quia in tribus illis ſpeciebus glandulæ ſebaceæ, & capſulæ capillorum prius deſtrui debent.

4. Tineę lupina, & furfuracea cruſtoſa difficilius profligantur, quia amplas induratasque calloſitates ſemper conjunctas habent.

5. Generice tinea eo periculoſior eſt, quo vetuſtior, aut magis extenſa, tum quo ulcera profundiora, atque labia calloſa magis fuerint; deterius vero ſanguinis vitium hæc omnia confirmet.

6. Prudentis medici eſt nunquam tineæ mederi in infantibus hecticis, aut phthiſicis, modo tinea horum morborum in cauſa non fuerit, in quibus circumſtantiis tineam profligando, & illi morbi tolluntur.

Curatio.

I. Nullus eſt morbus, in quo magis neceſſum videatur ægrum per remedia interna præparare, antequam topica admoveantur, quam tinea ipſa.

Idcirco, 1. ſi ſuſpicio ſufficiens adſit luis venereæ, ſcorbuti, aut ſtrumarum, ſpecificis remediis hæc incommoda ſunt prius removenda; at ad poſteriores duos affectus quod attinet, ſaltem moderari debent idoneis remediis, cum tolli plerumque nequeant.

2. Si tinea a ſanguinis acrimonia tantum confirmetur, diluentibus, edulcorantibus, atque attenuantibus remediis, pluries propoſitis in morbis cutaneis, humores erunt repurgandi.

3. Convenient pariter decoctiones millepedum, cancrorum, atque viperarum, tum æthiops mineralis, mercurius dulcis, aut panacea ſimplex ad idoneam doſim, quæ remedia tutiora, & efficaciora videntur.

4. Generaliorum remediorum reſpectu venæ ſectio, & purgatio plus, minuſve iterabuntur, prout morbi, aut ægri conditio poſtulaverit.

II. In externa curatione vero potiſſimum remedium eſt capillorum abraſio per tineæ extenſionem, ut remedia eſcharotica facilius capſulas pervadant, eaſque leviter erodendo facilius detergant.

Hac de cauſa,

1. Si tinea exiguam partem occupet, pulvini, aut linteola ſufficient, vel volſellis tantum eradicabuntur pili; at ſi late extendatur, emplaſtrum picis adhiberi fas erit ſupra telam recentem extenſum, quod parti affectæ applicabitur, ibique per octo dies relinquetur; poſt illud tempus emplaſtrum removendo capilli una adhęrentes abraduntur.

2. Ut res bene vertat, curatio incipitur a remotione cruſtarum, quæ obtinetur butyrum, aut cremorem lactis, vel ceratum Galeni liquidum, aut folia naſturtii in adipe ſuillo excocta per viginti quattuor horas applicando.

3. Capilli ante omnia tonderi debent forcipum acie per omnem morbi ambitum, vel quod melius arridet, per integrum caput.

4. Emplaſtrum picis ſublevando minus moleſtiæ, quo fieri poterit, ægro eſt afferendum; at ab ipſius querimoniis in opere tantum neceſſario medicus commoveri minime debet.

5. Emplaſtro remoto affecta pars obducitur foliis betæ cum butyro recenti, quotidie opus reiterando, uſque dum inflammatio imminuatur.

6. Quan-

6. Quandoque venæ sectio necessaria est, modo capitis inflammatio grandior fuerit.

7. Modo inflammatio satis imminuta videatur, caput abluitur ope decoctionis brassicæ, fumariæ, lapathi, aut enulæ campanæ; vel si opus sit urina infantum, aut lixivium cinerum adhibetur; posteaquam digestivum vulgare applicatur, & balsamum etiam Arcei.

8. Hac methodo maxima pars capitis cicatrice induitur, quod a colore recognoscitur; nam ubi roseus color, aut rubrus prominet, est signum proximæ valetudinis; e contra vero nihil valetudinis sperandum est, cum albida, aut nigerrima tinea persistat.

9. In hoc casu necessum erit digerentibus, atque balsamo Arcei affectam partem oblinire; sed ubi segniora appareant valetudinis indicia, balsamum viride, aut brunum ex basilico, & præcipitato rubro compositum, pariterque aqua phagedenica partes erunt abluendæ, plus, minusve in hoc persistendo, donec ad cicatrizationem omnia sint disposita.

10. Si prominentiæ nonnullæ supersint, quæ per suppurationem minime solvantur, forcipe, aut escharoticis, nempe præcipitato rubro, lapide caustico, aut infernali erunt abscindendæ.

11. Circa finem caput ablui poterit aqua simplici, vel aqua calcis, in quibus ebullierint flores sulphuris.

12. Dantur interdum partes nonnullæ, ubi tinea profundiores quasi radices jecerit, in quibus locis escharotica diutius usuveniunt; animadverti quandoque ad pericranium usque ipsam abradi necessum fuisse.

13. Prout tinea cicatrizatur æger, frequenter purgari oportet, ut in sanguine detentum virus eliminetur; imo juvat cauterium cervici, aut brachio apponere.

14. Facile cognoscitur hanc medendi methodum capsulas capillorum destruere, idcirco pluribus in locis capillorum reproductionem omnino impedire.

15. Ceteroquin si tinea recens sit, parumque extensa capillorum abrasio omitti potest; hoc tamen excepto, reliquam methodum tineam curandi prosequi debebit, quinimmo emplastrum picis erit necessarium, si morbus pertinax videatur.

16. Post morbi convalescentiam capilli undique reproducuntur, iis partibus exceptis, in quibus capsulæ obliteratæ fuerint; cum primæ radiculæ capillorum in sanis relictis capsulis adhuc persistant, novi subinde capilli reproduci solent: fortasse nova erunt capillorum germina, cum in singulis capsulis eorum plura reperiantur.

17. Absque periculo unguentum mercuriale in ulceribus hujusmodi adhiberi poterit, quamvis capiti admoveatur, modo necessum sit, attamen arsenici, & corrodentium arsenicalium usum prorsus contemno. Valescus enim Tarantinus antiquus medicus Monspelii asserit (a) infantem tinea affectum obiisse, quia emplastrum arsenicale capiti applicatum fuerat.

18. Ab applicatione emplastri picis, pediculi omnes pereunt, idcirco ab hoc molestiæ genere facile liberantur ægri; verum si hujusmodi animalcula valde ægros molestia afficiant, pauco unguento mercuriali, aut pulvere staphisagriæ destruentur.

C A-

(a) Philonii *lib.* 1. *cap.* 3.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Malo-mortuo.

Descriptio.

MOrbus, cujus descriptionem aggredimur, revera datur, atque describitur a Medicis omnibus, qui chirurgiam exercuerunt ante scientiarum restaurationem, quamvis tamen Nuperrimi, qui de hac re egerunt, de illo neque verbum faciant; morbus tamen hujusmodi a Veteribus *malum-mortuum* appellatur; quare ipsum hoc, quamvis ignoto nomine designabimus.

Descriptio, & Differentiæ.

I. *Malum-mortuum* in cute residet, ubi crustæ spissæ, aut nigerrimæ plus, minusve extensæ juxta morbi magnitudinem producuntur; ex ipsis nihil defluit, ideoque eodem loco per plures annos persistunt.

II. Modo ipsæ sponte, aut scalpendo decidant, cutis rubra apparet, nullamque sensibilem exulcerationem ostendit; scabra tamen observari solet, spissusque proinde humor stillat, ex quo nova crusta concrescit, quæ priorem formam, & crassitiem recuperat.

III. Hic affectus plerumque eumdem positum servat, neque ut herpes extenditur, pæne insensibilis est, nullumque dolorem parit, modo etiam crustæ decidant, & cutis nuda aeri exponatur, præter insensibilem pruritum, quem ægri facile ferre possunt. Frequenter femura, nates, dorsum, faciem, sed scapulas præsertim deturpat; sæpissime hanc calamitatem in pluribus ægris animadverti, sed ipsam frequenter medici confundunt cum herpete crustoso, vel gutta rosacea, si faciem occupet.

IV. Hic morbus distingui debet in *malum-mortuum congenitum*, aut *innatum*, quando a parentibus procedit; & in *malum mortuum adventitium* cum in vitæ progressu occurrat: ab ortu suo prima species incipit, sed sub infantia parvi momenti est, ita ut nisi post adolescentiam animadverti queat. Altera species post infantiam insurgit, at in suis primordiis minime distinguitur, quia cum ætate progreditur.

V. Hunc morbum Veteres *malum-mortuum* dixerunt, quia revera cutis in affectis partibus mortua apparet. Græci itaque, & Latini, vel nulla ratione eum descripserunt, vel inter herpetes reposuerunt; quoad nos pertinet, hic affectus neque a Medicis, neque ab ægris satis cognoscitur, ideoque nomen retinebimus ab Auctoribus medii ævi ipsi tributum, qui de eo latine egerunt.

Sedes, & Causæ.

Modo parumper attendamus *mali-mortui* positui, facile conspiciemus sedem morbi in cellulis membranæ reticularis, ubi herpetes resident, aut in glandulis sebaceis, ubi gutta rosea, & crustæ lacteæ perstant, locum habere. Difficultatem tamen solvere parvi refert; at methodus, quæ in hoc morbo sanando impendi solet, pro glandulis sebaceis facile stat.

Malum-mortuum enim nunquam convalescit remediorum ope, quæ simpliciter adversus cutis superficiem aut membranam reticularem agant, ut in her-

pete

pete observavimus, pro integra enim valetudine cutis craſſities penitus comburi debet, quod oſtendit profundiorem eſſe morbi ſedem, videlicet in glandulis ſebaceis locatam, neutiquam in extremitatibus canalium excretoriorum, ut de cruſtis lacteis, & de gutta roſea diximus, ſed in ipſo glandularum centro.

Ex *una* parte morbus hujuſmodi pertinax, atque remediis tum internis, tum externis obſiſtens, quæ ceteros affectus ſebacearum glandularum tollunt; ex *altera* ejuſdem indolentia niſi a pertinaciori cauſa oriri poteſt, ſed quæ glandulas ſebaceas erodere nequeat: at nulla cauſarum hanc duplicem qualitatem complecti valet præter calloſitatem glandularum ſebacearum, quæ ipſas per integrum morbi ambitum deturpet; his poſitis, facile conſpicitur, quare hujuſmodi cauſa difficulter obtundi poſſit, nam ſcimus calloſitates partium tendinearum minime reſolvi; pariterque facile deducitur, qua de cauſa dolor abſit, quia calloſæ partes dolore carent.

Reliquum enim erit cauſas remotas aſſignare, quæ hanc glandularum ſebacearum calloſitatem parere valeant; & hoc in duplici caſu: vel quando *malum-mortuum* in materno gremio oritur, vel poſt ortum homines infeſtat.

I. In *malo-mortuo* cum a conceptione originem ducat, ejuſdem cauſæ ſequentes videntur.

1. Vitium conformationis ipſius embryonis reſpectu numeri glandularum ſebacearum, quæ lympha veſcuntur ſpiſſiori, ob quam glandulæ hujuſmodi calloſæ fiunt.

2. Compreſſio, aut ictus, quem fœtus patitur in ventre materno, qua de cauſa lymphæ circulatio a glandulis nonnullis ſebaceis divertitur; minima compreſſio, aut leviſſimus ictus ſufficiunt, ſpectata ſumma embryonis mollitie.

3. Floſculi nonnulli mucoſæ ſaburræ, qui in amnio natant, & portioni alicui cutis adhærent, atque proinde canales excretorios glandularum ſebacearum obſtruendo intumeſcentiæ, & indurationi harum glandularum occaſionem præbent.

4. Similes floſculi ſi pro ipſorum acrimonia extremitates glandularum ſebacearum laceſſant, atque levem inflammationem inducant, quæ humorem detinendo glandulas hujuſmodi craſſiores reddat.

Inter cauſas locales recenſeri debet lymphæ ſpiſſitudo, quæ ſola calloſitates ſcirrhoſas in aliquibus glandulis producere valet, ut infra videbimus ſimilem affectum gignere poſſe in aliis circumſtantiis; ſed cum hujuſmodi ſpiſſitudo videatur tantum cauſa generalis, idcirco locales plures ſunt admittendæ, quæ materiam morboſam in aliquas glandulas ſpecialiter dirigant.

II. *Malum-mortuum*, quod poſt ortum manifeſtatur, eaſdem circiter remotas cauſas recognoſcit, ſed hujuſmodi cauſæ ut calloſitatem in glandulis ſebaceis inducere valeant, fortiores eſſe debent, quam in embryone, quia adverſus corpus agunt, magis reſiſtens: inter hujuſmodi cauſas recenſentur.

1. Compreſſiones, aut ictus alicujus corporis partis, modo diu protrahantur, ut glandularum ſebacearum indurationem faciant.

2. Admotio cauteriorum, veſicantium, aut cucurbitularum, quæ criſpando, aut premendo ſebacearum glandularum calloſitates inducere poſſunt; verum etiam ob defluens pus, quod orificia excretoriorum occludat.

3. Emplaſtra ſimilem effectum parere poſſunt irritando, aut obturando extremitates excretoriorum earumdem glandularum:

4. Acrimonia, atque viſciditas ſudoris circa nates, & pudenda detenti, quæ ad-

adversus cutim, & canales glandularum sebacearum emplastrorum similem effectum inducit.

5. Abusus fucorum acrium, pinguiumve, tum immoderatus usus potissimum fuci rubicundi, & salini.

6. Morbi cutanei, ut herpetes, erysipelata, & furunculi inducere possunt in illis partibus glandularum sebacearum indurationem.

His causis peculiaribus generalis causa addi potest, toties enunciata, videlicet lymphæ spissitudo; sed necessaria videtur causa localis, quæ densam lympham in aliquam partem dirigat.

Symptomata.

1. In *malo-mortuo* quando crustæ sponte decidunt, ut cutis tangi queat, scabra nonnihil, spissaque reperitur, quod glandulis sebaceis induratis erit tribuendum.

2. Glandulæ sebaceæ, dum intumescunt, quid magis viscosi laticis secernunt, tametsi callosæ appareant, & hic humor e cute profluens facile inspissatur, atque in crustam indurescit.

3. Hujusmodi crustæ nisi post diutinum tempus crassiores fiunt, quia viscosus humor paulatim secernitur; quare ipse per plures annos ejusdem crassitiei perstant, absque quo sensibile augmentum in ipsis conspiciatur.

4. Cum exigua humoris quantitas, quæ sub crustis colligitur, statim concrescat, nihil ergo mirabimur si hujusmodi crustæ valde exsiccatæ se offerant, nullamque serositatis speciem fundant.

5. Difficilius ipsæ decidunt, quia cuti intimius adhærent, neque ullus interpositus liquor hanc adhæsionem imminuit.

6. Non solum sebaceus humor, ab affecta parte defluens, exigua copia, spissusque valde observatur, ut prompte concrescat, sed etiam acer parum, & salitus videtur; quibus de causis simul junctis crustæ nullum pruritum, nullumque dolorem conjunctum habent.

7. Ex hoc pariter procedit cutim nullam excoriationem pati, atque inæqualitates, quæ a crustarum abrasione se offerunt potius ab scabris crustis inæqualiter inhærentibs provenire, quam ab ulla acrimonia.

8. Nihilo tamen minus levi pruritu afficiuntur ægri, qui potius à tensione, atque crispatione ipsius cutis ob impositas crustas, quam ab acrimonia humoris sebacei provenire videtur.

9. Quod sciam, hic affectus per contactum non communicatur, neque revera communicari potest cum nullum virus stillet, quod hoc parere possit.

Diagnosis.

I. Anteacta *mali-mortui* descriptio ipsum optime designat, ut difficulter cum herpetibus humidis, vel siccis, qui magnum pruritum comitem habent, confundi possit.

II. Hic morbus crustas lacteas æmulatur; in hoc tamen differt, quod minus extendatur, infantibus minus conveniat, nullumque pruritum habeat, diutius tamen persistat.

III. Ab ipsis ægris est deducendum si affectus innatus sit, aut adventitius.

Prognosis.

I. *Malum-mortuum*, quod nullum dolorem producat, & segniter procedat, medicam vix animadversionem meretur, præsertim si parum extendatur. Animadverti pluries per integrum vitæ spatium nonnullos citra noxam hunc affectum passos fuisse, quia exiguum tamen ambitum occupaverat.

II. Medici tamen operam postulat, cum in diem extendatur, & pruritum, aut gravem dolorem hic affectus inducat, vel corrodens effluat liquor, seu melius dicam, ubi *malum mortuum* in herpetem corrodentem degeneret, quod raro tamen evenit.

III. Insuper cum vultum afficiat, quantumvis benigna indole polleat, tamen profligari debet, ne faciem deformem reddat; antequam tamen ægrotantium postulatis consulamus, ipsis ostendendum erit, a remediis, quæ impendi debent, cicatricem relinqui, crustis fortasse pejorem, ut infra videbimus.

Curatio.

I. Hic morbus curationem nullam exigit, quia ferri facile potest, & debet; quæ methodus præsertim observatur, cum in partibus absconditis se prodat; sed si faciem, aut aliam patentem partem infestet, ægri, qui propriam venustatem magni faciunt, de valetudine solliciti fiunt.

II. Antequam morbi curationem aggrediamur, sedulo incumbendum erit, ut sanguinis, atque lymphæ massa tenuis, pura, dulcisque evadat per remedia tum generalia, cum specialia, quæ hoc valeant; circa hanc rem revocari possunt, quæ in herpetis, scabiei, tineæ, atque crustæ lacteæ curatione a nobis dicta sunt.

III. Modo satis cruoris vitia sublata fuerint, tuto topica morbi medela institui poterit: hac de causa applicabitur cremor lactis, aut caseus recens ad crustas emolliendas valde idoneus.

IV. Decidentibus ita crustis, atque cute detecta remedia catheretica applicari poterunt pro herpete superius proposita, talia sunt aqua phagedenica, qua leviter cutis madefit bis saltem in die; lapis infernalis raro cuti admovendus, pulvis lapidis caustici, unguentum brunum, præcipitatum, rubrum, tandem solutio mercurii dulcis, quibus leviter interdum pars affecta oblinitur, totidem sunt pro nostro scopo remedia idonea.

V. Si his remediis adhibitis, pluriesque repetitis, morbus adhuc persistat, facile concludi poterit, profundiores radices egisse, quæ destrui nequeunt per remedia extrinsecus tantum agentia. In hoc casu cum singulæ glandulæ substantia penitus afficiatur, atque morbus cutis spissitudinem omnino occupet, nunquam profligari poterit, nisi integra cutis cum ipsis glandulis sebaceis destruatur.

VI. Si æger necessario sinat hanc methodum, primo applicabitur emplastrum quodlibet in medio pertusum amplo foramine, quod morbi extensionem adæquet; in hujus aperturæ ambitu lapidis caustici frustula erunt disponenda, eaque alio emplastro cooperienda, fasciis, si liceat, firmanda, vel manibus tantum pari ratione, ac in cauteriis admovendis fieri solet.

VII. Sub lapidum causticorum opere identidem observari debebit eorum actio, sed apparatus omnis quiescens relinquitur, usque dum cutis cum glandulis simul sebaceis combusta omnino videatur; tunc remotis spleniis leviores

sca-

scarificationes erunt instituendæ, deinceps foliis betæ butyro recenti obductis pars affecta cooperienda.

VIII. Modo eschara decidat, simplici digerenti emplastro erit obliniendа cutis, usque dum omnis eschara abeat; tunc balsamum Arcei, insuper brunum, vel etiam viride impendi poterunt ad cicatricem fovendam. Hac methodo omnes glandulæ sebaceæ destruuntur & morbus radicaliter sanatur.

IX. Cicatrix, quæ morbum subsequitur, levigata, expolita, albida, magis tamen scabra, quam propinqua cutis apparet; quæ tametsi nonnihil externum habitum deturpet, ipsam tamen crustis minus fastidire debent ægri.

X. Quamvis hic affectus hac methodo perfecte sanatus (melius dicam profligatus) videatur, nihilo tamen minus prudentis medici erit, cauterium apponere, ne humoris vitiati reliquiæ in alia parte morbum reproducant.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Nævis maternis.

Descriptio.

INfantes haud infrequenter varios defectus ex utero secum ferunt; hic tamen loquemur de illis tantummodo, qui cutis venustatem pervertunt; videlicet de maculis coloratis, aut pilis villorum modo increscentibus.

I. Colorum mutationes interdum corporis superficiei magnam partem occupant; interdum pisellum, aut denarium adæquant; quandoque vultum potissimum afficiunt, quandoque reliquum corpus; sed ubicumque existant, ibi cutis deturpatur, densior fit, & sub tumoris complanati specie nonnihil prominet; hæ prominentiæ versicolores sunt: quandoque rubræ, quandoque fuscæ, in luteum etiam vergentes, quandoque etiam lividæ, vel alium sumunt adspectum.

II. In illis partibus, ubi cutis villosa apparet, per majus, vel minus spatium pili modo breves, & molles ut illi murium se offerunt; modo longiores, ut illi cuniculi; modo tandem longiores quidem, sed rudiores ut illi suum; nihilominus etsi cutis densitate aucta, naturalis color servatur.

Hæ maculæ apud Romanos dicebantur *Nævi materni*, sive *genitivæ notæ*; (a) apud Gallos appellantur *Taches de naissance*, frequenter etiam *envies*, quod postremum nomen procedit a mulierculаrum opinione, quod hujusmodi maculæ a voluptatibus, aut molestiis derivent, quas sub gestatione passæ fuerint, videlicet a vividis impressionibus, quibus tunc afficiebantur, idcirco in illis partibus potissimum oriri credunt, quæ matris partibus respondeant sub voluptate tactis, aut scalptis.

His futilibus sententiis a mulieribus admissis propriæ opinioni, quo melius possunt, eventus accommodant; si rubræ maculæ se offerant, vini desiderium accusant, aut sanguinis adspectum; si fuscæ appareant, hepatis vitulini comedendi voluptatem concupisse dicunt; si lividæ sunt, effectus videntur lugubris pompæ, quam improviso observaverint.

Si maculæ exiguæ sint, eas non absimili ratione explicant: ubi rubræ appareant, fraga, cerasa, aut rubi fructus comedere optasse ajunt; si lividæ sint ramni fructus, aut mora expetiisse dicunt.

Ubi

(a) Svetonius *in Augustum*.

Ubi pili muris cutim operiant, murium adſpectum accuſant ; ſi pili illos cuniculi æmulentur, cuniculi deſiderium in cauſa eſſe dicunt ; ſi ſuis pilos adæquent, cupiditatem aprum comedendi optaſſe aſſerunt.

Nil erit mirandum mulierculas, quæ tot ſub geſtatione deſideria habere ſolent, impoſterum in maculis infantum ab his cupiditatibus rationes derivatas invenire, eaſque firmiter tenere : mirabimur potius ſapientes Medicos hanc futilem ſententiam amplexos eſſe ; nam nulla eſt intra matrem, & infantem nervorum communicatio, ob quam genitricis affectiones in natum tranſeant. Ceteroquin, ſi tranſirent, nunquam objectorum ſimilitudinem excitare poſſent.

Patet enim, quidquid mulierculæ aſſerant, hujus maculas a vitio pendere ipſius cutis embryonis, minime a voluptatibus maternis, ſed potius ab aliis pluribus cauſis infra inveſtigandis.

Sedes, & Cauſæ.

I. Credendum eſt maculas cutaneas, quæ in ſola mutatione coloris conſiſtunt circa membranam reticularem ſitas eſſe, atque hujuſmodi membranam unicam eſſe, quæ in hoc morbo deturpetur ; hæc vero duplici ratione deturpari poteſt ; aut per ſimplicem dilatationem vaſorum ſanguineorum utriuſque generis, quæ ipſam irrigant ; aut per vitium humoris mucoſi, qui in ea continetur.

1. Per *ſimplicem* vaſorum *dilatationem* id evenit, quando arteriæ capillares per certum membranæ ambitum diſtributæ magnopere dilatentur, & vivo, atque arterioſo ſanguine turgeant ut præter naturalem ruborem vividiorem cuti communicent, ex quo nęvi plus, minuſve rubri, aut violacei originem habent ; ex venoſa pariter dilatatione venoſus ſanguis, & nigerrimus detinebitur, ac proinde maculæ plus, minuſve fuſcæ, lividæ, aut nigræ efformabuntur juxta qualitatem, & quantitatem cruoris in his venulis detenti.

2. Per *vitium humoris mucoſi* ; nam ſi hic humor urenti bile, & rubicunda oneretur in aliqua reticuli parte ſtabulanti, nęvi ibi rubicundi pene vinoſi apparebunt ; ſi bilis, qua liquor ille oneratur, lutea, & poracea ſit, maculæ ſimilem colorem luteum, fuſcum, lividumque oſtendent.

II. Quo ad deformitates pilorum attinet, certum eſt, hos in capſulis ſedem habere, ubi pili implantantur, atque nutriuntur, neque ab alia cauſa hos affectus oriri, quam ab incremento nimio capſularum, quæ uberiorem nutritionem pilis ſuppeditent : ſi hujuſmodi capſulæ parum increſcant, pili confertiores erunt, ſed breviores, molliores ſque ; ſi magis increſcant, pili longiores, craſſioreſque apparebunt ; tandem ſi maximum incrementum capſulæ adipiſcantur, pili melius aliti, longiſſimi & rudiores conſpicientur.

III. Supervacaneum eſſet ſejunctim cauſas explicare, quæ dilatationem arteriarum, & venarum capillarium in membrana reticulari parere poſſint ; tum qua ratione bilis cum humore mucoſo admixtio contingat ; tandem augmentum patefacere quarumdam capſularum ipſorum pilorum ; ſufficit ruditer animadvertere omnes hujuſmodi cauſas derivare ab inordinato circuitu fluidorum, qui haſce partes irrigant, atque alunt : hæc vero animalis œconomiæ perturbatio triplici de cauſa excitatur.

1. Ab aliqua compreſſione, aut ictu maternum gremium lædenti, qui ad embryonem uſque tranſmiſſus valeat tandem aliquam perturbationem animalis œconomiæ, aut organicum affectum producere.

2. Ab

2. Ab acrimonia liquoris in amnio contenti, five melius a flofculis mucilagineis, qui in ipfo natant, quique cutis partes aliquas laceffendo erethifmum pariant, atque circulationis ordinem ibi pervertant.

3. Ab aliquo vitio fanguinis, aut lymphæ ipfius embryonis, quod quantumvis leviffimum videatur, tamen circulantium fluidorum ordinem perturbet.

Symptomata.

1. Maculæ rubræ, quæ a fanguinis perfiftentia in arteriis derivant, eo magis rubicundæ fiunt, quo fanguis copiofus magis, & rarefactus erit; quare femper magis rubent verno, & æftivo tempore, tum in plethoricis, aut febre affectis.

2. Maculæ luteæ, fufcæ, & lividæ, quæ a ftafi fanguinis in venis procedunt, deteriorem colorem acquirunt, quando fanguis majorem fpiffitudinem, ficcitatem, aut nigredinem fervat; quare hyemali tempore, & fub febris horripilatione obfcuriores fiunt.

3. Maculæ rubræ, fufcæ, luteæ, aut lividæ, quæ ab admixtione vitiatæ bilis cum humore mucofo dependent, plus, minufve patefcunt, prout bilis in fanguine abundat, magifque vitiatur; ex hoc enim hujufmodi maculæ magis confpicuæ fiunt, quando fub triftitia bilis retinetur, aut morbi caufa magnopere vitiatur.

4. Modo cellulæ membranæ reticularis affectæ contiguæ fint, maculæ pariter continuatæ apparent, plus minufve extenfæ; fi diftinctæ fint, maculæ pariter fejunctæ videntur, quod pariter intelligi debet de villofis cutis partibus, prout capfulæ pilorum fe fe contingunt, aut invicem recedunt.

5. Cutis magis fpiffa in maculata parte effe folet, prout fanguis majora vafa ingreditur, vel vitiata bilis, & acris parietes cellularum magis tumefacit.

6. Cutis pariter infpiffatur, quia capfulæ pilorum ingrandefcunt; at hoc incrementum denfitatis modicum eft, fi pili breves, & molles fint, quia capfulæ pariter parum intumefcunt; major tamen conftipatio, dum pili longiores, & capfulæ grandiores fiunt; tandem maximam conftipationem cutis acquirit, ubi longiffimi, & hirfuti pili videantur, atque capfulæ grandiores fiant.

7. Maculæ hujufmodi, five nævi plerumque leviores funt in infantibus, qui graciliori cute donantur, & hujufmodi affectus minus confpicui apparet, fed cum adolefcant, cutis magis conftipatur, & indurefcit, atque hujufmodi defectus magis patent; tandem in fenibus nævi deformes evadunt, quia cutis cornea fit, ejufdemque perturbationes in diem augentur.

Diagnofis, & Prognofis.

Harum macularum diagnofis, quæ a materno gremio oriuntur, folo infpectu diftingui poffunt, itemque facile eft earum prognofim determinare.

Hujufmodi deformitates nullum dolorem inducunt, nullumque periculum faciunt, ut vix morbi nomen mereantur, quia nullam gignunt functionum læfionem.

Curatio.

His præmiffis, evidens eft, præfertim fi nævi incipientes fint, & in partibus abfconditis, nullam medendi rationem effe inftituendam; tolli debent tamen, atque poffunt, fi faciem, atque manus deturpent; non defunt, qui fomenta, linimenta, atque emplaftra commendent; hujufmodi auxilia paffim in

in nostris operibus indicantur; at eorum effectus est ægrotos ad tempus decipere, donec eorum usum fastidiant.

Haud suadendum erit similibus remediis partium solidarum vitia esse corrigenda; ad integram valetudinem necessaria videtur affectæ partis integra abrasio, quam consequitur cicatrix æque deformis, ac anterior defectus; quod incommodum ægris est animadvertendum. At si post hanc admonitionem nevorum extirpationem poscant ægri, sedulo defectuum indoles erit distinguenda; si maculæ tantum appareant, cum ipsæ solum reticulum deturpent, facile abradi poterunt.

I. In hoc casu prius rite ægro disposito.

1. Emplastrum vesicatorium ad cuticulam sublevandam erit apponendum, ut reticulum pateat, quod morbi sedes est.

2. Deinceps ipsum escharoticis plus, minusve corrodentibus comburitur ex eorum genere, quæ antecedenti capite adversus *malum-mortuum* proponuntur, ut reticularis hæc membrana corrodatur, & per suppurationem destruatur; hujus indolis sunt aqua phagedenica, lapis infernalis, unguentum brunum ex basilico paratum, præcipitatum rubrum denique, quæ ad idoneam dosim simul commiscentur, tum solutio mercurii simplicis, vel dulcificati, atque pulvis lapidis caustici, quæ remedia diligenter, leniterque applicantur, a mitioribus initium faciendo, in ratione effectuum eorum virtutem, aut dosim moderando.

3. Escharoticorum admotio paulatim prosequitur, nævi alteram partem prius extirpando, insuper reliquam, donec reticulum destruatur, & cutis substantia adoriatur; tunc ab escharoticis erit desistendum, & simplicis ulceris more affectui medebimur, donec cicatrix appareat, quæ tametsi informis plerumque videatur, nevis tamen facilius ferri potest, minusque scabra ipsis apparet.

4. At si quando morbus ipsam cutis substantiam infestet, ut integra obtineatur valetudo, cutis erit destruenda in escharoticis cunctando, quod molestum valde est, vel quod brevius, affectam partem cultro, aut lapide caustico, ut in *malo-mortuo* extirpando. In hoc casu cum cicatrix magis excavata fuerit, magis etiam deformis erit.

3. In hoc postremo casu escharæ destructio cum butyro recenti, aut basilico tentatur; modo vero decisa fuerit, ut simplex ulcus, morbus pertractatur, videlicet cum unguento digerenti, balsamo Arcei, & viride etiam, si opus sit, donec cicatrix reproducatur. Demum si callositates superessent, unguentum brunum, & lapis infernalis adhiberi poterunt.

II. Si cutis læsiones a pilis plus, minusve oblongis, aut hirsutis dependeant, qui aliquam corporis partem operiant, depilatoria usum habent, sequenti ratione parata.

1. Sume calcis vivæ recenter ex furno extractæ unciam unam, & auri-pigmenti in subtilissimum pollinem redacti drachmam semis, vel unam, prout depilatorii virtus intendi velit; affundatur lixivium, in quo illæ substantiæ solvantur, tantumque hoc mistum ebulliatur, donec linimenti formam suscipiat.

Pars affecta hoc linimento oblinitur, & post horę quadrantem aqua tepenti abluitur.

2. Animadvertendum erit, quod post depilationem iterum pili reproduci poterunt, at per quatuor, vel quinque vices depilatorium admovendo, tandem pilorum germina in affectis capsulis destruentur, neque amplius pili resurgent, vel saltem rariores apparebunt, ut levem admodum deformitatem relinquant.

3. At si integra curatio desideretur, tunc cutis erit lapide caustico, ut in superiori capite admonuimus, comburenda, & ulcus vulgari modo pertractandum; certum est tali ratione ægrotantes capsulas destruendo nequaquam pilos reproduci, at cicatrix cava atque deformis valde supererit.

LIBER TERTIUS

DE OEDEMATE ET DE TUMORIBUS OEDEMATOSIS.

CAPUT PRIMUM

De Oedemate.

Descriptio.



Ocabulum *Oedema*, οἴδημα, apud Græcos *tumorem* generice designabat, sub hoc adſpectu ab Hippocrate tantum adhibetur; conſuetudo poſtea ſignificationem reſtrinxit, ut nunc ſpecialem tumoris indolem ſignificet a reliquis penitus diſtinctam.

I. In oedemate enim pars affecta colorem naturalem necdum mutat, ſed potius palleſcit.

II. Nullus calor producitur, ſed pars affecta magis frigeſcit, aut ad refrigerationem diſpoſita videtur.

III. Dolor abeſt, & oedema indolens potius magis evadit.

IV. Prementi digito facile cedit, atque fovea lentiſſime impletur.

Differentiæ.

I. Oedema eſt *univerſale*, vel pene tale, quando integrum corpus, vel ejuſdem maximam partem occupat; & tunc appellatur *Anaſarca*, ſeu *Leucophlegmatia*, aut *Hydrops univerſalis*.

Oedema *particulare* dicitur, dum pedes, manus, ſcrotum, palpebras &c. afficit, ut plerumque evenit.

II. Oedema, aut *verum* eſt, ſi quatuor ſuperallatas conditiones præſeferat, aut *phlegmonoſum*, *eryſipelatoſum*, aut *ſcirrhoſum*, modo aliquod ſymptoma inflammationis, eryſipelatis, aut ſcirrhi habeat ſocium.

III. In Oedemate quandoque aliquid elaterii ſupereſt, ut a preſſione facile reſtituatur; quandoque nullum elaterium ſervat: in *primo* caſu *ſimplex* oedema, quod apud Gallos *bouffiſſure* ſonat, appellabitur; in *ſecundo* caſu *extravaſatio*, vel *empatement* oedema nuncupabitur.

Cauſæ.

Inflammatio, & Eryſipelas a ſtagnante in ſanguineis vaſculis cruore derivant, tum ab ipſius irruptione, aut extravaſatione in venas lymphaticas; ſed cum oedema rubore, & calore careat, quamvis magnopere tumeat, ideoque a ſimili infartu dependebit ſimplicis lymphæ in affecta parte detentæ.

Lympha vero duplici modo retardari poterit.

1. Pro-

1. Proprias venas nimis implendo absque diruptione, ut simplex stagnatio sine extravasatione oriatur, & hæc videtur prima oedematis species, sive *bouffissure*.

2. Vel hæc lympha propriis venulis distractis per cellularem contextum disperditur, & hinc secunda oedematis species, sive extravasatio, aut *empatement* producetur.

Ut recte oedematis causas cognoscamus, ea sunt revocanda, quæ in *Capite Bubonum* dicta sunt, videlicet lympham a sanguine secerni ope extremorum arteriarum capillarium, ubi communicatum a sanguine motum ipsa servat, qui lymphæ motus juxta vires commoti sanguinis augetur, aut imminuitur. En *prima vis* motrix hujusce lymphæ.

Lympha a sanguine ita secreta venas lymphaticas intrat, ibique pressioni subjicitur, quam patiuntur venæ hujusmodi a contractione sistaltica partium vicinarum, quæ contractio in integro corpore summatim considerata, cordis contractionem adæquat, sive cum ipsa ad libellam redigitur. *En secunda vis* motrix ejusdem lymphæ.

Insuper lymphæ motum auxiliantur oscillationes arteriarum, circa quas venæ lymphaticæ ampliores collocantur; musculi etiam se se contrahentes, cum vasa lymphatica eorum anfractus permeent, lympham accelerant; tandem valvulæ sigmoideæ, aut semilunares, quibus venæ lymphaticæ præsertim in inferioribus corporis partibus instruuntur, non parum prosunt.

At contra: hujusmodi auxilia imminuuntur valde, tum ob *inertiam* venarum lymphaticarum, quæ debili elasticitate gaudent, cum ob necessarium lymphæ transitum trans innumeras glandulas lymphaticas, aut conglobatas; idcirco re sedulo perpensa, non erit dubitandum lympham segniori cursu procedere, quę segnities tamen lymphæ quamplurimis usibus favet, ut in partibus nonnihil persistens per transpirationem quidquid amissum fuerit paulatim restituat. Hæc mora tamen, qua lympha circumvehitur, levi de causa frequenter ejusdem stasim producit; quare nihil est magis obvium, quam prior oedematis species, ubi lympha tantummodo stagnat, cujus causas nunc aggredimur.

Prior classis causarum oedematis stagnatio est ipsius lymphæ in venis lymphaticis, ut nuper ostendimus, sed hæc stagnatio a quatuor diversis causis produci potest.

I. Quia lympha in sanguine exuberans uberius, quam par est, in venas lymphaticas irruat, ipsasque nimis tumefaciat.

II. Quia sanguis lympha nimis onustus ejusdem maximam copiam in quibusdam partibus deponat, specialibus nonnullis de causis.

III. Quia lympha, quamvis idonea copia deposita, difficulter tamen ab illis partibus revehatur ob debilem repellentem vim.

IV. Quia in affluxu, aut refluxu in obstacula incurrat, quæ difficulter, aut nulla ratione superare nequeant.

Quælibet harum generalium causarum a specialioribus pluribus causis dependet, quæ sigillatim explicari debent.

I. Lympha uberrima nimis interdum videtur, ac proinde vasis lymphaticis ejusdem majorem copiam sanguis suppeditat, quando inordinate potatur, vel quando mictio supprimitur, aut imminuitur, verum etiam dum sanguis per lentam febrim dissolvitur; ex hac de causa Oedema familiare est ebriis, tum illis, qui urinæ suppressione corripiuntur, aut jamdiu lenta febre laborant.

Si lympha maxime exuberet, oedema universale, sive anasarca fiet, si mi-

nus abundet, partiale erit, & varium; interdiu pedes aggredietur, & crura; noctu vero vultum atque palpebras, quæ varietates a corporis positu pendent.

II. Sanguis quantumvis modica lymphæ copia onustus videatur, ejusdem tamen nimiam copiam in quibusdam partibus deponit, quotiescumque sanguineæ venæ, quæ illam revehunt, aut sanguinem reducunt, valide comprimantur, ut cruor subsidat, atque lympham, qua onerabatur, in lymphaticis relinquat; hac enim de causa ligata cava ascendenti in cane, hydropicus fit in imo ventre præsertim, & artubus inferioribus.

Sed venæ sanguineæ pluribus in locis multiplici compressioni subjiciuntur.

1. Glandulæ inguinales, in bubonibus tumefactæ, venam cruralem comprimunt, ac proinde oedema cruris ex illa parte producitur.

2. Glandulæ axillares, in cancro mammarum inflatæ, venam axillarem premunt, ex quo gignitur brachii oedema.

3. Aquæ in abdomine contentæ sub ascitis morbo, aut in thorace sub pectoris hydrope venam cavam inferiorem comprimunt; hinc extremitates inferiores oedematosæ fiunt.

4. Hepatis scirrhus, sive obstructio venam cavam inferiorem comprimendo non solum artuum inferiorum oedema producent; verum etiam portam valide premendo, ascitem facient.

5. Glandulæ lymphaticæ colli, & aurium in parotidibus, venam jugularem constringendo, capitis atque faciei oedema generabunt.

III. Lympha partibus repellitur debili vi, ut vix suum cursum continuare valeat.

1. Quando per repentinam paralysim elaterium amiserint.

2. Quando partes per simplicem incipientem laxitudinem, antiquam tamen robur perdiderint.

3. Quando sanguis ob debilem cordis motum segniter revehitur, ac lente proinde lymphæ circuitum promovet; hac de causa ægri febre, languore, aut repetitis venæ sectionibus enervati; tum convalescentes oedemate facile corripiuntur.

IV. Lympha in obstacula incurrit in suo refluxu, quando glandulæ lymphaticæ obstruuntur, ut in lue venerea, aut strumis accidit, quod in diversis partibus oedemata producit, prout infartus glandulas carpi, axillarum, colli, inguinum præoccupat.

Secunda classis causarum oedematis est extravasatio lymphæ, quæ per textum cellularem disperditur; hæc extravasatio plerumque consequitur persistentem lymphæ stasim, quæ turgidas nimis venas lymphaticas tandem disrumpit.

Symptomata.

I. In oedemate lympha, in has partes influens, fibras relaxando, illas ita afficit, ut prementi digito facile cedant; quare in hoc affectu absque resistentia perquam levissimæ pressioni partes cedunt.

II. In hoc affectu partium fibræ relaxatæ elaterium amittunt; debent enim segniter post pressionem priorem positum recuperare, diutiusque compressæ morari.

III. In oedemate per extravasationem nato cum fibræ maximum laxitudinis gradum ostendant ob lymphæ dispersionem, quas ipsa irrigat, partes facilius comprimi, difficilius restitui debent, quam in oedemate per stagnationem orto, quia lympha in hoc casu subsidens partium fibras minus mulcet.

IV. In

IV. In hoc affectu tumefactæ partes nullum dolorem persentiunt, neque ob irritationem, quia lympha id parere nequit, neque ob distensionem, quia filamenta nervosa elongari possunt absque sensu, quod potissimum in oedemate per extravasationem observatur.

V. Cum lympha nullo rubore, aut calore polleat, vel minimo saltem, oedema proinde rubedine, & calore carere debet, vel ad summum exiguo, qui naturalem minime superet.

VI. Partes oedematosæ non solum parum calent, sed facile frigescunt, ut ipsas operiri oporteat, præsertim cum lympha facile frigore afficiatur.

VII. Partes oedematosæ, quarum pondus ægri persentire possunt, scilicet crura, pedes &c. graves fiunt ob affluentis lymphæ pondus, eoque magis, quo uberior fit lymphæ cumulus.

VIII. Oedema præsertim extremitates corporis aggreditur, inferiores maxime, ubi lymphæ motus segnior est, difficiliusque tum sanguinis, cum lymphæ refluxus contra gravitatis leges ibi perficitur.

IX. Hic morbus ceteris paribus partes molles facilius infestat, atque spongiosas, fibrisque muscularibus denudatas, ubi lympha debiliter valde exprimitur; idcirco scrotum, præputium, vulvæ labia, atque palpebræ facile intumescunt.

X. In illis subjectis, quę levi de causa oedemati obnoxia esse solent, minima compressio morbum augere valet: ita genuum ligacula crurum oedema, fascia linea collum circumcingens faciei oedema producunt.

XI. Calor ipse ignis in partibus, quę ipsi subjiciuntur, oedema parit; nam rarefaciendo humores, & elaterium labefactando, sanguinis, & lymphę stagnationem inducit. Hac de causa enim, ut vasa sanguinea pedis sub venę sectione instituenda intumescant, pediluvia calida pręmittuntur; simili ratione etiam pedum oedemata frequentiora sunt illis, qui hiberno tempore pedes continuo calefaciunt.

XII. Phlegmone, & Erysipelas interdum oedemate copulantur, & tunc horum tumorum phenomena illa oedematis comitantur.

Diagnosis.

I. A reliquis tumoribus oedema facile distinguitur ob ejusdem complanationem, atque ruboris, caloris, & doloris absentiam, ubi pars mollis est, digito facile cedens, nulla ratione, vel segniter valde se se restituens.

II. Facile pariter erit universale a partiali, simplex a composito, stagnans ab extravasato oedemate distinguere.

III. Neque difficulter causa dignosci poterit singulæ speciei, modo hujus morbi theoriam medicus probe noscat, atque ægrotantis regimen sciat.

Prognosis.

Oedematis periculum sub diverso adspectu variat.

I. Relate ad causam producentem.

1. Oedema incurabile est, si ab incurabili causa procedat: tale est oedema, quod per carcinomatosam indurationem producitur glandularum, inguinum, axillarum, aut aurium; per hydropem pectoris, aut ascitem; per languorem ab hectica febre, aut phthisi productum gignitur &c.

2. Periculosum pariter erit, quando a causa dependeat, quæ pravas consecutiones habere possit: hujus generis est oedema, quod sanguis nimis dilutus, aut solutus producit, vel obstructum hepar, aut glandularum lymphaticarum infartio.

3. Periculo caret hujusmodi affectus, quando a leviori causa, & facile remediis profliganda originem ducat: hujus indolis oedema videtur, quod nimias venæ sectiones subsequitur, aut sanguinis jacturas, tum illud, quod convalescentes, aut a labore defatigatos comitatur.

II. Relate ad tumoris extensionem oedema universale valde periculosum est; partiale vero plerumque periculo vacat.

III. Respectu partis, quam tumor aggreditur, ita oedema artuum inferiorum eo crurum minus periculosum evadit, ac proinde illud femorum periculosissimum est, atque detrimentum magis increscit, si ad renes usque pertingat; tandem cum manus intumescant, credendum erit oedema universale fieri.

IV. Quo ad naturam oedematis spectat; illud, quod a simplici infartu, aut stagnatione ipsius lymphæ in vasis lymphaticis dependet, minus profecto periculi habet, quam dum per lymphæ extravasationem succedit.

V. Quomodo tandem oedema finem habeat, duplex est modus, resolutio nempe, aut gangrena: *prior* salutaris est; letalis *alter*.

Resolutio enim duplici ratione evenit.

1. Quando lympha in vasa lymphatica irruens ob cessationem causarum, quæ illam impellunt, proprium circuitum recuperat, vel extravasata, si qua est, a lymphaticis resorbetur.

2. Quando cutis scissuræ propter maximam distensionem producuntur, ut lympham fundant. Prima resolutionis species periculo vacat; altera frequenter gangrenam inducit.

Gangrena oedema subsequitur, quando lympha continuo in partes affluens texturam laxat, atque elaterium imminuit, usque dum fibrarum oscillationes destruantur, in quibus partium vis vitæ reponitur.

Gangræna in affectis partibus manifestatur triplici modo.

1. Ope rimarum cutim deturpantium, quæ nigræ fiunt, & gangrenæ occasionem præbent.

2. Bullarum aspectu, quæ sero replentur, atque earum basis, statim ac evacuatæ fuerint, valde nigrescit.

3. Tandem occasione macularum nigerrimarum, aut livescentium, quæ sine scissuris, aut bullis cutim deturpant.

Curatio.

Oedema tres postulat indicationes.

1. Serositatem evacuare in sanguine exuberantem.

2. Causas tollere, quæ lympham uberius deponunt, ejusdemque regressum impediunt.

3. Elaterium partium fulcire, ut auxilietur lymphæ expressionem, quæ subsistens novæ lymphæ affluxum impediret.

Prima indicatio. Serositas in sanguine abundans per urinas, anum, & sudorem quandoque evacuari potest; harum quælibet tentari poterit, eam amplectendo, quæ melius vertat.

I. Ad urinas provocandas adhibetur,

1. Ni-

1. Nitrum purum, cryſtallus mineralis, aut ſal prunellæ, ſal admirabile Glauberii, Arcanum duplicatum, aut ſal de duobus.

2. Plantæ diureticæ ſunt radices Eryngii, Anonidis, aſparagi, bruſci, enulæ campanæ, atque iridis; folia naſturtii, chærophilli, fœniculi, urticæ, & ſaxifragæ;

3. Millepedes pariter urinas movent, ad doſim 15. aut 20. granorum. pulvis pariter bufonum exſiccatorum, baccæ juniperi, milium ſolis, fructus Alkekengi, ex quibus ptiſanæ conficiuntur, boli, opiata, aut ſuccus exprimitur, prout melius arridet.

4. Duo remedia etiam addi debent, quæ utiliſſima ſunt; *prius* eſt radix butuæ, ſive vitis ſilveſtris braſilianæ ad doſim unius drachmæ in vino decocta, quæ potio in pluribus portionibus diviſa, aut ſubdiviſa pro circumſtantiarum ratione ægro propinatur.

Secundo loco venit conſiderandum lixivium ex cineribus ſarmentorum paratum ad doſim duplicis drachmæ; ſumitur hoc lixivium ſimplex, vel æquali copia decoctionis millepedum, aut tantundem vini albi commixtum.

II. Ad evacuandas aquas per anum uſu veniunt purgantia hydragoga, videlicet jalapa, diagridium, Turbith gummoſum ſub pulveris, aut boli ſpecie doſim moderando juxta vires, & ægri ætatem. Sub tincturæ etiam forma exhiberi poſſunt hujuſmodi remedia, prius in ſpiritu vini infuſa, & pauca radice iridis florentinæ copulata; hæc tinctura communiter appellatur *aqua vitæ germanica*, quæ exhibetur ab unico ad duplex, vel triplex cochlear in ſubjectis validioribus.

Alterum hydragogum efficax valde, quod frequenter tentatur, eſt gummi gutta a granis decem ad quindecim in mortario marmoreo contritum cum duplo cryſtalli mineralis, & in jure pingui mane propinatum jejuno ſtomacho. Prout hoc remedium agit, ſingulis horis jus pingue adhibetur; quandoque leviter vomitus excitatur, ſed plerumque per inferiora valide agit.

Hujuſmodi hydragoga, niſi in ſubjectis multo robore præditis, & cum febris abſit, impendi debebunt; ſecus enim prudentis medici erit purgantia mitiora tantum adhibere.

III. Sudor excitatur ope ptiſanæ diaphoreticæ, aut illius S. Ambroſii confectæ ex milio, & ficubus exſiccatis, ebullitiſque, vel uſu decoctionis viperarum, modo febris, atque pulmonis affectus abſint. Verum eſt, hujuſmodi remedia eſſe admodum incerta, raroque expetitos ſudores producere; ſed niſi agant ut ſudorifera, ſaltem diuretica fiunt, curſumque urinæ augent.

Secunda Indicatio, quæ adimpletur curando cauſas tollere, quæ ſanguinem in parte affecta retardant, ibique nimiam lympham deponere faciunt; idcirco ſunt adhibenda acria reſolutiva; cujus generis ſunt fomenta origani, roſmarini, thymi, lavendulæ, ſalviæ in aqua, aut vino decocta.

Partem affectam humefacere urina tepida, lixivio cineris ſarmentorum, in quo ſulphur ebullierit, aqua vitæ camphoratæ ſimplicis, aut ſale ammoniaco copulatæ; ſpiritu vini ſimplicis, aut actuati cum guttis ſpiritus ſalis ammoniaci, &c.

Debet etiam diſſipari infartus glandularum lymphaticarum ope aperientium ſimplicium, ut ſunt martialia; vel vividiorum diſſolventium, ut mercurialia; vel uſu ptiſanæ ſudoriferæ purgativæ aut ebullitionum mille pedum, aut viperarum.

Tandem remediis uti ad ſtrumas, atque variolas opportunis, ſi prudens ſuſpicio habeatur ex his affectionibus morbum hujuſmodi oriri.

Tertia indicatio. Ut perfecta partis affectæ valetudo confirmetur, quæ lymphæ ſtagnationi reſiſtere poſſit, ſolent adhiberi:

1. Fomenta vini generoſi, aut aquæ vitę cum aqua calcis copulatæ, aut aquæ calcis ſimplicis. Panniculis hiſce fomentis humefactis caleſcentibus pars affecta obtegitur, qui ſtatim ac frigere incipiunt, repeti debent, ut calor ſemper in his perſeveret.

2. Cataplaſmata cum foliis ſambuci, aut ebuli coctis, & ſpiritu vini, aut aqua calcis perfuſis; aut cum pulpa radicum bryoniæ, aſphodeæ, cucumis ſilvatici ſub cineribus coctarum, & in pulpam redactarum, cum oleo lumbrici, aut lauri.

3. Balnea in aquis thermalibus; aut earum defectu in aqua matre nitri. Balnea vaporoſa, aut Hypocauſta aquæ calidæ; balnea maris, aut quod magis confert, balnea arenæ a ripa maris, deprompta quibus medici Græci utuntur ſub nomine Αμμοχωσία.

4. In oedemate crurum, pręter hujuſmodi remedia, adhiberi poſſunt caligę pellis canis, quæ ſemper cruribus perſiſtentes, eaque prorſus claudentes, lymphæ ſtagnationem, atque tumorem impediunt; ſed quandoque hoc remedium effecit, ut lympha, vel in coxis, vel in renibus deponeretur; tumoreſque in hiſce partibus fierent; quod eſt magis infeſtum, ac morbus, qui curari vult.

5. At ſi in oedemate maxime inveterato contigerit, quod cutis ſcindatur, aut ad latera nigreſcat, tunc gangręna eſt quam maxime timenda; quæ cum in hoc morbo ſoleat celeriter progredi, partibus multum remiſſis, debent prompte applicari remedia, quæ pro gangręna propoſita ſunt *l.* 1. *c.* 3.

CAPUT SECUNDUM.

De Hydatidibus.

Deſcriptio.

1. IN extis humanorum corporum quædam veſiculæ gignuntur, quæ aut viſcerum, quibus continentur, ſuperficiei, aut membranis cavitates circumveſtientibus adhęrent; ex quo quidam morbi ſtatus efficitur, qui ne ab ægris quidem nullo modo perſentitur.

2. Hujuſmodi veſiculæ variæ ſunt magnitudinis; nonnullæ granum milii, aliæ columbi, aliæ pulli ovum adæquant: aliæ ſunt invicem diſtinctæ, ac ſeparatæ; ſæpius tamen ſimul copulatæ veluti uvæ, racemum efformant.

3. Omnes habent quandam trunci ſpeciem, quo unæ alteris, alteræ poſtremis, poſtremæ vero membranæ, in qua ſunt efformatæ, adhęreſcunt; Verum ut plurimum huic membranæ ſingulæ ſpeciatim inſiſtunt; at quandoque obſervatum eſt haſce veſiculas nihilo prorſus inhærentes in cavitate enatare, ubi productæ ſunt, aliquando ſigillatim diſtinctas, aliquando ad inſtar racemi, aut globi ſimul conjunctas.

4. Hæ veſicæ a membrana tenui, atque ſubtili vere *arachnoide* efformantur. Cum parvæ ſunt, ad ſphęricam figuram accedunt; longiores tamen fiunt, quoties majores evadunt, figuram perfecte ovalem ſumentes; at aliquando compreſſio, cui expoſitæ ſunt, parum diverſas in ipſis figuras inducit.

5. Sunt autem repletæ liquore claro, limpido, pellucido, & vere lymphatico, cujus tamen conſiſtentia eadem ſemper non eſt; aliquando ad calorem ebul-

ebullientis aquæ non indurescit; aliquando e contra veluti in album ovi concrescit; quandoque hic liquor turbidus est, graveolens, & vere purulentus, & tunc vesiculæ hunc complectentes, vel jam disruptæ sunt, vel proxime disrumpentur.

6. Sæpe hæ vesiculæ detectæ sunt, nullaque peculiari cavitate detentæ; sed quandoque omnes simul in quadam mantica membranacea continentur, multo magis densa, quam membrana, quæ vesiculas gignit.

7. Istæ vesicæ communes sunt, ut jam dictum est, omnibus corporis cavitatibus: in Abdomine inventæ sunt supra intestina, stomachum, lienem, pancreas, Epiploon, renes, peritonæum, & præcipue jecur: in pectore inventæ sunt supra pulmones, cor, & pleuram; inventæ itidem sunt in cerebri ventriculis ad reticulas pręcipue choroidales, & quandoque supra piam, quando supra duram matrem.

8. Certum est quandoque per vomitum, aut per evacuationem restitutas fuisse, quod non obscure demonstrat aut in stomacho, aut in intestinis generari; mulieres quandoque per vaginam ab utero procedentes hydatides propulerunt, vel tussiendo illas ejiecerunt, quæ in bronchiis sedem habuerant. Tandem ex naribus cum muco frequenter hydatides exierunt.

9. Sæpissime evenit in hydrope ascite, quod pro aqua abdomen hujusmodi vesiculis lympha turgidis repleretur; interdum etiam compertum est, mulieres molas parere, quæ ex similibus vesiculis conflabantur: uno verbo nulla est humani corporis pars, quæ hujusmodi vesiculis obnoxia fieri nequeat præter cutem, in qua nunquam observatæ fuerunt.

10. Hujusmodi vesiculę hydatides appellantur, a Græcis Ὑδατίδες quod significat vesiculas aqua repletas; attamen quamvis hujusmodi nomen a Græcis originem ducat, hujusmodi vesiculæ tamen ipsos latebant, saltem sub hac nomenclatura. Hippocrates nihilo secius de his vesiculis probabiliter locutus est in libro (a) *de internis affectionibus*, sed valde obscure disseruit; nam ipsas vocabulo indicat Φύματα quod interpretes sui inscienter *tubercula* dixerunt: *fit enim Hydrops*, ipsi ajunt, *si tubercula in pulmone fuerint enata aqua repleta, & in pectus rupta. Quod autem fiat etiam a tuberculis hydrops, testimonium habeo, & in bove, & in cane, & in sue. In his enim quadrupedibus maxime fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent. Si enim dissecueris, citissime cognoveris: fluet enim aqua. Videntur autem talia multo magis in homine fieri, quam in pecoribus, quanto etiam morbosiore diæta utimur.*

11. Quo ad Galenum, (b) & Paulum (c) Æginetam attinet, ipsi Hippocratem tradiderunt, sed uterque hydatidis nomen adhibuerunt, quamvis designare intellexerint tumorem lymphaticum, qui palpebram superiorem aggreditur, præsertim in infantibus: *hydatis enim*, Galenus ait, *substratæ superiori palpebræ genæ pinguedinis augmentum, qua fluunt præter naturam oculi*; quod patet admodum discrepare ab his hydatidibus, de quibus hic agitur.

12. Areteus vero, qui inter Medicos Græcos primus de hydatidibus locutus sit, clare, atque distincte ostendit, ipsas observasse in hydrope *Ascite* ab illis orta, quas generico tamen nomine *vesicularum* appellat, nempe Κύστεις:

alia:

(a) §. XXV. Edition. Lindenianæ.
(b) In *Definitionibus Medicis*; & *Methodi Medendi*. Lib. XIV. Cap. 19.
(c) *De re Medica*, Lib. IV. Cap. 14.

alia quædam, (a) *hydropici morbi species talis agnoscitur. In ea vesiculæ* (κύστες) *quædam, pusillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco ubi ascites fieri solet, excitantur.*

13. Videtur Aetium observasse hujusmodi hydatidum species in Hydrope uteri; quod deduci potest ex hujus descriptione, quamvis minus clara illa Aretei: *Sæpe humoris copia, ait,* (b) *in uterum confluit, & aliquando corpuscula quædam vesicæ felis simillima in ipso generantur, in quibus humor colligitur .... Ubi vero violenter excernunt, ruptis aliquando parvis illis corpusculis, quæ vesicæ similia diximus, viscosa quædam, & aquosa erumpunt.*

14. Inter Medicos recentiores Fernelius (c) primo quod sciam de *hydatidibus* egit, quæ Hydropem ascitem interdum producunt, sed obiter tantum; nam pro constanti causa hujus hydropis scissuras accusat, quæ substantiam jecuris lædunt: *Quod si sola visceris substantia diffinditur, ipse ait, ambiens autem, ac cingens membrana integra manet, aqua non excidit, sed vesiculæ aqua plenæ* ὑδατίδες *Græcis dictæ, emergunt, quibus sæpe pecudum, boumque jugulatorum jecur scatere deprehensum est.*

15. Paulo post Fernelium *anno* 1567. Mauritius Cordæus Parisiis cujusdam mulieris cadaver observavit Hydrope ascite laborantis, quæ ab ingenti hydatidum congerie diversæ magnitudinis producta fuerat; hujusmodi observationem quisque in ipso auctore (d) observare poterit, quia perlongum foret ipsam hic referre: sat erit animadvertere Cordæum tunc temporis tanti fecisse hoc phenomenon, ut pluries ipse Publicum admoneret, ne hac notione posteritas deficeret.

16. Denique circa initium sæculi posterioris *anno* 1609. similem observationem exhibuit thoracis respectu in cadavere cujusdam ab Asthma defuncti: *In cadavere enim* ipse animadvertit, (e) *repertus hydrops thoracis, sed in uno dumtaxat latere, & pulmo vesicis humore consistente, & pellucido instar albuminis ovi prægnantibus refertus.*

17. Postea vero cum frequentius cadavera aperirentur, pluries etiam hydatides in omnibus corporis cavitatibus observatæ fuerunt, ex quo auctorum opera observationibus innumeris replentur, quæ super allata omnino confirmant.

18. Inter varias observationes, quas circa hoc institui, una mihi contigit, animadversione dignissima. Mulier quædam mala constitutione donata postquam diu tabuit a consumptione, & febre lenta interiit, nihil ex parte thoracis suspicabar, quem minime morbus aggressus erat, sed hepatis intumescentia, atque tensio, tum in illa parte dolor abscessum prænunciabant; dissecto cadavere hoc viscus sanum repertum est, attamen in ejusdem parte incavata amplus tumor, mollisque conspiciebatur, quem pure repleri censui; hoc aperto hydatidum congeries partim simul cohærentium, partim fluctuantium observabatur; plures purulento liquore turgebant, aliæ jam disruptæ in fuso liquore natabant, quod languorem, consumptionem, febrem lentam, obitumque produxerat.

Causæ.

Cum ignorabatur existentis lymphæ structura, & distributio vasorum lympha-

(a) *De Signis, & caussis diuturnorum morborum*, Lib. II. Cap. 1.
(b) *Medicinæ contractæ Tetrabibl.* iv. *Serm.* iv. Cap. 79.
(c) *Patholog.* Libr. V. Cap. 8.
(d) *Commentar.* V. in Librum priorem Hippocr. *de Mulier.*
(e) *Observat.* Sect. III. Cap. 7. Observ. 53.

phaticorum, ordo deinceps circulationis hujus humoris, ægre ſane explicabatur hydatidum productio; hoc facile videtur in Areteo, Fernelio, ceteriſque medicis ſuperius enunciatis; ſed poſt ea, quæ circa hanc rem inventa ſunt, omnes conveniunt Hydatides diſtenſiones eſſe, aut varices venarum lymphaticarum, quamvis adhuc diſſentiant circa modum hujus productionis. En breviter, qui rationi magis arridet.

Præter venas lymphaticas, quæ viſcerum ſubſtantiam pervadunt, plures aliæ reperiuntur, quæ vel per proprias cujuslibet viſceris membranas reptant, vel per illas ſerpunt, quæ cavitates ſive ventres corporis, ubi ea viſcera locantur, videlicet peritonæum, pleuram, duram matrem &c. circumveſtiunt; hujuſmodi venæ huc, illuc per brevia intervalla ab exiguis valvulis ſigmoideis dictis intercipiuntur, ad lymphæ circulationem fovendam deſtinatis, ejuſdem regreſſum impediendo, quæ totidem nodos efformant.

Patet enim lympham in his vaſculis ſtagnantem internodia harum valvularum tumefacere, ſive tunicas venarum magis dilatabiles, quam ſint nodi ipſi, quia valvulæ dilatationi opponuntur. En generatio Hydatidum. Inter duplicem nodum, ſive valvulam exigua veſicula rotunda producitur, quæ elongata ovalis fit, cujus pediculus ex ea parte conſpicietur, quæ membranæ adheret, reliquum ad Hydatidis corpus pertinebit. Cum venæ lymphaticæ innumeris hujuſmodi loculis ſcateant, atque membranæ ſint undique venis lymphaticis interſperſæ, nil mirum ſi harum membranarum ſuperficies hydatidibus confertiſſimis referantur, diverſæ tamen magnitudinis pro ſtagnationis diuturnitate, aut lymphæ ſtagnantis quantitate.

Veniunt enim cauſæ explicandæ, quæ curſum lymphæ in quibuſdam partibus retardant, coguntque ipſam in venis lymphaticis ſtagnare, in interſtitiis potiſſimum valvularum: hujuſmodi vero ſunt

1. Compreſſio venarum lymphaticarum, cui hæ ſunt obnoxiæ; intumeſcentia glandularum alicujus viſceris, aut vaſorum ſanguineorum.

2. Contractio fibrarum viſcera, aut membranas componentium.

3. Obſtructio, compreſſio, atque conſtrictio glandularum conglobatarum, ubi venæ lymphaticæ contentum liquorem deponere ſolent.

Ut Hydatides producantur, minime neceſſum erit, quod ipſæ valide agant. Circulatio enim lymphæ ſegnis eſt, ut minima compreſſio, aut conſtrictio ejuſdem curſum intercipiat: quare interdum Hydatides in ſanis hominibus efformantur; interdum in his reperiuntur, qui repentina morte abrepti, integram valetudinem præſeferebant; interdum etiam laniones in animalibus de cetero ſanis ipſas reperierunt.

Symptomata.

1. Vidimus jam hydatides membranis adherere ex ea parte qua venarum lymphaticarum internodia ipſis coherent. Dum hujuſmodi internodia in longitudinem magis extenduntur, hydatidum pediculi latiores, ſed breviores ſunt; anguſti contra apparent, & oblongi, cum internodia ipſa brevia ſunt, & membrana, per quam cum membranis adherent, laxa & ipſa, atque extenſilis ſit.

2. Dum pediculi longi, & anguſti apparent, facilis eſt eorum laceratio occaſione multiplicis corporis motus, & tunc hydatides abraſæ fluctuant in variis corporis cavitatibus.

3. Interdum hujuſmodi cavitas communis eſt, quæ viſcera complectitur, ut ea eſt imi ventris; quare haud infrequenter hydrops Aſcites ab hydatidibus orta eſt.

4. Cre-

4. Crebro tamen hydatides a membranis sejunctæ sub membranaceo tegmine colliguntur omnes, ne foras exeant.

5. Prior casus evenit, quando hydatides efformantur circa superficiem externam membranarum viscerum propriarum, aut cum reliquis corporis cavitatibus communium.

6. Alter casus accidit ob dilatationem morbosam venarum, lymphaticarum, per internam faciem membranarum reptantium; nam tunc membrana circumposita post hydatidum formationem extenditur, ipsasque complectitur.

7. Lympha in hydatidibus contenta plerumque serosa, clara, tenuis est, uno verbo optimæ notæ, & tunc minime indurescit a calore aquæ ebullientis; contra vero concrescit, si spissa, glutinosa, & mucilaginea sit, quod a sanguinis generatoris natura vitiata procedit.

8. In hoc postremo casu frequens est, lympham hujus speciei heterogeneis partibus imbutam putrescere ob calorem partis, præsertim si febris lenta superveniat, & tunc lympha in hydatidibus coacervata paulatim turbida, purulenta, atque fœtida evadit, hydatidumque parietes corrodit, forasque erumpit.

9. Contra tamen lympha hydatidum propriam naturam, & limpiditatem servat, quando seipsa, parumque heterogeneis partibus saturata videatur, & febris absit.

10. Hydatides quaslibet internas partes aggrediuntur; tum quia innumera sunt vasa lymphatica, quę per membranas reptant; cum quia membranæ hujusmodi continuo madefiunt, & latiores factæ facile permittunt expansionem venarum lymphaticarum, hydatidumque productionem.

11. Contra vero nunquam externam corporis superficiem infestant, quia cutis venis lymphaticis caret; verum si adessent ejusdem compacta textura venarum lymphaticarum distensioni magnopere obsisteret.

Diagnosis.

Nulla est ratio cur certiores fieri possimus de hydatidum existentia, circa quod nisi incertæ conjecturæ institui possunt, experientia plerumque destitutæ; Hac enim de causa interdum hydatides minime suspicamur in sanis ceteroquin subjectis; at a morte cadaveribus dissectis frequenter reperiuntur. Suspicamur interdum in illis, qui languore pereunt, sæpe tamen a sectione desunt; quandoque credimus, hydropem *ascitem* ab extravasatione lymphæ procedere, sed post mortem abdomen *hydatidibus* repletum conspicitur.

Prognosis.

Frustraneum est quidpiam prænunciare de hoc morbo, qui nulla ratione cognosci potest; quandoque hydatidum consecutiones in nonnullis subjectis suspicabimur, quæ tamen ipsis non laborant; nullam alias suspicionem habebimus de illis, quæ hydatidibus turgent; quale decus enim ab eventu erit expectandum, cum a conjecturis pateat, inconsulto aliquid prænunciatum fuerit.

Curatio.

Nunquam sunt adhibenda remedia pro morbo, qui certus, atque evidens non sit. Cum ergo hydatides semper incertæ sint, pro his nil erit prescribendum.

Quod si hujus morbi existentia certius pateat, remedia tunc adhibenda, ad hydragoga, aut diuretica, ut in hydropisi pręscribuntur, reduci debent, eamdem prorsus methodum, easdemque cautiones servando.

Verum quantumvis detectis hydatidibus, hujusmodi remedia idoneis circumstantiis præscriberentur, parum vel nihil juvaminis erit expectandum, quia lympha in hydatidibus subsistens remediorum actionem minime subire valet, difficiliusque in circulum reducitur, quam ipsa aqua in abdominis cavitate effusa.

L I-

LIBER QUARTUS

De Scirrho, et de Tumoribus Scirrhosis.

CAPUT PRIMUM.

De Scirrho.

Descriptio.

SCirrhus quinque sibi proprios characteres complectitur, qui totidem signa pathognomonica exhibent.

I. Durus est scirrhus, renitens, pressioni admodum resistens, magis quam molles, & inflammatae partes.

II. Indolens est, etiamsi tangatur, aut comprimatur.

III. Simulque naturalem partis colorem nulla ratione pervertit, ut vix ipsa morbo affici videatur, nisi interdum levissime obscuretur.

IV. Hujusmodi tumor calorem minime auget, sed naturalem affectae partis relinquit.

5. Tandem per lentam *congestionem* sensim producitur, & quamvis plerumque casu fortuito se manifestet, tamen per diutinum tempus efformatur.

Ceteroquin nulla est mollis corporis pars, quae scirrho locum non praebeat; experientia tamen docuit plerumque partes glandulosas aut viscera ejusdem generis ut plurimum affici, ac inter glandulas, & viscera illa facilius, quae spissos liquores secernunt: hujusmodi sunt mammae, hepar, testes, atque uterus. Partes vero tendineae, aut membranaceae nunquam, vel raro hoc morbo afficiuntur; carnosae partes denique, & musculares tendineis sunt scirrho minus obnoxiae.

Medici Graeci hunc tumorem appellaverunt Σκίῤῥος propter duritiem: nam *skirrhos* proprie significat apud illos *marmoris fragmentum*; Latini hanc nomenclationem receperunt, qua & ipsi usi sumus.

Differentiae.

Multiplex est scirrhi genus, videlicet:

I. Scirrhus *perfectus*, qui durus est, renitens, indolens, sine caloris, aut coloris mutatione, quem veteres *legitimum*, sive *exquisitum* appellarunt.

II. Scirrhus *imperfectus*, ubi minor est resistentia, aliquis sensus servatur; nulla tamen caloris, aut coloris mutatio observatur; hic *illegitimus*, vel *incipiens* etiam appellatur.

III. Scirrhus *carcinomatosus*, sive in cancrum degenerans, in quo dolores lancinantes sub contrectatione praesertim superveniunt, figura saepe mutatur, & an-

& anguli, aut protuberantiæ producuntur, ut de *cancro* acturi ostendemus.

IV. Scirrhus *phlegmonosus*, vel *oedematosus* in quo phlegmone, aut oedema mitiori, aut sæviori gradu scirrhum comitantur.

V. Scirrhus *circumscriptus* quando limites distinctos habet; *non circumscriptus*, quando scirrhi durities insensibiliter imminuitur, ut margines non distinguantur.

VI. Scirrhus, qui *nulla ratione* partis *colorem immutat*; vel ille, qui *variegatus* dicitur, ubi cutis venis lividis, aut nigerrimis refertur.

Causæ.

Scirrhus producitur a subsistentia alicujus humoris, qui in aliquam partem irruit, ibique concrescit.

Hic humor minime sanguis erit, quia scirrhus rubore caret, neque sanguis in duram massam compingi valet; insuper hic tumor plerumque partes afficit, in quibus cruor minus abundat, nempe in mammis, testibus &c. rarissime in musculis, aut aliis partibus observatur, ubi sanguis exuberat. Tandem a morte dissectis scirrhis nihil observatur, quod cruoris congeriem annunciet.

Reliquum enim erit scirrhum produci a lympha, aut aliis diversis humoribus recrementitiis, aut excrementitiis, qui in variis visceribus, aut glandulis præparantur.

Hæc propositio verissima est in utraque sui parte. Etenim scirrhus distingui debet in eum, qui ab humoribus recrementitiis, aut excrementitiis producitur, atque in illum, qui a simplici lympha generatur, quare consequitur viscera duplici scirrho esse obnoxia, videlicet *lymphatico*, & *recrementitio*, aut *excrementitio*.

Attamen neque lymphæ, neque humores illi nequeunt subsistere, inspissari, aut concrescere ad scirrhum producendum, nisi tali densitate polleant, ob quam impares sint vulgari ratione per propria vasa percurrere.

Ergo causæ, quæ lympham, aut indicatos humores inspissare valent, ut scirrhos producant, sequentes videntur.

1. Usus alimentorum rudiorum spissiori succo acescenti donatorum.
2. Vita deses, & sedentaria &c. calamitates, & tristitia continuata.
3. Frigus externum, quod auget humorum spissitudinem jam inchoatam.
4. Fermenta extranea, quæ valeant humores condensare, quibus sanguis inficitur, ut virus venereum, scorbuticum, aut strumosum.

Hujusmodi causæ revera generaliores sunt, quæ adversus partes omnes agunt; at speciatim singulas partes aggrediuntur pro circumstantiarum varietate.

I. Ob peculiarem enim humorum spissitudinem ad aliquod viscus pertinentium eorum alterum afficitur; ita bilis inspissata scirrhum hepatis producit; lac grumatum scirrhos mammarum, aut uteri facit.

Lympha splenica, nimis densa, scirrhum lienis gignit; sperma illum testium; humor pancreaticus tumorem pancreatis; chylus illum glandularum meseraicarum; lympha tandem glandularum conglobatarum scirrhum inducit.

Quamvis hujusmodi humores omnes a sanguine procedant, suspicari tamen licebit cujuslibet constipationem diversa ratione oriri, ut specialis quædam sanguinis condensatio, unius potius, quam alterius humoris compactionem inducat.

Hac Hypothesi admissa, facile explicatur, quomodo sanguinis spissitudo, quæ una tamen videtur, valeat alterum viscus afficere, reliquis in statu naturali relictis.

II. At hanc Hypothesim refutando saltem necessum erit generationem scirrhi fateri in peculiaribus partibus fieri ob extrinsecas læsiones, nempe.

1. A frigore, cui pars subjicitur; ita glandulæ colli facilius, quam axillares scirrhosæ fiunt.

2. A positu partium relate ad scaturiginem veneni, quod harum partium peculiarem humorem inspissare pote sit; ita sub copula cum pellicibus infectis glandulæ inguinales scirrhis, aut bubonibus magis sunt obnoxiæ; in infantibus pariter nutricibus infectis parotides ceteris glandulis facilius deturpantur; denique in cancro mammarum glandulæ axillares facilius corrumpuntur.

3. Ab ictibus, aut compressionibus de repente supervenientibus, quæ sanguinis spissitudinem, atque congestionem faciant; tali ratione plerumque incipiunt scirrhi mammarum.

4. Ab infantibus, qui in aliqua parte præcesserint, atque ita increbuerint, ut tandem scirrhosi facti sint. Hac enim de causa scirrhi hepatis, aliorumque viscerum obstructiones subsequuntur, ita in amygdalis scirrhi ab infartu reiterato originem habent.

5. A præcedenti aliquo morbo; quare scirrhi labiorum, narium, cutis &c. consequuntur plerumque scabiem, aut herpetem harum partium.

Potissimum tamen postremæ hujusmodi causæ recenseri debent relate ad scirrhos per simplicem lympham productos, ut explicari queat, quemadmodum lympha suapte natura homogenea unum potius, quam alterum glandularum genus infestet.

Symptomata.

I. Scirrhi sensim per congestionem producuntur, quo tempore compactus humor premitur ita a circumpositis arteriis, & contractione sistaltica fibrarum, ut pars scirrhosa facta duplum materiæ complectatur, quam in statu naturali.

II. Pondus scirrhi in eadem ratione augetur; quare pars scirrho affecta sub naturali circiter volumine duplum pendet.

III. Durities, & resistentia scirrhi simili ratione augetur, & quo magis contenta materies compingitur, eo validius pressioni obsistit.

IV. Scirrhus dum producitur, indolens est, quia filamenta nervorum per affectam partem reptantia, neque alicujus humoris acrimoniæ sunt obnoxia, neque distractioni; nam scirrhus nullam, vel levem intumescentiam producit, & lente admodum generatur citra nervorum læsionem.

V. Scirrhus jam confirmatus, indolens tamen perstat, quia etiam in hoc statu filamenta nervorum nullam irritationem patiuntur, cum nullus in scirrho adsit liquor hujus indolis, nullamque filamenta nervea sustinent distractionem, quia unum volumen scirrhus servat; neque externam compressionem ferunt, quia scirrhi durities a pressione filamenta vindicat.

VI. Itaque animadvertendum est, in scirrhis magis etiam inveteratis, & perfectis, nervos spiritus animales adhuc recipere sensibilitatemque servare, ut observatur frequenter, dum scirrhi in cancros degenerant.

VII. Resistentia, atque indolentia, nisi in scirrhis perfectis, & exquisitis altiori gradu observantur, quia maxima tunc est contentæ materiæ spissitudo. Ubi vero latitans humor, non omnino condensatus, apparet, pars scirrhosa plus, minusve pressioni cedit, scirrhusque imperfecte resistit, neque dolore tunc caret scirrhus, quia intersperfa nervorum stamina alicui distractioni adhuc obnoxia sunt.

VIII. Cum scirrhus partis volumen minime augeat, varia idcirco vascula

per

per ipſam diſtributa nullam compreſſionem patiuntur, ideoque ſanguis, lympha, atque animales ſpiritus in affectas partes libere irruunt per arterias, venas, vaſa lymphatica, aut nervos &c. verum ſi unquam in ſcirrho voluminis augmentum appareat, hoc ſegniter fit & inſenſibiliter, ut ſi horum vaſorum quodpiam prematur, facile reparatur damnum per dilatationem, quæ una fit, vaſorum lateralium proximorum; quod interceptionem fluentium liquorum impedit.

IX. Eadem de cauſa, quando ſcirrhus alicujus viſceris, hepatis nempe, lymphaticus tantummodo ſit, canales hepatici, qui bilem ſeparant, minime ſunt compreſſioni obnoxii, ſed bilem vulgari ratione ſecernendo, ipſam in duodenum fundunt; ergo nil mirum, ſi quandoque ſcirrhi hepatis nullam flavedinem ictericam comitem habeant.

X. In ſcirrho enim tantum recrementitio, quando in Hepate canales hepatici obſtruuntur, & bilis curſus intercipitur, neceſſario icteritia conſequitur; præſertim ſi ſcirrhus totum hepar, aut ejuſdem maximam partem occupet.

XI. Ex his conſequitur, in ſcirrho neque calorem augeri, neque colorem naturalem perverti, cum ſanguis minime in parte affecta cumuletur, ſed vulgari ratione per ipſam circumvehatur.

XII. At quod magis intereſt, ex his pariter conſequitur, ſcirrhum perfectiſſimum etiam, tamen nunquam vita carere. Quantumvis durus enim, reſiſtens, atque indolens ſcirrhus appareat, ſanguis tamen, lympha, ſpirituſque animales, & humores ipſi recrementitii vulgari ratione per ipſum percurrunt, calor naturalis ſervatur, oſcillationes vaſorum ceterarumque partium ſolidarum ſubſiſtunt; pari ratione ſaltem, ac in oſſibus, quæ certo apud omnes Anatomicos vivunt. Partes enim ſcirrhoſæ, modo propriam naturam ſervent, vitæ ſpeciem adhuc retinent. Quis enim crediderit partem ſcirrhoſam, quam per plures annos citra noxam ferunt ægri, æque mortuam eſſe, ac ſcirrhoſam partem a corpore abraſam, quæ paucos poſt dies putreſcere ſolet.

Ceteroquin ſi partes ſcirrhoſæ mortuæ eſſent, qua ratione ad vitam reverterentur, dum in cancrum degenerare incipiunt, ut infra ſequenti capite videbimus.

XIII. Quando ſcirrhus ſedem habet in parte circumſcripta, ut in glandulis, aut glanduloſis corporibus, & ipſe circumſcriptus apparet, ut ille mammarum, parotidum &c. contra vero nunquam circumſcribitur, quando partem occupet, quæ extendi, atque imminui valet; quare ſcirrhi cutanei nullam circumſcriptionem oſtendunt.

XIV. Scirrhi habentur, quorum progreſſus celerrimi ſunt, ubi vaſa ſanguinea, & lymphatica aliquam preſſionem patiuntur, quæ fluidorum curſum retardat; ſed hi phlegmone, & oedema facile concomitantur, ut recte *phlegmonoſi*, aut *oedematoſi* dicantur.

XV. Scirrhus verus, perfectus, & legitimus nunquam reſolvi poteſt, quia materies, quæ ipſum facit, nunquam liquari poteſt, ut reſorbeatur; verum ſi liquaretur, oſcillationes arteriarum, aut ſiſtalticum partium robur impares eſſent, ut reſolutio perficeretur.

XVI. Scirrhus deinceps hujuſmodi nunquam in ſuppurationem vergere poteſt, quia arteriæ per tumorem diſtributæ debiliter pulſant; verum ſi validius ipſæ pulſarent, indurata, ibique collecta materies earum actioni ita obſiſteret, ut nunquam funderetur.

XVII. Scirrhus tandem perfectus nunquam in gangrenam degenerat; nullus enim

enim in scirrho hujusmodi adest humor corruptus, qui valeat fibras destruere, nulla vasorum turgentia, quæ oscillationes imminuat, nulla tensio, quæ contractionem sistalticam hujus partis impediat; ergo haud metuenda est gangrena, quæ triplici hac de causa oriri solet, ut supra vidimus *lib.* I. *cap.* 3.

XVIII. Quando scirrhi incipientes sunt, aut imperfecti, observatur quandoque, sed raro, modo ipsos resolvi, modo in suppurationem, aut gangrenam converti, præsertim si phlegmone comitem habeant, quia tunc materies morbosa minus dura, & compacta est, arteriæ validius pulsant, sanguis ibi congeritur, atque tumor grandior fit; quod interdum resolutionem, aut suppurationem inducit, interdum etiam gangrenam parit, ut supra *citato loco* enunciavimus.

Diagnosis.

I. Scirrhus recognoscitur a pathognomonicis signis, renitentia nempe, indolentia, præternaturalis caloris, & ruboris absentia, atque formatione per viam congestionis.

II. Differentiæ se manifestant per signa sibi propria, jam superius enunciata, videlicet.

1. *Perfectus*, sive *exquisitus* est, si indolentia, & resistentia maxima sit.
2. *Imperfectus*, & non *exquisitus*, quando resistentia, & indolentia modica appareat.
3. *Carcinomatosus*, quando in tumore dolores lancinantes persentiantur, superficies inæqualis conspiciatur, & venæ circumpositæ varicosas se offerant.
4. *Phlegmonosus*, sive *œdematosus*, si phenomena alterutrius illa scirrhi comitentur.
5. *Circumscriptus*, vel non *circumscriptus* erit scirrhus, prout limites tumoris conspicui erunt, vel absconditi.
6. Ille, qui *colorem* partis *servat*, aut variegatus est, pro diversa conditione cutis, quæ scirrhum obducit.

III. Tandem causæ scirrhi deteguntur circa antecedentia ægrotantes interrogando, quod facile consequitur, modo medicus morbi etyologiam probe calleat.

Prognosis.

I. Scirrhus perfectus, neque in resolutionem, neque in suppurationem converti posse observavimus; ergo incurabilis est, ac frustraneum videtur curationem inire.

II. Scirrhus perfectus quandoque resolvitur, quandoque in suppurationem vergit; ergo quandoque etiam curari poterit, sed difficulter, & post longum tempus; ceteroquin suppuratio in scirrhis imperfectis nunquam salubris est, nisi in partibus externis.

III. Difficultas, & diuturnitas valetudinis in scirrhis imperfectis respondet duritiei contentæ materiæ, & volumini tumoris.

IV. Restitutio a scirrho imperfecto nunquam damno caret, quia resolventia validiora, quæ in circumstantiis adhiberi solent adversus sanguinem, & viscera, deteriores effectus frequenter producunt.

V. Facile etiam resolutionem tentando scirrhus in cancrum converti poterit, ut infra *sequenti capite* ostendemus: in hoc casu modo æger aliquem dolorem lancinantem persentiat, remedia solventia sunt relinquenda, & mitiora tantum sive palliativa retinenda.

VI. Nunquam curationem aggredi debemus scirrhi nigri, aut plumbei, cujus superficies ob venas varicosas variegata appareat; nam cancri generatio accelerabitur, quod hujusmodi scirrhus jam minatur.

VII. Scirrhus, quia ab humoribus viscosis minusque salitis dependet, remedia solventia facilius patitur, quam si ab acerrimis liquoribus, & magnopere sale imbutis procederet, qui tunc ab actione solventium statim carcinomatosus fieret.

VIII. Ceteris paribus scirrhus externus facilius convalescit, quam internus, quia topica illum adversus validius agunt; insuper ille minus periculi habet, nam modo in suppurationem vergeret, facile pus evacuari posset.

IX. Scirrhus lymphaticus, qualis est glandularum conglobatarum, plerumque minus periculosus est, quam si a supradictis humoribus produceretur, nam lympha per illas glandulas percurrens minus acris, minusque salita esse solet.

Curatio.

Admonuimus jam superius scirrhum perfectum nullam curationem postulare, in quo casu methodus palliativa tantum adhiberi poterit; scirrhi imperfecti vero respectu quadruplici ratione ipse finem habuerit.

1. Per solutionem, aut dissipationem 2. per suppurationem, aut abscessum 3. per cancrum; 4. per lentam febrem tandem, quæ per consumptionem ægrum necabit.

Prior desinentia salubris magis est; *secunda* minus infensa, si scirrhus externus sit, quamvis laudabilis suppuratio in scirrho nunquam observetur; *tertia*, & *quarta* infensissimæ sunt, quibus sedulo erit obsistendum.

Quare hic explicare necessum erit,

1. Methodum potiorem, tutioremque imperfectum scirrhum resolvendi, modo resolvi queat.

2. Methodum externum scirrhum in suppurationem convertendi, quando resolvi nequeat.

3. Methodum consumptionem reparandi; nam quod attinet ad cancrum, sequenti capite locuturi erimus.

4. Tandem qua ratione scirrhum perfectum pertractari debeat, qui nunquam convalescit.

I. Etenim, ut prudenter resolutionem scirrhi aggrediamur, inquirendum erit, si sanguis viscosus, salitus, acer, aut muriaticus sit.

In *primo* casu; quando nempe cruor viscosus sit, aperientia adhiberi poterunt, & solventia eorum dosim per gradus augendo; talia sunt.

1. Præparationes omnes aperientes martis, videlicet crocus aperiens, tartarum martiale solubile, sal martis, tinctura martis, & flores ammoniacales martiales.

2. Salia omnia solventia, nempe sal admirabile Glauberi, arcanum duplicatum, sive sal de duobus, sal ammoniacum, flores salis ammoniaci, sal tartari, & reliqua salia fixa.

3. Pleræque præparationes Mercurii, quæ neque valde emeticæ sint, neque valde purgent, ut aquila alba, panacea mercurialis, & potissimum æthiops mineralis per deflagrationem confectus, qui neque purget, neque salivationem moveat.

4. Gummi solventi facultate donata, uti ammoniacum, sagapenum, bdellium, Myrrha, Aloes, &c.

5. Par-

5. Partes animalium salibus volatilibus imbutæ, quales sunt millepedes, viperæ, bufones &c. quarum pulvis, aut decoctio usuveniunt.

6. Hujusmodi remedia exhibentur sub forma opiatorum, bolorum, rotularum, aut pulverum, quæ decoctionibus, aut apozematibus adduntur ex plantis aperientibus confectis, videlicet ex radicibus Eryngii, Brusci, asparagi, anonidis, apii, chelidonii &c. tum ex foliis nasturtii aquatici, cichorii, Chærophilli, cochleariæ, agrimoniæ, &c.

7. Inter hujusmodi remedia usitatissimus est pulvis compositus ex viginti granis pulveris millepedum, tantundem æthiopis mineralis, & decem granis diagrydii præparati, qui quotidie, vel alternis diebus exhiberi solet.

8. Nisi identidem hic nuper enunciatus pulvis adhibeatur, drastica propositis remediis erunt copulanda quarto, vel quinto quoque die; nam solventia remedia postulant, ut solutus humor identidem repurgetur.

9. Si externus scirrhus videatur, internis remediis topica resolventia addi poterunt, qualia sunt emplastra de Vigo cum quadruplicato mercurio, de Diachylo cum gummi, de diabotano, & cicuta; embrocationes etiam usuveniunt ex oleis lumbricorum terrestrium, philosophorum, sapone &c.

Cataplasmata demum ex pulpa radicum bryoniæ, ari, elleboris nigris, curando ne hæc remedia, quæ nonnihil caustica sunt, vesiculas sublevent; admovetur etiam sedimentum aquarum thermalium, simulque suffumigia ex cynnabari, storace, aut aceto, in quibus silices extinctæ fuerint, tum unguentum neapolitanum impendi solent.

10. His internis, atque externis resolventibus identidem interjiciuntur emollientia, & relaxantia, ut jura pullorum, vituli, serum lactis, ejusque fomentationes, cataplasmata emollientia, emplastra mucilaginea ex althæa; Balnea denique ex decoctione malvæ, aut bismalvæ.

In *secundo* casu; videlicet quando sanguinis constitutio salsa, acris, & muriatica videatur, remedia resolventia majori cautione indigent, eorumque virtus moderari oportet, crebro diluentia, humectantia, & temperantia adhibendo, ut jura pullorum, vituli, plantis refrigerantibus consociata, balnea, aut semibalnea tepentia, serum chalybeatum, aquæ minerales ferrugineæ, & lac ipsum asininum, aut caprinum.

II. In scirrhi interni pertractatione suppuratio vitari debet; at in scirrho externo minus ab ipsa periculi est, quin imo ita vertere scirrhum frequenter juvat.

Idcirco si dolor, calor, & rubor suppurationem prænuntient, oportebit,

1. In resolventium remediorum usu morari, donec resolutio perficiatur; at si nimia incalescentia in propinquo videatur, sat erit proposita emollientia pharmaca resolventibus addere.

2. Si inflammatio conspicua sit, vena erit incidenda, semel, vel bis ex brachio, aut ex pede juxta morbi positum.

3. Si motus febrilis adsit, æger jure, & simplici ptisana erit pertractandus.

4. Cum tumor scirrhosus emolliatur, atque notas suppurationis præbeat, non erit aperiendus, nisi in tumore contentæ materiæ solutio universalis, aut maxima ex parte fiat; secus callositates superessent difficulter resolvendæ.

5. Suppurato tumori incidendo melius cedit lapis causticus, quam culter, modo partis affectæ conditio sinat; nam lapis istiusmodi magnam callositatum partem destruit, latiorem aperturam inducit, curatu etiam faciliorem.

6. Tumor reclusus detergendus videtur, bonam carnem reproducendo, callositates destruendo, atque cicatricem promovendo, ut *l.* 1. *c.* 11. *de abscessibus*, vidimus.

III. Si animadverteris, quod scirrhi resolutionem tentando, æger in tabem vergat, pulsusque frequentiores, & pene febriles evadant,

1. Solventium usus penitus erit proscribendus, & jam remediis generalibus reiteratis, æger usui subiiciendus erit jurium pullorum, aut vituli cum plantis dulcificantibus, & temperantibus, atque ranarum interdum femoribus.

2. Modo tempestas sinat, lac asininum, aut vaccinum utilissimum erit æquali copiæ remixtum decoctionis graminis, aut hordei.

3. Opportuna erunt balnea, aut semibalnea tepentia ex aqua fluviatili puriori, aut decoctione plantarum emollientium parata.

4. Æstivo tempore erunt exhibendæ aquæ minerales acidulæ, mitiores tamen, & diureticæ, ut illæ sunt (*de forges*.)

5. Identidem alvum ciere necessum erit ex lenientibus tantum, manna scilicet, cassia, & tamaryndis absque salibus, aut purgantibus resinosis.

6. Si pulsus vividus perstet, & sanguinis orgasmus præsens sit, quandoque venæ sectiones ad octo circiter uncias utiles evadent.

7. Victus exquisitus præscribendus videtur, qui potabilis, aut farinaceus sit, carnium, vini, coffeæ, & chocolati usum interdicendo.

8. Tandem somnus, vel quies saltem noctu curari oportebit ope calmantium in emulsione etiam solutorum.

IV. Tandem ut scirrho perfecto aliqua ratione obsistamus, qui nunquam convalescit; vel saltem ejusdem teterrimas consecutiones aliqua ratione avertamus, fas erit.

1. Ex *una* parte aperientia exhibere mitiora tamen, minusque calefacientia; scilicet tartarum martiale solubile, diaphoreticum minerale, recenter paratum, atque pulvis millepedum; ex *altera* vero parte diluentia humectantia, & dulcificantia superius proposita veniunt reiteranda, sed lac potissimum, si stomachus ferat.

2. His remediis exquisitam diætam addi oportet in qua alimenta tenuja sint facilis subactionis, vinus parvus, aut nullus, nulla vero animi pathemata, violentiora corporis exercitia, nullumque pervigilium.

3. Topicorum respectu plerumque eorum nullum impendi confert, vel ad summum relaxantia, & fundentia mitiora adhiberi poterunt, ut ceratum galenicum, emplastrum mucilagineum, vel illud ex æqualibus partibus diabotani, emplastri mucilaginei, & melliloti simul paratum.

CAPUT SECUNDUM.

De Cancro.

Descriptio.

Cancer scirrhus est dolens factus per gradus successivos, ut infra ostendam.

1. Scirrhus mutat figuram, dilatatur, oblongatur, acuminatus fit, inæqualis, & angulosus sine causa manifesta.

2. Eodem tempore dolens evadit, dum contrectatur, interdum etiam lancinationibus est obnoxius, modo paulisper calefiat, aut defatigetur æger.

3. Color externæ cutis, quæ scirrhum obtegit, paulatim mutatur, & per gradus fuscus, variegatus, plumbeus, &c. evadit; tumor tandem varicibus nigris refertur, quæ aliquo modo cancrorum pedes æmulantur, ex quo hujus tumoris græca nomina καρκίνος, & καρκίνωμα & illud latinum *cancer* procedunt.

4. Scir-

4. Scirrhus sive cancer continuo ingrandescit, magisque in diem deformis, dolorosus, lividusque fit.
5. Ejus angulorum alter sub cute sublevatur, ipsamque tendit levigatam, splendentem, & in apice rubicundam reddit.
6. Circa hujusmodi apicem potissimus dolor, cruciatusque persentitur, ut omnis calamitas hic constipata videatur; in hoc casu cancer *confirmatus*, sed *occultus* apparet.
7. Cutis a maxima tensione tandem disrumpitur, atque ex scissuris serum ichorosum, purulentumque erumpit, quod paulatim cancri corpus exulcerat.
8. Cancro semel aperto ejusdem labia reflectuntur, inflantur, elevantur, magis, magisque aperiuntur, & cancer *apertus* tunc appellatur.
9. Lancinationes, & dolores in diem cum aperturæ augmento, & ipsi augentur, atque cancer loco puris legitimi saniem acrem purulentamque suppeditat.
10. Ex centro patentis cancri aut ejusdem labiis jugiter crescunt carnes fungosæ per modum vegetationis, quæ cito in pus resolvuntur, sed iterum facile, & ubertim reproducuntur.

Differentiæ.

Cancer varias species complectitur.
1. In statu cancer *occultus* est, cum nondum exulceratus videatur; *apertus* vero si ulcere fœdetur.
2. In progressu suo *incipiens* dicitur, quando dolores modici, rari, & inæqualitates leviores sint; contra vero *confirmatus* appellatur, quando lancinationes, protuberantiæ, & coloris mutationes conspicuæ sint.
3. In qualitate differt; nam modo *malignus* est cum maximo dolore; modo *benignus* cum mitioribus cruciatibus.
4. Causa etiam producens generice differt; interdum enim cancer a causa *interna* derivat a sanguinis vitio, absque externa causa, vel levissima saltem, quæ occasionem ipsi præbuerit; interdum tamen a causa *externa* originem ducit, nempe ab ictu, contusione, collisione &c.
5. Modus etiam concrescendi diversus est; nam quandoque *fungum* perfecte æmulatur, quandoque hanc similitudinem cancer lentius suscipit.
6. Quoad partem affectam vero attinet, cancer Hepar, splenem, uterum, testes, glandem, glandulas conglobatas, mammas, labia, cutim &c. occupat, sed duplex postrema species cancri plerumque coagmentatur ex pluribus granulis cancrosis, distinctis, & miliaribus, quia ejusdem sedes in glandulis miliaribus sita est.

Causæ.

Ut recte de cancro judicemus, qui, ut supra admonuimus, ex scirrho oritur, attendendum erit.
1. Scirrhum tumorem esse sensim *per congestionem* natum humoris spissi quassati, atque compacti, ut tumorem durum, resistentem istiusmodi efformet.
2. Hunc liquorem in scirrho compactum quandoque rarescere, primumque volumen recipere, saltem in quibusdam scirrhi partibus, nisi ubique tumoris.
3. Interdum etiam accidere potest hunc humorem eo magis rarescere, atque grandius spatium occupare, quam suapte natura soleat; hæc proprietas in naturæ phenomenis non est abscondita, patet in gypso, qui aqua solutus tumet, atque rarescit, prout concrescit; recognoscitur in limatura chaly-

chalybis, quæ urina, aut allio trito commixta concrescendo, inflatur; in metallis pariter idem ostenditur, atque salibus omnibus, quæ intumescunt, ut species vegetationum referant; pari ratione igitur in scirrhi substantia evenire poterit hoc phenomenon, quod observationibus etiam confirmari videtur.

4. Certum insuper esse constat, scirrhum in cancrum degenerare, inflari, ipsum rarescere, atque extendi, quamvis id æquabiliter per omnem tumorem non contingat, hoc ostenditur.

1. Mutatione figuræ, quæ in scirrho observatur, dum primo in cancrum desinit, quod inæqualem tumoris intumescentiam præbet.

2. Angulis, qui in his scirrhi partibus conspiciuntur, qui manifestant ibi grandiores expansiones gigni.

3. Scissuris superficiem cancri deturpantibus, quæ citra manifestam causam, nisi ab aucto volumine, & expansione materiæ scirrhosæ oriri possunt.

4. Tandem ex labiorum ulceratorum reflexione in cancro aperto, quæ nisi ab inflatione harum partium produci potest; quæ omnia satis confirmant hanc expansionem in tumoribus scirrhosis necessario esse admittendam, dum ipsi in cancrum abeunt.

5. Hanc expansionem igitur sive materiæ scirrhosæ explicationem unicam causam esse conversionis scirrhi in cancrum quis inficiabitur? saltem apparet, hac ratione facile explicari posse cancrorum formationem, absquequo ad humorem acrem corrodentem confugiamus, qui in cancris occultis vel exulceratis minime se offert; nam sanies ex his defluens lympha tantummodo videtur nutritia, guttulis nonnullis sanguinis onusta, aut fungosis filamentis in suppurationem resolutis.

His positis, reliquum est ad cancri originem patefaciendam causam indicare, quæ materiæ scirrhosæ expansionem promoveat, ex quo cancer gignitur.

Haud dubitaverimus hanc causam esse caloris augmentum in cancri substantia, quod scirrhi materiam rarefaciendo loculamenta disrumpat, in quibus compingitur, ac valeat proinde majus spatium occupare, quam a naturali calore fieret. Hoc caloris augmentum in scirrho, nisi a triplici subsequenti causa oriri potest, quod sedulo attendendum est; præsertim cum in hujusmodi circumstantiis potissimum soleat scirrhus in cancrum converti.

I. Quotiescumque calor naturalis sanguinis augebitur per supervenientem febrem, cibos acres, salitos, calefacientes, pervigilia, diuturniora exercitia, nimia animi pathemata, &c.

II. Quotiescumque calor in scirrho intenditur, per topica calida solventia imprudenter applicata, aut citius quam par erat.

III. Quotiescumque sanguis ubertim in tumorem scirrhosum irruit; vel quia in corpore exuberet, vel quia in affecta parte subsidat a frequenti contrectatione, compressione, vel ictu.

Symptomata.

Symptomata hic explicaturi erimus tantummodo, quæ ad omnes cancros generice pertinent, non vero quæ ejusdem species diversas respiciunt; generalia idciro cancri symptomata sequentia esse solent.

1. Calor in scirrho augetur, dum primo in cancrum degenerat, hac sola de causa ipsum naturam mutare vidimus; sed hic calor in diem, prout progreditur morbus, augeri debet.

2. Prout

2. Prout calor augetur, partes scirrhi compressæ extendi, & explicari debent, quod volumen scirrhi auget, & figuram mutat, inæqualiter tamen, quia ab inæquali tumoris pressione inæqualis producitur tumoris expansio.

3. Ab hac expansione materiæ in scirrho contentæ nervi per ipsam distributi continuis distractionibus sunt obnoxii; quod sensum doloris producit, qui jugiter increscet, prout scirrhi expansio augebitur.

4. Quandoque hæc tumoris intumescentia in quibusdam locis celeris ita fit, & nervorum distractio vehemens ita, ut dolor æmuletur phlebotomi ictum in tumorem infixum, ex quo dolor *lancinans* appellatur.

5. Cancer sub dilatatione, & incremento circumpositas venas compingit, quarum rami plerique a cute propinqua prodeunt; ex eo cutaneorum vasorum circuitus retardatur, & sanguis subsistens tumoris superficiem obscuriorem reddit.

6. Vidimus jam explicationem materiæ carcinomatosæ inæqualiter fieri. Animadvertendum hic est hanc inæqualitatem in superficie tumoris minorem esse, ubi obstacula minora sunt; hac de causa exterior cancri facies pluribus prominentiis deturpatur, quæ in diem augentur.

7. Cutis, quæ hujusmodi prominentias obtegit, post maximam distensionem levigata, & lucida fit, eodemque tempore rubet, quia sanguinis circulus magis retardatur.

8. Tandem ab hac distractione cutis infringitur; primo sub excoriationis specie scissura se offert; sed paulo post dilatatur, & ad cancri substantiam pertingit.

9. Tunc a disrupta cute, ac præsertim a membrana cellulari, jam difracta, serositas lymphatica ubertim erumpit, sanguineis guttulis intimius saturata, colore rubro, aut roseo interdum referta.

10. Disrupta cute, cum protuberantia substantiæ ipsius tumoris huic respondens continuo progrediatur, neque amplius a cute defensa sit, finditur & ipsa, atque e nova plaga nova scatet lympha plus, minusve rubicunda; & tunc cancer *apertus*, sive *exulceratus* appellatur.

11. Cancro semel aperto materies, quæ ipsum gignit, obstaculis remotis celerius, validiusque expanditur, ac proinde apertura magis dilatatur, quasi patula *malus punica*.

12. Cum cutis, & reliqua cancri involucra non una polleant se se dilatandi facultate cum materia carcinomatosa, ideo cancri labia magis quam cutis extendi debent, atque extrorsum reflecti.

13. Expansio uberrima materiæ carcinomatosæ, etiam in aperto cancro, nervos valide distrahere debet, quod dolorem vividiorem, quam in cancro occulto, producit.

14. Eadem expansio majus incrementum adipisci debet, præsertim cum plura vasa sanguinea, quæ extendi nequeunt, continuo destruat, ex quo sanguinis jacturæ oriuntur; quando vascula concisa capillaria fuerint, hæmorrhagia parvi momenti erit, maxima tamen, si vasa grandiora fuerint aut arteriosa.

15. Ex omni aperti cancri superficie carnes plus, minusve spongiosæ *fungorum* more crescunt, quod postremum expansionis materiæ carcinomatosæ gradum manifestat. Hi fungi ab aeris attactu, aut remediorum applicatione cito putrescunt, sed totidem resurgunt.

16. Nullum verum, & legitimum pus in cancro aperto produci solet; effluit tamen serositas lymphatica, & rubicunda, plerumque sanguineis mollecculis imbuta, & fungorum putrefactorum fragmentis referta, quod laticem illum rubicundum, saniosum, fœtidumque reddit.

17. Odor effluentis materiæ non solum fętet, verum cadaver redolet, qualis ex putrefacta gangręna spiraret; revera materies ex cancro proveniens, cum maxima ex parte coagmentetur ex fragmentis putrefactis carnium unum olere debet, ac partes gangręnæ, aut cadaverum putrefactorum, quare cancri magis fætent, quo magis fungis abundant.

18. Celeris expansio cancri valide comprimit circumpositas venas, & sanguinis circulum intercipiendo, ipsas inflat, nigerrimas, & varicosas reddit. Hoc evenit quandoque in cancro occulto, semper tamen in aperto observatur. In hoc statu cancer varicibus circumcinctus, *cancrum marinum* aliqua ratione æmulatur, quo nomine designari solet.

19. Expansio materiæ cancrosæ continuo respondet naturæ scirrhi in cancrum mutati; quare quo magis scirrhus durus, resistens, & exquisitus fuerit, eo magis cancer subsecuturus intumescet.

20. Celeritas expansionis ejusdem magnitudini respondebit, quia utraque ab eadem causa procedit. Idcirco quo magis materies cancri rarefactione potis erit, eo facilius cancer progredietur.

21. Dolor respondet nervorum distractioni, & hæc magnitudini, & celeritati expansionis materiæ morbosæ; ergo sub majori, & celeriori dilatatione cancri sæviores dolores insurgent.

22. Huic expansionis magnitudini, & celeritati pariter respondebit fungorum productio.

23. Tandem frequenter in cancris mammarum apertis animadvertitur de repente ex tumoris centro erumpere per insensibilem hiatum copiosum, serosum laticem, rubrum, roseum, acrem, fœtidum, atque cadaver redolentem.

Pro hujusmodi phenomeni explicatione longe est incipiendum. Corpus glandulosum mammarum ex pluribus racemis conficitur distinctis sane, sed intime contiguis; sub scirrhi formatione eorum positus non mutatur, quia scirrhus neque formam, neque volumen partium pervertit, sed cum in cancrum ipse vertitur, volumine augetur, figura mutatur, neque amplius racemi sive accini glandulosi proxime se contingunt; relinquunt itaque interstitia, quę cito lympha exsudanti ex disruptis membranis replentur, huic lymphæ guttæ sanguinis plures adduntur, & filamenta putrefactarum membranarum, ut lympha rubra, fætida, & acris se offerat, quinimo magis, magisque perverti debet ob calorem partis, quæ ipsam complectitur, ac proinde calorem, & sensum cancri augeri; at glandulosi racemi continuo formam mutando, debent in illis loculamentis contentæ serositati viam pandere, quæ abunde cum ægri levamine profluit; attamen debent simul morbi progressus accelerari, quia cavitates, quæ laticem illum complectebantur, semel evacuatæ, & aeri expositæ magis aperiri debent, & extensionem, atque deformitatem cancri augere.

Diagnosis.

I. Cancer diu non latebit; quotiescunque tumor scirrhosus punctorio dolore afficitur, in cancrum converti prænuntiat.

II. Facile est distinguere varias cancri species post super allatas differentiarum descriptiones, ubi ipse *occultus*, *vel apertus*; *incipiens*, vel *confirmatus*; *malignus*, vel *benignus sit*.

III. Quoad qualitatem cancri ipsa cognoscitur propter majorem, vel minorem

rem ſcirrhi duritiem, quæ cancri formationem præceſſerat; ob magnitudinem, & celeritatem intumeſcentiæ atque expanſionis materiæ morboſæ; ob doloris intenſitatem; denique ob ubertatem carnium fungoſarum ab ulcere decidentium.

IV. Nunquam de cancri ſede ancipites hærebimus; quiſque norit, neve hepar, lien, uterus, aut alia, quæ exterius pateat, pars afficiatur.

V. Ab ægrotantium narratione tandem deduci poterit, neve cancer a cauſa externa, interna, aut accidentali procedat, quod maxime animadvertendum eſt; nam cum de præcedentibus rebus ſatis edocti fuerimus, facile detegerimus, quidquid alterutri cancri ſpeciei originem præbuerit; ſed hujuſmodi cognitio in prognoſim, aut curationem parum admodum influit.

Prognoſis.

I. Cancer vel occultus, vel apertus, modo confirmatus videatur, abſolute incurabilis eſt, niſi ferro ſcindi poſſit; nam cancri reſolutionem ſimul ac ſcirrhi tentare fruſtraneum videtur.

II. Supereſt enim tantum, aut cancrum abſcindere, quod valetudinem reſtituit, modo pus bene vertat; aut vehementiam, incrementum, progreſſumque cohibere.

III. Cum cancer eludat in utroque tentamine remediorum vim, atque medici diligentiam, pertimeſcendum erit ægrum ſub diris cancri exulcerati cruciatibus, atque teterrimis ejuſdem conſecutionibus periturum eſſe, citius, vel ſerius pro varia cancri indole.

IV. Externi tantummodo cancri extirpari poſſunt; idcirco interni omnes incurabiles ſunt, atque niſi palliativa methodus adhiberi poteſt.

V. Deinceps externorum illi ſolum abſcinduntur, qui mobiles ſunt, neque partibus adherent, quæ ſub ſectione lædi poſſent.

VI. Quapropter ſi cancer oſſibus, eorum perioſtio, vaſis, nervis, aut tendinibus inhereat, reliquum eſt palliativam curationem inire, & cancri aperitionem retardare; nam cancer apertus celerius progreditur, quam occultus, ut Hippocrates (a) admonet. *Quibus occulti cancri adſunt, non curare melius; curati enim citius intereunt, non curati vero longius vitam trahunt.*

VII. Neque commendarem cancri extirpationem, cum a cauſa interna, vitio ſcilicet ſanguinis dependeat; frequenter enim evenit, quod poſtquam æger laborioſum opus paſſus fuerit, futilem valetudinem poſt paucos menſes novus cancer, & deterior ſubſequatur, qui nobiliorem partem implicet.

VIII. Generice cancer letalis magis eſt, quando in conſtitutionibus ſalinis magis, atque климатиоſis occurrat, tum vividioribus cruciatibus ſit obnoxius, qui partes nobiliores infeſtet, ac teterrima phenomena conjuncta habeat.

Curatio.

Triplex eſt cancrum curandi ratio, in triplici ejuſdem ſtadio.

1. Quando incipit, & æger extirpationem contemnendo poſtulat, quod ejuſdem progreſſus impediatur.

2. Quando æger ſinit cancri eſtirpationem, & facile, atque utile videtur opus.

3. Quan-

(a) *Sect. VI. Aphor. 38.*

3. Quando cancer extirpari amplius nequit, ac dolorem moderari tantum fas erit.

I. In primo casu necessum erit.

1. Exactum regimen prescribere quo ad nutrimenti qualitatem ægros, potionibus farinosis, jusculis, farinaceis, & similibus, cum paucis elixis carnibus alendo, interdicendo vini usum aut modicum saltem permittendo, exercitia vehementoria, pervigilia, atque omnes excessus proscribendo, sobriam vitam suadendo, ne sanguinis nimium adipiscantur.

2. Præterquamquod identidem venam secare ter, quaterve in annum oportet, præsertim si mulier effecta sit, quæ menstruis deficiat; hoc maxime interest, & tutior est methodus cohibendi cancri progressus.

3. Purgare interdum ægros confert, lenientibus haud calefacientibus adhibitis; hujusmodi sunt tamarindi, cassia, manna, rhabarbarum, sal vegetabile &c.

4. Exhibere decocta amara, & temperantia, jura cancrorum, serum chalybeatum, & aquas minerales, balnea, aut semibalnea tepentia, lac caprinum, aut asininum, tum pro integro alimento lac continuo propinare, circa quod varias tempestates attendere oportebit.

5. Nihilum cancro admovere convenerit ipsum calentem exsiccatumque servando, atque ab injuriis externis vindicando; qua de causa sat erit, partem affectam linteo, calida urina imbuto, ad instar cataplasmatis, obtegere.

6. Narcotica etiam usum habere solent, mitiora tamen, & modica dosi, modo pervigilium, aut dolor ægrum infestent.

II. Superallata ratione interdum cancri progressus interdicitur, in his, qui temperatam vitam ducunt, & tranquillam, cujus sanguis nullo conspicuo vitio deturpatur.

Animadverti pluries ægros cancros patentes passos fuisse citra ullam teterrimam consecutionem; idem tamen continuo non accidit, quandoque ad tumoris extirpationem confugere oportet, quod fieri neque potest, neque debet, nisi sequentibus casibus.

1. Quando cancri externi sunt, ut illi mammarum, labiorum, glandis, atque testium &c.

2. Quando ipsi mobiles sunt, aut partibus adhærent, quæ absque noxa abscindi possunt.

3. Quando ab externa causa, & accidentali procedunt citra ullum sanguinis vitium.

4. Quando denique ægri juvenes, & bene constituti videantur; vel si mulieres fuerint, neve menstruis perfecte gaudeant, aut his jam diu præter naturæ leges deficiant.

In concursu harum conditionum, animose cancri extirpationem ineundam esse arbitror, postquam generalia remedia adhibita fuerint, idoneam tempestatem eligendo, qualis ver est, aut autumnus.

Hujusmodi extirpatio duplici ratione fit, ferro nempe, aut caustico: *prior* tutior est, & sola quæ benevertat; *altera* in cutaneis cancris abscindendis locum habere potest, imo quandoque potior videtur.

Dum cultri ope cancri extirpatio institui vult,

1. Abscindatur oportet summa celeritate, atque solertia omnis cancrosa portio, videlicet integra mamma, si de ipsa affecta agatur.

2. Deinceps arterias ampliores vincire olim solebant, quod crudele erat; hodie solent spleniis aqua aluminosa imbutis dissectam partem obducere; quæ suf-

sufficiunt ad hæmorrhagiam sistendam. Utebantur etiam chirurgi stipula pulveribus adstringentibus cum albumine ovi quassatis saturata, sed hodie postquam ulceris confinia pulvinis simplicibus obtegerint, reliquum cooperiunt similibus pulvinis pulveribus adstringentibus consperfis, & apparatum satis firmis vinculis, fasciisque circumductis defendendo, jubent famuli manum supra imponere, quod satis cruoris jacturam impedit.

3. Cunctari oportet, donec sponte apparatus istiusmodi evellatur, quod tertio, aut quarto die eveniet; prout ulcus detergitur, pulvini apponuntur, suppurantibus cum luteo ovorum dulcificatis onusti, sed una similes pulvini aqua aluminosa imbuti in promptu esse debent, modo vas aliquod multum sanguinis adhuc funderet.

4. In progressu primo digerentibus luteo ovorum commixtis, deinde simplici digerente emplastro affecta pars pertractatur, donec suppuratione imminuta balsamum Arcei adhiberi possit.

5. Si in suppurationis progressu glandula aliqua apparuerit, aut cancrosus tuberculus nondum abrasus, forcipe, aut escharoticis abscindi oportebit.

6. Tandem cum ulcus occludatur, cicatrix promovenda videtur leviter lapide infernali ipsam identidem tangendo, aut balsamum viride simplex, vel aliis unguentis remixtum adhibendo, vel partem conspergendo terebinthina ustulata, & in pulverem redacta, ipsamque spleniis siccis, aut rasis obducendo.

Cum speciales rationes nobis suaserint, corrodentium viam esse sternendam statim.

1. Sanciendum erit qualia sint deligenda: proponuntur plures arsenici præparationes, quæ magnopere commendantur, sed difficulter putarem arsenicum ita moderari posse, ut nullum damnum afferat; quare magis idonea videntur cauteria usitatiora, modo rite parata fuerint.

2. Etenim postquam spleniis, aut emplastro perforato margines cancri comburendi statuti fuerint, lapis causticus applicari poterit ad illam crassitudinem, quæ pro magnitudine tumoris idonea magis judicabitur; apparatus pulvinis cooperitur, fasciis vincitur, aut manibus firmatur.

3. Cum appareat validus lapidum effectus, removetur apparatus, & eschara oblinitur butyro recenti, cum foliis betæ, quod bis, terve in die renovatur, ut citius eschara decidat; frequenter enim hac de causa eschara inciditur, ut butyrum intimius ipsam pervadat.

4. Modo eschara circa limbos evelli incipiat, digestivum adhiberi oportet cum luteo ovorum commixto, usque dum omnis eschara abeat; tunc ulcus vulgari ratione cum simplici digestivo, & circa finem cum balsamo Arcei pertractatur, super allatis modis cicatricem fovendo.

5. Suppurationis tempore sedulo perquirendum erit, an glandulæ, aut granula cancrosa supersint, quæ forcipe, aut escharoticis destrui debeant, quod obtinebitur ope lapidis caustici, si durities maxima sit, aut pulvinis simpliciter pulvere, aut solutione ejusdem lapidis imbutis; trochisci etiam sublimati corrosivi utiliter in his casibus adhibentur, modo caute procedatur.

6. Tandem, ulcere deterso, cum nulla cancri suspicio subsistat, obvia methodo curatur ulcus, & cicatrix, quo fieri potest, acceleratur.

III. Postremus casus reliquus est, ubi cancer apertus, & dolens apparet, qui extirpari nequit; tunc enim fas erit, tantummodo dolorem moderari, morbi progressus retardare, & vitam ægri producendo ipsam calamitosam minus reddere.

Hac

Hac de causa topica omnia oleosa, aut emplastica vitari debebunt, quæ partem calefaciendo dolorem intendunt; confugiendum enim erit ad anodyna aquosa, aut absorbentia, tum relaxantia simplicia, quorum usitatiora proponam.

Inter anodyna aquosa utiliter adhiberi solent.

1. Succus solani morellæ dicti, sedi, scrophulariæ, & geranij robertiani, simplices adhiberi possunt, aut in mortario plumbeo, cum simili pistillo contriti, donec inspissescant, & nigrescant; ipsis addi potest sal saturni, aut liquor ejusdem salis ea dosi, quæ potior videbitur.

2. Decoctio cancrorum fluviatilium, aut marinorum, ranarum, cęparum &c. in mortario plumbeo quassatorum, additis etiam sale, aut liquore saturnino.

3. Aquæ distillatæ spermatis ranarum, aut cęparum, quæ in mortario plumbeo cum supradictis præparationibus saturni quassari possunt; cancer apertus his succis, decoctionibus, aut aquis tepentibus inspergitur, pulvinos etiam his liquoribus imbutos admovendo.

4. Absorbentia usitatiora sunt; pulvis plumbi cum mercurio amalgamatus, sive æqualibus partibus pulveris antimonij crudi commixtus, sive antihectico Poteri, pulvis ranarum, cancrorum, bufonum &c. exsiccatorum, quibus pulveribus pars affecta conspergitur.

5. Quoad relaxantia anodyna hujusmodi sunt: fragmenta adhuc calentia carnium vituli, pullorum, aut columborum, quæ parti affectæ admoventur, sæpe ipsas amovendo, antequam putrescant.

6. Maxime juvat expansioni materiæ cancrosæ obsistere, quæ potissimum grandiores dolores parit, & morbum accelerat; hac de causa applicantur plumbi laminæ simplices, aut mercurio imbutæ, quæ sæpe expoliuntur, atque renovantur; pariter adhiberi posset balsamum chalybis, quod sequenti ratione paratur.

Sumatur spiritus nitri idonea quantitas, in qua acus exilissimæ chalybeæ immergantur, quot solvi poterint, eæ præsertim deligi debent, quæ ex optimo chalybe confectæ sint, & facile frangantur; circa finem solutionis duplum olei olivarum affundatur, & liquor hujusmodi frigido loco reponatur, donec inspissetur, & balsami formam suscipiat; abluitur tunc ipsum aqua communi, quod pluries fieri juvat; cooperiuntur ipso pulvinorum ope cancri vegetiores fungi, qui si copiosiores videantur balsamum non ablutum adhiberi poterit, ut validius agat; sed pluries est abluendum, cum cancer minus sæviet.

7. Sub topicorum usu, haud negligi oportet optimum regimen, quod supra pro cancro occulto præscripsimus, interna rimedia exhibendo, quæ ibidem *articulo primo* proposuimus;

8. Tutior methodus, qua diri cruciatus in cancro compescentur, opii usus videtur; quod in substantia, aut a sordibus repurgatum adhibetur *laudanum* dictum; verum etiam sub liquoris forma paratum, ut in guttis anodynis *codicis Parisiensis*. Cum grandiores doses horum remediorum exhiberi debeant, prudentis erit, illas subdividere, alteram dosim repetendo, postquam certiores facti simus de prioris effectu: verior hæc est ratio remedium hoc exhibendi, quo abutendum non est.

9. Non modo opium in his circumstantiis intus exhibetur, sed etiam extrinsecus applicatur; quare tinctura anodyna topicis liquidis, & laudanum pulverizatum topicis solidis additur; quandoque etiam emplastra ex simplici laudano confecta in cancro aperto dolentibus partibus applicantur; at augeri debet opij ita adhibiti actio, ut imminuatur dosis illius, qui interius sumitur.

10. Ma-

10. Magni momenti erit sanguinis jacturas intercipere, quæ frequenter in apertis cancris occurrunt; plerumque pulvini aqua aluminosa imbuti sufficere solent; ceteroquin aperti vasis orificio aluminis, aut vitrioli fragmentum applicari poterit, aut frustulum agarici quercus, quo utiliter in hoc casu chirurgi uti solent.

ANIMADVERSIONES

Circa Theoriam cancri in hoc capite propositam.

I. Expansio, sive evolutio, quæ in materia scirrhosa gradatim fit, quando in cancrum degenerat, effectus est elasticitatis hujusce materiæ, quæ nimis comprimitur. Hac enim de causa spongia, aut crinuum manipulus compressus dilatatur, aut extenditur cessante, vel imminuente pressione.

II. Hæc elaterij vis communis est omnibus pene corporibus, evidenter tamen in nonnullis apparet, quæ declarare possunt, quidquid circa cancrum acturi erimus; ea enim de causa pariter lacrymæ batavæ franguntur si caudæ apex disrumpatur, aut superficies ad certam profunditatem incidatur.

III. Alterum exemplum minus vehemens hujus elaterij suppeditat fructus *momordicæ*, sive *pomi mirabilis*; dum maturus est, formam, & figuram suam conservat, modo integer perstet, at si per quam exiguam scissuram quis cultro, aut alia ratione in ipsum inducat, apertura sponte dilatatur, & fructus aperitur sensibiliter, usque dum omnis revolvatur.

IV. Nihil obest, quod cancrosæ massæ idem eveniat, ac momordicæ pomis, oculis contingere observatur. En vobis quid sufficiat ad explicanda cancri phenomena, absque quo confugiamus ad humorem acrem corrodentemque, cujus existentia dubia valde est; etenim qua ex parte de repente in massam scirrhosam, quæ in cancrum degenerare incipit, humorem hujusmodi acerrimum derivare poterit, præsertim cum superioribus diebus, dum materies scirrhosa tantummodo videbatur, nullum indicium acrimoniæ apparuerit?

V. Alias cum adhuc communem sententiam amplectebar, de qua tamen aliquantulum etiam dubitabam, experientiam institui, quæ rem non parum mihi explanavit.

Mammam sumpsi cancro affectam, ex corpore femineo jam amputatam, pondere septem librarum, posteaquam in plura fragmenta ipsam dissecui, per balneum arenæ distillationi eam subjeci, diligenterque collegi principia, quæ distillatio suppeditaverat, æque ac sal fixum a capite mortuo vulgari ratione desumptum; deinceps tantundem sumpsi carnium bovis & æquali labore cruciavi, principia omnia a distillatione derivata congerendo; comparavi invicem hæc varia principia, salia præsertim tum volatilia, tum fixa, quantitas æqualis pene erat, qualitas una sub multiplici tentamine videbatur, vel hæc principia adhiberentur in metallis præcipitandis, menstruis acidis solutis, vel in effervescentiis cum acidis excitandis, vel in tincturis resinosis extrahendis, vel in syrupi violacei coloribus permutandis, vel tandem in ipsis apice linguę degustandis. Ex his concluditur humorem acrem, & erodentem cancrorum hypothesim redolere; quare necessum esse horum tumorum originem alia ratione explicare, ut nos ruditer coacti sumus.

CAPUT TERTIUM.

De Gangliis sive Nodis.

Descriptio.

I. GAnglia Graecorum γαγγλία, sive *nodi* Latinorum tumores scirrhosi sunt, indolentes, sine calore, & rubore, qui tendines infestant, ligamenta, tunicas membranaceas, atque periostium, ideoque pro variis, quas afficiunt, partibus, quattuor species complectuntur.

II. Nodi sive Ganglia interdum mobilitate gaudent, saltem lateraliter, quandoque firmiter adhaerent; nodi tamen tendinum, ligamentorum membranarumque mobilitate jugiter pollent, saltem antequam grandiores fiant, nisi periostium infestent, quia tunc mobilitate orbantur.

III. Nodi aut Ganglia unum constituunt tumoris genus, sed ganglia appellantur, cum parva sunt, & rotunda; nodi vero cum valde increscunt.

IV. Habentur hujusmodi tumores a magnitudine granorum miliaceorum, ad magnitudinem ovi columbini.

Causae.

Ganglia, & Nodi a lymphae nutritiae spissitudine veniunt, quae in tendinibus, membranis, ligamentis, & periostiis conglomeratur, & inspissatur: idcirco prima Gangliorum omnium, & nodorum causa est hujus lymphae viscositas, aut ex causis communibus dependeat, aut a fomite extraneo cum ipsa commixto procedat, ut in lue celtica, scorbuto, & strumis evenit; quare habentur nodi *simplices*, *venerei*, *scorbutici*, *strumosi* &c.

Sed necessariae sunt causae particulares, quae causam generalem dirigant, ut hunc, vel illum tendinem, aut hanc, vel illam tendinis partem aggrediatur: hujusmodi vero singulares causae plures esse possunt.

1. Aliquis ictus, qui tendinem, ligamentum, membranam &c. compresserit, quod lymphae depositionem causat.

2. Aliqua nimia extensio, aut distractio ab aliquo violenti conatu producta, aut aliqua contorsione, quae eundem effectum producit.

3. Admotio unguenti, sive emplastri adstringentis, quod lympham in parte affecta detineat.

Symptomata.

1. In nodis, & gangliis neque rubor, neque calor observatur, quia circulatio sanguinis non intercipitur.

2. Color cutis non mutatur, quia nodi cuti non adhaerent, nullamque alterationem inducunt.

3. Dolor modicus est in gangliis, aut nodis, etiam cum premantur, nam eorum durities nervos ab omni distractione defendit.

4. Resistentia maxima est, quia lympha in his partibus valde indurescit; resistentia tamen hujusmodi inaequalis est, quia lymphae inspissatio in omnibus nodis eodem spissitudinis gradu non pollet.

5. Motus illius partis, quae ganglio afficitur, difficilius perficitur, quando mor-

morbus supra tendinem, aut articulationis ligamentum sedem habeat; articulorum motus tamen subsistit, quando nodus membranam, aut periostium lędat.

6. Nodi mobiles sunt, alii immobiles: mobiles cum parvi sint, & mobilibus partibus adhærent; immobiles quando immobilibus partibus inhærent, quantumvis exigui appareant.

Diagnosis.

1. Nodus mobilis facile cognosci potest, neque confunditur cum lupa incipienti, a qua ob majorem duritiem distinguitur.

2. Nodus fixus interdum confundi posset cum exostosi, quando periostio adhæret; facile tamen distinguitur, quia minus durus, magisque indolens exostosi est.

3. Sufficit cognoscere corporis humani fabricam, ut pars nodo affecta innotescat.

4. Maxime nostrum inter est, anvirus venereum, scorbuticum, aut strumosum nodum faciat, quod cognoscitur per signa horum morborum propria.

Prognosis.

1. Nodi tumores sunt periculosi minus, parumque incommodi, qui sibi relinqui possunt.

2. Frequenter etiam pro valetudinis difficultate vix curationem tentare juvat, cum raro resolvi queant, neque extirpari debent cum tendinibus, ligamentis, aut ossibus inhęreant.

Curatio.

Nodorum curatio eo collimat, ut per viam resolutionis ipsi tollantur, quod tamen difficile, & impossibile quandoque videtur, ut nuper admonuimus.

Ad hanc tamen resolutionem promovendam adhiberi solent,

I. Emplastra de Vigo cum quadruplicato mercurio, de diabotano, diachylon cum gummi, tum sapo, sulphur Rulandi, aut emplastrum de cicuta &c.

II. Cataplasmata confecta ex pulpa radicum bryoniæ, cucumeris silvestris, cyclaminis, cicutæ, hyoscyami &c.

III. Gummi resolventia, ut gummi ammoniacum, sagapenum, & bdelium cum aceto emollita, & supra corium extensa.

IV. Frictiones mercuriales modicis dosibus supra nodos pluries iteratæ.

V. Suffumigia cum aceto supra candentes silices projecto instituta, vel cum cynnabari, & storace prunis ardentibus projectis, fumum ducendo tubi ope supra affectam partem.

VI. Aquæ thermales affusæ, aut sordes thermarum parti affectæ appositæ.

VII. Plumbea lamina mercurio imbuta, & nodo continenter applicata.

Maximum tamen emolumentum affert nodum jugiter contrectari, ut contenta materies attenuetur, & ad resolutionem disponatur.

CAPUT QUARTUM.

De Verrucis.

Descriptio, & Differentiæ.

1. VErrucæ exigui tumores sunt, sive prominentiæ cutis duræ, scirrhosę, ac proinde sine calore, dolore, aut rubore.

2. Plerumque se offerunt per apicem in plura filamenta divisæ, quæ repræsentant pennicillum, quandoque etiam rotundæ, & levigatæ apparent.

3. Distinguuntur 1. in *breves*, & *latas* a Grçcis Μυρμηκία appellatas, & a Latinis *verrucas sessiles*, & in verrucas *longas*, *exilesque* a Græcis Α'κροχορδόνες dictas, a Latinis *verrucas pensiles*; 2. in verrucas minores, quas *Thymos*, sive Θύμοι appellant, & in verrucas majores, quas *fici*, qui apud Grçcos Σύκοι dicuntur.

3. Tandem in verrucas simplices callosas inflammatas, aut carcinomatosas pro earum circumstantiis diversis.

Causæ.

Cognita cutis fabrica ostendit verrucas efformari a productione papillarum nervearum ipsius cutis.

Hæ papillæ producuntur, & ingrandescunt, quando exuberantem nutritionem recipiunt, quod frequenter evenit, quando circa eorum basim obstructionem glandularum miliarium propinquarum, aut in membrana reticulari circumjacientium comprimantur, quia hæc compressio lymphæ nutrientis reditum impedit.

Obstructiones hujusmodi glandularum, nempe miliarium, & membranæ reticularis a duplici causa originem ducunt.

I. Prior *generalis* est, quæ sudorem, aut mucosum humorem inspissat; videlicet spissitudo ipsius sanguinis a prava diæta, pathematibus, melancholia, aut admixtione viri venerei producta.

II. Altera *specialis* est, quæ adversus partem affectam agit, videlicet,

1. Sordities, & salsedo, quibus nonnulli inficiuntur; hac de causa infantes, bajuli, aut laboriosi homines sunt crebro his affectibus obnoxii.

2. Acrimonia humorum quipartem humefaciunt, ubi verrucæ insurgunt; quare frequenter observantur circa anum, aut muliebria.

Symptomata.

1. Verrucæ sessiles sunt, sive breves, & latæ, quando plures papillæ cutis invicem contingentes afficiuntur, quod latitudinem verrucarum facit, sed cum una modice hæ partes pervertantur, ita productio modica apparet.

2. Contra vero pensiles sunt, videlicet longę, & constrictæ, quando papillarum perpaucæ afficiuntur, quamvis sæviori modo id contingat.

3. Inflammatione ipsæ plerumque carent, inflammantur tamen quandoque, modo circa basim distrahantur, comburanturque.

4. In hoc postremo casu molles, & flexibiles apparent, duræ vero in priori casu, quandoquę tamen callosæ fiunt, dum continuo frigori exponuntur.

5. Car-

5. Carcinomatosæ etiam fiunt, si contenta materies rarescat, ut in cancro ostendimus.

Diagnosis.

Quisque facile poterit verrucas cognoscere, earumque varias species distinguere.

Prognosis.

Verrucæ magis incommodæ, quam periculosæ sunt, modo in cancrum non degenerent, quod raro plerumque evenit.

Curatio.

Antequam verrucarum curatio instituatur, ægrum præparare oportet, si multæ verrucæ appareant; nulla tamen præparatione indigent, si paucæ sint.

Verrucæ extirpari solent, quod quadrupla ratione fit; vinculo, igne, sectione, aut exsiccatione.

I. Deligantur crinibus, aut filis sericis cera indutis, sed hoc dolorem affert, ac nisi in verrucis oblongis convenit, neque tamen omnino extirpantur quin iterum reproducantur.

II. Comburuntur ipsas perfodiendo candenti acu, aut ferro ignito tangendo, prius propinquis partibus defensis; verum etiam adhiberi solet perforatus nucum cortex, ubi verruca perbelle aptatur, & intromisso sulphure accenso ipsa destruitur; sed variæ hujusmodi methodi dolorem faciunt, partes inflammant, & frequenter sæviorem morbum pariunt.

III. Rescinduntur etiam cultro, aut forcipe, sed nisi circa basim scarificentur, facile reproducuntur, verum a profunda incisione maxima, & deformis oritur cicatrix.

IV. Potior igitur methodus videtur exsiccatio: exsiccantia remedia tres classes complectuntur, juxta varium illorum virtutis gradum.

1. Debiliora sunt succus foliorum, coronæ solis, lac tithymali, aut ficuum silvestrium, succus chelidonii, &c. quibus verrucæ pluries in die imbibuntur, folia scrophulariæ, chelidonii, salicis, *verrucariæ*, sabinæ, portulacæ &c. quorum pulmentum verrucis applicatur.

2. Media sunt sal marinum, aceto, aut succo raphani solutum, idem limacibus consperſum, ut erumpente lympha solvatur, sal ammoniacum aqua communi solutum, quibus liquoribus verruca imbibitur, donec sponte decidat; simulque adhiberi potest sub emplastri forma sal ammoniacum tritum cum pauco galbano.

3. Validiora tamen sunt escharotica, quæ diligentius adhiberi debent; hujusmodi sunt lapis infernalis, causticus, præcipitatum rubrum, spiritus nitri, oleumque vitrioli, quibus leviter verruca tangitur.

4. Verruca ita exsiccata eradicatur, & post casum exiguum ulcus superest, quod, vel sponte cicatrizatur, vel pauco diapalma convalescit.

5. Ut impediatur verrucarum reproductio, sufficit manus frequenter abluere; at si uberiores fuerint, decoctiones viperarum, & diaphoreticæ necessariæ erunt ut sudor, & mucosus humor attenuetur, ac proinde exiguæ cutis obstructiones tollantur, quæ verrucis, aut poris occasionem præbent.

CAPUT QUINTUM.

De Clavis Pedum.

Descriptio.

I. CLavi tumores exigui, scirrhosi sunt qui digitos pedum infestant, & plantam quandoque.

II. Modo cutem tantum deturpant, & *cutanei* dicuntur; modo intimius ad periostium usque pertingunt, & *profundi sunt*.

III. Indoles clavorum multipliciter variat: sunt enim indolentes, aut dolentes, inflammati, putrefacti, carcinomatosi, gangrænosi pro variis circumstantiis.

IV. Apud Medicos Græcos de hoc morbo neque verbum est, sed Celsus (a) & Plinius (b) naturæ Historicus de his loquentes *clavos pedum* appellant. Hanc calamitatem pene ignorabant Veteres latioris solearum formæ ergo. Vocabulum *cor*, quod apud Gallos *clavos* significat, videtur derivasse a *cornu* verbo latino impuro.

Causæ.

Clavi sive apud Italos *calli* a compressione derivant solearum circa digitos, aut plantam pedum; hoc comprobatur ex eo quod,

1. Illi, qui nudis pedibus deambulant, nunquam clavis laborant; itemque ii, qui latis utuntur calceamentis.

2. Insuper manus, quamvis earum digiti simili conflentur ratione, ac illi pedum, nunquam tamen clavis deturpantur.

Solearum compressio cutim, atque carnem indurat, ut paulatim callosam faciat, & verum tandem clavum producat.

Hic clavus, quamvis exiguus videatur, tamen a soleis pressus, præsertim si tendinibus, aut periostio adhæreat, propinquas partes ita comprimit, ut vivum dolorem pariat.

Clavi cutim tantummodo infestant, quando compressio exigua sit; sed plerumque ad tendines usque extenduntur, aut periostium, quia induratio sensim, sensimque eo usque pertingit.

Symptomata.

1. Clavi plus, minusve dolentes apparent, prout sensibiliores partes aggrediuntur.

2. Ipsi, seu melius dicam, partes, quibus adhærent, facile inflammantur, si carnibus proximius, quam par est, abscindantur, nimis premantur, aut præpostere caustica vehementiora adhibeantur.

3. Haud infrequenter clavi inflammantur, in suppurationem vergunt, & perexiguum abscessum gignunt.

4. Quandoque etiam in gangrenam, aut in cancrum convertuntur, præcipue cum eorum radices in partibus tendinosis insitæ fuerint.

Dia-

(a) De re medica, *lib.* 5. *cap.* 28.
(b) Histor. Natur. *lib.* 21. *cap.* 19. & *alibi*.

Diagnosis.

Nihil facilius eſt, quam exiſtentiam, qualitatem, & conditionem clavorum recognoſcere.

Prognoſis.

Clavi magis incommodi, quam periculoſi ſunt, nihilo tamen minus quandoque ipſi dum ſecantur, aut cauſticis comburuntur, gangrenam, cancrum, & mortem ipſam inducunt. Quod tamen in clavis tendinum, aut perioſtii tantummodo evenire poterit.

Curatio.

1. Revera clavi cutanei omnino abradi poſſunt; at res alio ſe vertit eorum reſpectu, qui tendinibus, aut perioſtio adhærent.
2. Neque ipſi cutanei ſunt incidendi, modo ſponte pene decidentes ſe offerant.
3. Quare caveto ab extirpatione clavorum ad vivam carnem uſque, tum ab applicatione cauſticorum, ac potiſſimum ſublimati corroſivi, arſenici, olei vitrioli &c.
4. Etenim, qui clavis laborant, ſat erit ſoleas latas ferre, eaſque corio *marochino* dicto confectas potius quam vitulino minus flexibili.
5. Poterunt ægri frequenter pedes immergere in aquam tepentem, aut decoctionem radicum althææ, ut clavi emolliantur.
6. Tunc eorum ſummitates leviter ſcindi poterunt; qua de cauſa ſcalpelli ſpecies adhiberi ſolet.
7. Deinceps applicari poterit folium hederæ, portulacæ, aut ſedi quotidie mane.
8. Pariter adhiberi poterunt folia chelidonii, hederæ terreſtris, aut tithymali contrita, quæ pluries clavis admoventur.
9. Tandem, quod validius eſt, galbanum uſuvenit, aut gummi ammoniacum, quæ interdum aceto emolliuntur, & ſub emplaſtri forma parti affectæ applicantur.

LIBER QUINTUS

De Tumoribus, qui ad nullam quattuor præcedentium classium pertinere possunt, & quintam sejunctim classem constituunt.

Reliqua sunt quinque tumorum genera explicatione indiga, strumæ nempe, tumores cistici, tumores gummosi, *sarcomata*, sive tumores adiposi, & emphysema.

Quattuor priora genera neque ad phlegmone, neque ad erysipelas, neque ad oedema pertinent, quorum nullum signum præbent, neque Medicorum ullus ad hujusmodi tumores ipsa retulit: æmulantur valde scirrhum ex eo, quod dolore careant, naturalem colorem cutis conservent, calorem nullum excitent, & paulatim per viam congestionis efformentur. Ex eo Auctores nonnulli crediderunt quattuor illa tumorum genera scirrhis esse adscribenda; sed carent resistentia, & duritie scirrhosâ, a quibus essentia scirrhi dependet.

Quoad postremum tumorum genus pertinet, videlicet emphysema nullam cum phlegmone, aut scirrho similitudinem ostendit, potius cum oedemate collimat ob partis affectæ mollitiem, colorem, & calorem naturalem, quem servat; in hoc tamen differt, quod in emphysemate partes suum elaterium conservent, simulque compressæ prompte restituantur; in oedemate vero nulla, vel exigua habeatur elasticitas, & a pressione fovea persistat.

Quare ne confundantur tumores, qui revera distincti natura sunt, specialem librum instituere credidimus, aut quintam classem, ubi ostendemus nullum eorum essentialiter ad quattuor præcedentes classes pertinere.

CAPUT PRIMUM.

De Strumis.

Descriptio.

I. Strumæ sunt tumores cutis circumscripti, sine dolore, & calore, mobiles plerumque, levigati, aggregati, parum tamen resistentes, digitorum pressioni cedentes, & facile sese restituentes.

II. Hi tumores in iis partibus tantum oriuntur, ubi glandulæ conglobatæ, aut lymphaticæ inseruntur, seu melius dicam, a glandulis ipsis lymphaticis, & conglobatis nascuntur, quæ ob lymphæ stagnationem intumescunt, ingrandescunt, atque in strumas convertuntur.

III. Strumæ se manifestant in paucis glandulis; deinceps paulatim propinquas aggrediuntur, & ita sibi neglectis aggeriem unicam efformant, racemorum more.

IV. In strumis glandulæ lymphaticæ duplum, triplum, aut quadruplum volumen adipiscuntur; at cum ipsæ etiam in statu naturali diversam magnitudinem habeant, ita & strumarum volumen variat.

V. Strumæ obtegentem cutem non pervertunt tum caloris, cum coloris respectu, modo non inflammentur, quod interdum evenit.

VI. Medici Græci strumas appellarunt χοιράδες, nempe *porcinas* (adde) *glandulas* ἀπὸ τῦ χοίρυ, a *porco* Latini eadem de causa *scrofulas* dixerunt a *scrofa*, quia putarunt hæc animalia hoc morbo facile laborare; Latini pariter *strumas* (a) etiam ipsas vocarunt, sed hujusmodi nomenclationes adhuc incertæ sunt.

Differentiæ.

I. Strumæ aliæ sunt *internæ*, *aliæ externæ*, prout locantur glandulæ affectæ. Quando ipsæ mesenterium occupant, mesentericam febrim producunt; quando pulmonem inficiunt, phthisim tuberculosam gignunt; quando thymum hydropem pectoris faciunt; quando plexum corohideum cerebri, Hydrocephalum inducunt.

Strumæ externæ, inguina, axillas, & collum potissimum deturpant, interdum etiam articulos ob congestas ibi lymphaticas glandulas.

II. Strumæ tum internæ, cum externæ distingui solent in *hereditarias* a parentibus derivatas ob virus sanguini communicatum; tum in *accidentales*, aut *adventitias*, quæ a nutrice interdum originem trahunt, vel effectus sunt pravi regiminis, aut præcedentium morborum, qui sanguinem, atque lympham perverterint.

III. Strumæ insuper aliæ *simplices* sunt, ubi glandulæ tumefactæ molles non nihil apparent, nullamque caloris, aut coloris mutationem patiuntur.

Aliæ *Scirrhosæ* sunt, quæ magis resistunt, quamvis externum cutis habitum non lædant.

Strumæ *inflammatæ* etiam videntur, cum earum rubor, calor, aut dolor inflammationem prænuntiant.

Ipsæ in *abscessum* vergunt, modo putrescant, & apostemam faciant.

Exulceratæ etiam apparent, quando abscessus aperitur, & effluente pure cavitas purulenta, aut verum ulcus superfit.

Quandoque tandem strumæ *carcinomatosæ* fiunt, postquam scirrhosæ factæ fuerint.

IV. Tandem præter glandulas strumosus fomes ossa interdum aggreditur, & exostoses, hyperostoses, anchyloses, & cariem producunt. Sed ad hunc tractatum non pertinent.

Causæ.

Non repetemus hic quod superius diximus tum circa leges circulationis lymphæ *lib.* 1. *cap.* 10. cum circa naturam causarum hujus circulationis *lib.* 3. *cap.* 1. Sat erit nunc observare, lymphæ circulum multiplici ratione retardari, atque animadvertere causas hujus circulationis debiles esse; idcirco segniorem fieri lymphæ circulum, quod respondet finibus, quibus lympha destinata est, ut supra admonuimus; ex hoc enim lymphæ stagnationes procedunt, atque oedemata, quæ necessario consequuntur, glandularum conglobatarum,

(a) Verbum *strumæ* ab illo *struo struere*, æque ac *strues* derivat, & proprie *congeriem*, sive *congestionem* significat. Videtur apud Celsum *de re medica lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 7. hoc verbnm *strumæ* apud Romanos significasse *Botium* potius, quam *scrofulas*.

aut lymphaticarum turgentiam, ac proinde bubones, parotides, ac strumæ obviæ fiunt.

Nihilo tamen minus, quantumvis lympha dispośita videatur ad obstruendas glandulas atque supradictos tumores producendos, nunquam tamen perfecte subsidet, nisi ex concursu duplicis causæ, modo *generalis*, modo *particularis*.

I. Causa generalis, sive universalis, quæ in lymphaticis glandulis lympham detinet, est spissitudo ejusdem, quæ oritur,

1. A spissitudine ipsa sanguinis, a pravis alimentis nata, aut vitiata aquarum indole, quas hauriunt ægri, ab inordinato vitæ regimine in adultis, & in infantibus a lactis vitio.

2. Ab admixtione etiam sanguinis spissitudo oritur viri venerei per remedia imperfecte subacti; ex hoc strumæ infantibus, & illis, qui imperfecte curati fuerunt, strumæ frequentes sunt.

3. A præsentia specialis fomitis, quem scrofulosum appellant, quem a parentibus, aut nutricibus in infantibus transductum, epidemice etiam sanis communicari facile est.

Hoc postremum virus venereo mitius, minusque corrodens, attamen humores æqualiter figit, lymphæ saltem respectu; nam adversus hunc humorem potissimum agit.

II. Sed cum hujusmodi causæ generaliores sint, peculiaribus, localibus, atque accidentalibus indigæ sunt, ut quasdam glandulas speciatim irruant, peculiares vero hujusmodi causæ innumeræ sunt.

1. Frigus extrinsecum, quod ultimum gradum spissitudinis lymphæ conciliat, ex quo strumæ externæ frequentiores sunt, quam internæ, & inter externas illæ colli magis obviæ.

2. Puris moleculæ, quas lympha in aliquas glandulas affert, ideoque mammarum affectiones, tumores axillarum producunt, ulcera crurum, glandulas inguinales tumefaciunt, capitis affectus, colli strumas pariunt.

3. Qualitas humoris, qui in nonnullas glandulas influit. Hac enim de causa chylus spissus, acidus, atque imperfecte subactus glandulas mesenterii, aut illas pulmonum inflat.

4. Ictus, atque collisiones, quæ debilitant glandularum elaterium, quam ictus in collum inflictus hujus partis glandulas tumefacit, mammarum compressio in ipsis tumorem facit, casus caput lædens, infartum inducit in plexu chorydeo cerebri.

5. Tandem conformatio naturalis glandularum, quarum aliæ magis, aliæ minus firmæ apparent, ex quo alterutræ facilius obstruuntur.

Si invicem comparentur, quæ nunc de strumis dicuntur cum his, quæ de bubonibus superius dicta sunt *lib.* I. *cap.* 10. apparebit ambos hujusmodi tumores maximam, quoad naturam, & sedem affinitatem invicem ostendere, nihilo tamen minus in pluribus differunt.

I. Bubones celeriter fiunt per viam *fluxionis*; strumæ contra segniter procedunt per viam *congestionis*, quod oritur a spissitudine lymphæ, quæ major est in bubonibus, quam in strumis; ideoque in illis promptiorem effectum pariunt.

II. Bubones semper inflammationem comitem habent: strumæ nunquam ipsa afficiuntur, in bubonibus glandularum infartus celeris est; ut vasa sanguinea prompte comprimantur, antequam cruor per lateralia vasa tramitem sibi parare valeat; in strumis contra glandularum intumescentia sensim fit, vasaque

quæ sanguinea blande comprimuntur, ideoque sanguis facile per lateralia vasa viam sibi pandere valet, antequam inflammatio superveniat.

III. In bubonibus rubor, calor, atque dolor habentur, quæ sunt symptomata necessaria inflammationis, idcirco nil mirum, si in bubonibus ea reperiantur, ubi inflammatio essentialis est; at hujusmodi symptomata in strumis absunt, quia in ipsis nulla est inflammatio.

IV. Bubones crebro, & facile per resolutionem dissipantur, quod difficulter admodum in strumis obtinetur.

Hæc differentia ab eo procedit, quia lympha in bubonibus nondum cunctatione induruerit, at valide quassatur, attenuatur, atque resolvitur a pulsantibus arteriis, quarum actio augetur in ratione inflammationis. Sed ex converso resolutio difficulter assequi debet in strumis, quia lympha, jam diu detenta, & valde indurata, non est arteriarum actioni obnoxia, neque inflammationi quæ resolutionem ejusdem foveant.

V. Bubones, qui per resolutionem non evanescunt, plerumque in suppurationem vergunt, sed strumæ æquali labore in suppurationem, ac in resolutionem ducuntur; lympha bubonum minus spissa est, quam in strumis, atque magis arteriarum actioni exposita, ut nisi resolvatur suppurari debeat, quod nunquam evenit in lympha strumarum contraria de causa.

VI. Bubones perfecte convalescunt, neque amplius apparent; strumæ contra difficulter, raro abeunt, & facile revertuntur, quod oriri videtur in illis a vitio lymphæ accidentali, & transitorio, quod nisi exiguam lymphæ partem pervertit; in strumis vero omnis sanguinis massa infici solet per intimum ipsi venenum remixtum, quod difficulter destruitur, aut corrigitur, neque ullum agnoscit certum antidotum.

Symptomata.

I. In strumis infartus glandularum affectarum primo insensibilis est, verum lente progreditur, quamvis non una semper lenitate; tandem dum morbus recognoscitur, plerumque jam pridem inceptus erat.

II. Quandoque infartus uno, eodemque tempore in pluribus contiguis glandulis fit, quæ tandem grandiores factæ, racemum sive catenam strumarum efformant; quandoque unicam glandulam afficit, quæ comprimendo propinquas glandulas lymphæ cursum retardat, & per successionem ipsas in strumas convertit.

III. Glandulæ strumosæ indurescunt magis, atque resistunt, quam in statu naturali, minus tamen, quam in scirrho; idcirco ut molles tumores haberi possunt.

IV. Glandulæ strumosæ dolore carent, quia ex *una* parte infartus, qui lente fit, nullam sensibilem nervorum distractionem inducit; ex *altera* vero nulla habetur arteriarum secutio, aut inflammatio, quæ nervos lacessat.

V. Neque calor, neque rubor strumas comitantur, quia strumæ suapte natura, ut jam diximus, inflammationis expertes sunt.

VI. Quandoque tamen per accidens strumæ etiam infarciuntur, sed hoc occasione ictuum, validæ compressionis, aut frequentis contrectationis evenire solet; item dum emplastrum, aut cataplasma acre nimis, resolvens aut calefaciens applicatur; verum etiam dum intus sumuntur remedia, nimis calida, aut efficacia.

VII. Strumæ inflammatæ in suppurationem facile vergunt a repetita actione

arteriarum, quæ validius pulsando attenuant, solvuntque lympham, atque in pus convertuntur.

VIII. Quandoque etiam strumæ duræ, resistentes, & scirrhosæ fiunt, quando lympha indurescit propter dissipationem serositatis, quod evenit, quando perperam remedia applicantur calida, & resolventia, vel intus sudorifera aut diuretica validiora exhibentur, vel quando febris lenta superveniat, a remediis excitata, aut regiminis errore.

IX. Strumæ, modo scirrhosæ sint, carcinomatosæ fieri possunt, quando æger causis subjiciatur, quæ lympham induratam, atque in strumis compactam rarefacere, atque volvere valeant.

X. Inflammatio, abscessus, scirrhus, atque cancer externas strumas potissimum infestat, quæ ictibus, aut contusionibus sunt frequenter obnoxia, sæpe manibus contrectantur, vel quibus nocua remedia applicantur: internæ vero strumæ raro his incommodis subjiciuntur.

XI. Strumæ in femellis sponte plerumque evanescunt, modo menstrua appareant, nam tunc sanguis depuratur, & strumosus fomes expellitur, verum pubertatis tempore vis cordis expultrix intenditur, ac proinde circuitus sanguinis, atque lymphæ acceleratur, eorumque vitia proinde corriguntur. Hac pariter de causa infantes circa pubertatem a strumis convalescunt.

XII. Attamen fateri oportet apparenter sæpe strumas abire levique de causa ipsas produci; quod pariter intelligendum est de his, quæ per remedia profligantur. Hoc confirmat virus strumosum difficillime destrui, aut corrigi posse, sed tantum idonea medendi ratione quantitatem imminui, aut actionem compesci, quod calamitatem imminuit, sed non tollit.

XIII. Tandem animadvertendum est, id in strumis evenire ac in cancro; nam ipsis semel apertis grandiores progressus faciunt, quia contenta materies tunc facilius expanditur, exigua itaque strumarum apertura breviter dilatatur, margines inflantur, indurescunt, forasque reflectuntur, uno verbo carnes spongiosæ, ut in cancro aperto mitiori tamen modo pullulant.

Diagnosis.

I. Strumæ externæ facile cognoscuntur per signa his propria; nam sunt tumores glandularum conglobatarum, ac proinde circumscripti, efformantur, atque augentur paullatim per viam congestionis, inflammatione, dolore, calore carent, compressioni cedunt, resolutioni, & suppurationi obsistunt: initio mobiles sub cute apparent, plerumque tandem in racemum congesti se offerunt.

Ex his facile itaque distinguuntur a tumoribus scirrhosis, qui duri sunt, resistentes, incompressibiles, tum a bubonibus ipsis, quamvis affines videantur, quia bubones cito, & per viam fluxionis coagmentantur, inflammationem, calorem, dolorem, & ruborem habent socios, atque facile in resolutionem, aut suppurationem desinunt, quod strumis minime convenit.

II. Strumæ internæ difficulter magis deteguntur, & conjecturis tantum fidere fas est, quæ fulciuntur præsentia strumarum externarum internas prænunciantium; suspicionem pariter inducit inflatio regionis umbilicalis in strumis mesenterii; tandem ægritudinum indoles, ut languor in infantibus abscondita causa, qui recte strumis internis tribui potest.

III. De strumis existentia semel certiores facti, species varias facile distinguere

guere poterimus, quia visu, & tactu judicabimus, si simplices, scirrhosæ, carcinomatosæ, inflammatæ, abscessatæ, exulceratæ sint nec ne.

IV. Quoad cognitionem attinet causarum strumarum peculiarium, facile deduci poterunt a conditione parentum, agnatorum, aut nutricum ipsius ægri, neve ipsæ hæreditariæ sint; inquirendo simul quale fuerit ægri regimen, & varios morbos, quibus fuerit obnoxius, quæ tamen investigare in prognosi, vel curatione vix necessaria videntur.

Prognosis.

1. Strumæ morbum constituunt pertinacem, curatu difficilem, diutinum, rebellem, sed raro letalem.

2. Attamen si internæ sint, letales morbos inducere possunt, præcipue cum in suppurationem vergant; externæ vero mortem inferre poterunt, si in cancrum degenerent.

3. Generice strumæ gentilitiæ difficilius curantur quam accidentales, quia virus strumosum per sobolem propagatum intimius sanguini, & lymphæ permiscetur, atque difficilius penitus destruitur, ut nihil ejusdem supersit.

4. Prudentis est in infantibus, modo occasio non urgeat, palliativam methodum, vel ad summum mitiora remedia in strumis exhibere, ut incrementum, sed potissimum suppuratio compescatur, pubertatem expectando, quæ tum in mulieribus, cum in adolescentibus morbum plerumque tollit, potius quam vehementioribus remediis ægros contorquere, quæ morbum intendunt, suppurationem inducunt, vel quod deterius est, febrem lentam, & consumptionem pariunt.

5. Strumæ in infantibus ante pubertatis tempus facilius curantur, quam in adultis, quia eorum lympha dulcior est.

6. Strumæ suppuratæ cicatrices relinquunt admodum deformes, cavas nempe, albas, & lævigatas.

Curatio.

Quattuor sunt strumarum stadia; 1. quando nondum inflammatæ apparent; 2. quando sub inflammatione suppurationem minantur; 3. quando in abscessum, aut ulcus desinunt; 4. quando scirrhosæ, aut carcinomatosæ fiunt.

I. Si nondum inflammatione laborant strumæ, resolutio idoneis est fovenda remediis, quod sensim, sensimque obtineri potest. Hac de causa

1. Adhiberi poterunt remedia generalia, nempe venæ sectio, purgantia, humectantia, dulcificantia, quibus curatio erit ineunda.

2. Deinceps per gradus veniunt attenuantia, aperientia, & solventia, quorum efficaciora sunt.

Martialia: nempe crocus martis aperiens, sal martis Riverii, tinctura martis, tartarum martiale solubile, & terra foliata tartari.

Antimonialia, diaphoretica: ut diaphoreticum minerale, bezoardicum minerale, & antihecticum Poteri &c.

Mercurialia: scilicet aquila alba, panacea, & æthiops mineralis per triturationem, aut deflagrationem confectus.

Gummi ammoniacum, galbanum, & assa fœtida.

Partes animalium, videlicet pulvis millepedum, lacertorum viridium, Bufonum, & murium in furno exsiccatorum, & pulverizatorum.

Ex

Ex tribus, quatuorve horum pharmacorum pro libito selectorum, boli, opiata aut rotulæ efformantur, quæ idonea dosi exhibentur decoctum superbibendo vitulinum cum herbis refrigerantibus.

3. Addi potest aliquod sequentium remediorum, quæ adversus strumas magnopere commendantur, nullamque noxam inferre possunt; hujusmodi sunt pulvis spongiæ marinæ, neque lotæ, neque calcinatæ, pulvis radicis scrophulariæ.

Pulvis sive decoctio *Paronychiæ folio rutaceo sive sedi tridactilitis tectorum. Card. Bened.* Boyleus (a) asserit infusionem hujus plantæ in cervisia per aliquod tempus sumptam, strumas exulceratas etiam profligare.

4. Utiliter etiam adhiberi solent decoctiones ptysanæ, & jura sudorifera cum ligno guajaco, sassafras, radice chinæ, & sarsaparilla.

Hæc pharmaca sub pulveris, aut boli specie præscribi possunt.

5. Identidem sub eorum remediorum usu purgantia, solventia, & resinosa conveniunt, nempe scammonium, diagrydium, jalapa, turbith gummosum, vel si lubeat idonea dosi addi poterunt cuique bolo, aut opiato exhibendo; quandoque etiam in cacheticis confert, vomitum excitare cum tartaro emetico, convenienti dosi propinato.

6. Ambo sequentia remedia adversus strumas quasi specifica prædicantur.

Primum est pulvis solvens D. Rotrou, empiricus, qui hac de causa aliquam famam adeptus est: pulverem hunc ipse exhibet mane jejuno stomacho ab octo ad quindecim grana simplicia vel commixta æquali quantitate pulveris, quem ipse alchalinum vocat, & nil aliud est, quam pulvis testarum ovorum calcinatorum; sub hoc remedio cunctatur ægrum octavo die purgantibus pillulis repurgando, quas ipse alexiterias appellat, & fabrefacit cum pineolis indicis, postquam oleum expressum fuerit. Ipse pariter liquorem exhibet quem tincturam aurificam appellat. Circa hæc tractatum pervolvere oportet *de morbis venereis* editum apud *Cavallerium Parisiis* ubi horum remediorum præparatio, atque usus describuntur.

Alterum remedium, quod adversus strumas potissimum judicant, est potus aquarum *de Barrege*, aut earum balnea, atque embrocationes; fateor enim vidisse sub hujusmodi aquarum usu pluries pene desperatas strumas profligari: dolendum est, ipsas in extremitate regni sitas esse, ut parum conferre possint his, qui mediocris fortunæ sunt.

7. Si horum remediorum usus ægros calefaciat, aut perturbet nimis, diluentia, lac asininum, aut vaccinum exhiberi necessum erit, antequam solventium virtus stomachum, pulmonem, aut alia viscera lædat, vel sanguinem ita resolvat, ut consumptionem, aut hydropem faciat.

8. Juvat nullum extrinsecus admovere topicum, sed si ægri poscant ad summum sequentia adhiberi poterunt, videlicet linimenta ex oleo lacertorum, aut bufonum paucis guttis additis spiritus salis ammoniaci, viperæ, aut urinæ.

Emplastra confecta ex diachylo cum gummi, ex diabotano, tum emplastrum de ranis cum mercurio, aut de Vigo, de cicuta, sapone &c. ea emplastra cynnabari, etiam conspergi poterunt, ut virtus augeatur.

Cataplasmata ex pulpa radicum bryoniæ, cyclaminis, cucumeris silvestris, sub

(a) De utilitate Philosophiæ natural.

sub cinere excoctarum, eorum pulpacum oleo lumbricorum terrestrium, & oleo philosophorum admiscetur. Guido Cauliacus (a) magnopere laudat sequens cataplasma ita inscriptum.

℞. *Radicum Filicis, Asphodelorum; & si adderetur Ebulorum, bonum esset; coquantur in vino optimo, & pistando addatur modicum de sulfure vivo, & fiat Cataplasma.*

Tandem suffumigia ex karabe, aut cynnabari prunis projectis, tum ex aceto supra rubentes silices affuso usuveniunt.

II. Si ad curandas inflammatas strumas vocati erimus, vel si a topicorum usu ipsæ inflammentur, sequenti methodo erit procedendum.

1. Venam semel, vel bis secabis, item alvum movebis, deinceps diætam humectantem, & dulcificantem exhibebis in ratione pulsus, ętatis, atque virium ægri.

2. Strumis superimpones emplastrum mucilagineum, aut cataplasma confectum ex mica panis, lacte, aut orizis excoctis, ut inflammatio moderetur, atque profligetur.

3. Semel tamen suppuratione incepta topica nuper proposita necessaria erunt, emplastra potissimum, atque remedia maturantia, qualia videntur pulpæ acetosæ, altheæ, radicum liliorum, cum oleo liliorum, veteri fermento, cæpis, aut basilico subactæ.

4. In his remediis persistendum erit, usque dum glandula per suppurationem perfecte soluta appareat; tumor apertus est relinquendus, ne deformis cicatrix oriatur id tamen vix juvat, in strumis callositatum ergo, quæ sępe in strumis observantur; quare cultro aperiri debent, vel lapide caustico.

III. Strumis semel apertis, sequenti ratione pertractabuntur.

1. Postquam omnis contenta materies effluxerit, pars blande exprimi & spleniis repleri oportebit.

2. Hoc apparatu confecto, qui sponte decidit, pulvinis digestivo simplici imbutis cum tinctura myrrhæ, aut simplici myrrha, prout ulcus deterius videbitur, pars affecta erit obtegenda.

3. Ulcus cum decoctione hordei, mele rosato, aut decoctione scrophulariæ vel scoriarum croci metallorum abluenda erit, præsertim si fungosas carnes præbeat.

4. Imminuta suppuratione balsamum Arcei, aut viride ad ulcus detergendum, cicatrizandumque usuvenit.

5. Si callositates supersint, nisi solvantur, scarificatione, aut escharoticis destrui debebunt; attamen non omnes callositates prosequi debemus, melius erit fistulam relinquere, quam grandiorem aperturam, quæ nunquam occludatur.

6. Ut callositates destruantur, locum habent pulvis lapidis caustici, splenia de Vigo pręparata, Trochisci sublimati corrosivi, aut de minio, quorum descriptio sequenti capite reperietur relate ad extirpationem luparum; tamen vitari debent remedia arsenicalia, quæ nocua, & infausta sunt; nec momentum facere debent chirurgi nonnulli, qui ipsa frequenter adhibent, atque magnopere commendant.

IV. Tandem si strumæ scirrhosæ, aut carcinomatosæ sint, pertractari debent, ut scirrhi, & cancri, de quibus supra admonuimus.

CA-

(a) Tract. II. Doctrin. I. Cap. IV. *Capitul. adminicul. de nodis & scrofulis.*

CAPUT SECUNDUM.

De Tumoribus ciſticis aut Lupis.

Deſcriptio, & Differentiæ.

I. Quandoque ſub cute in univerſo pene corporis ambitu tumores circumſcripti efformantur, rotunda aut ovali figura donati, qui compreſſioni plus, minuſve cedunt plerumque cum fluctuatione.

II. Hi tumores quandoque immediate poſt cutim locantur, quandoque muſculorum interſtitia occupant, præſertim quando carnoſas partes, ſive corporis extremitates occupant; initio exigui apparent ad magnitudinem piſi, ſed paulatim ingrandeſcunt, donec deformes fiant.

III. Ipſi calore, & dolore carent, nullam naturalis coloris mutationem patiuntur; ſed ſi inflammentur, calorem, ruborem, & dolorem habent, ut in inflammatione oriri ſolet.

IV. Obſervarunt, poſtquam ſponte hi tumores, aut cultro aperti ſunt, ipſos materia plus, minuſve liquida repleri veſica membranacea calloſa etiam quandoque contenta, quam Græci Κύστις & Latini veſicam appellarunt; quare hi *tumores kyſtici* Κυστικοὶ, ſive tunicati vocati fuerunt. Nos Galli ipſos *loupes* vocamus, fortaſſe, quia viliori Lanitate *lupi* dicuntur ulcera crurum corrodentia, ex quo tumores tunicati, qui minus periculoſi ſunt, *lupæ* dictæ fuerint, ex hoc quod femineum nomen aliqua ratione leviorem morbum indicare ſoleat.

V. Plerumque in his tumoribus unica reperitur ciſtis, quæ undique propinquis partibus adhęret; quandoque etiam duplex eſt, extrinſeca una, intrinſeca altera, priori inhęrens unice tantum pediculo; in hac poſteriori veſica tumoris materia occluditur.

VI. Humor in hujuſmodi tumoribus contentus non eſt ſemper ejuſdem naturæ, modo ſpiſſus eſt, albus, atque ſebum æmulans; quare Græci in hoc caſu tumorem Στεάτωμα appellant, quia Στέαρ apud ipſos *ſebum* ſignificat, modo contenta materies liquida eſt, a juſculis non abſimilis; quare Græci tumorem Ἀθήρωμα dicunt, quia Ἀθήρα denotat *juſculum*, modo tandem materia liquida, flava, & cum melle conveniens eſt, ut Græci tumorem Μελικηρὶς dixerint, quod ſignificat *mellifavium*.

VII. Hæc eſt naturalis luparum conditio, quod minime profecto impedit earum inflammationem, aut abſceſſum, in quo caſu ſi aperiantur, contentam materiam fundunt, & in fiſtulam plerumque abeunt, quandoque indureſcunt, & ſenſim in ſcirrhum, aut cancrum deſinunt; ſed in utroque caſu lupæ propriam naturam amittunt, atque in alium morbum commutantur.

Cauſæ.

Uſque dum ignorabatur natura, & circuitus lymphæ, vaſorum diſpoſitio, per quæ ipſa circumvehitur, etiam luparum origo abſcondita erat, quare de his apud Medicos veteres non eſt inquirendum; poſt vaſorum lymphaticorum inventionem, & lymphæ circulationis diſtinctas habemus de hac re notiones

Nunc

Nunc scimus vasa lymphatica inflata, aut dilatata lupas producere, materiam vero contentam lympham ipsam esse inæqualiter inspissatam. Positus & adhæsiones, luparum incipientium præsertim, rem profecto declarant.

Reliquum enim erit pro integra luparum explicatione sequentibus quæstionibus satisfacere.

1. Quare vasa lymphatica enormiter ita dilatentur.

2. Quare lympha in ipsis contenta suscipiat formam sebi, jusculi, aut mellis.

3. Quomodo efformetur cistis, aut vesica, quæ materiam tumoris retinet.

4. Quare in lupis duplex interdum videatur cistis.

5. Ex quo procedant corpora extranea, quæ nonnulli Auctores in his tumoribus repererunt.

6. Tandem qualis sit differentia luparum, & hydatidum, de quibus postremis *lib.* 3. *c.* 2. diximus.

I. Vasa lymphatica dilatari nequeunt, nisi ob volumen lymphæ in eorum cavitate cumulatæ; quare causas hujus dilatationis perquirendo, idem est, ac investigare causas stagnationis lymphæ in quibusdam partibus; sed hujusmodi causæ satis patent, & reducuntur,

1. Ad obstructiones glandularum conglobatarum, quas vasa lymphatica intrant.

2. Ad spissitudinem lymphæ, quæ conditionem vulgaris circulationis pervertere poterit, vel hujusmodi condensatio a regiminis errore, externo frigore, vel alio quolibet vitiato procedat fomite.

3. Ad constrictiones, quæ vasa lymphatica comprimere valent, aut distrahere, ut in convulsivis musculorum conatibus casu, aut rigore nervorum evenire solet.

4. Ad relaxationes, quæ post ictus aut casus vasis lymphaticis occurrunt;

5. Ex his consequitur dilatationem vasorum majorem, vel minorem esse, prout causæ hunc humorem retardantes efficaciores erunt, aut debilius partium elaterium.

6. Itemque hanc vasorum lymphaticorum dilatationem primo sphæricam figuram tumori præbere, imposterum tumoris formam produci, atque aptari partibus propinquis.

II. Lympha, quæ in vasis lymphaticis dilatatis cumulatur, inæqualiter densa, & colorata esse potest; verum pro diverso ejusdem positu, aut thecæ densitate diversa, qua continetur, plus minusve transudare potest. Valebit igitur colorem, & consistentiam diversam suscipere, ideoque steatomata, atheromata, aut melicerites producere. Etenim lympha spissa parum bile saturata steatoma inducere poterit; lympha minus spissa, magisque pura atheroma. Tandem liquidior lympha sed biliosa admodum meliceritem faciet.

Insuper si pars lymphæ tenuior in quibusdam lupis magis, quam in aliis propriam circulationem recuperet, quod supererit, inæqualiter spissum apparebit, & tumores diversos efformabit.

III. Cistis nil aliud est, quam tunica ipsa vasorum lymphaticorum dilatatione inspissata; eadem causa, quæ ipsam extendit, succum nutritium retardat, & indurationi; locum præbet; simili ratione tunicæ arteriarum, atque venarum post dilatationem in aneurismatibus, aut varicibus indurescunt, ut etiam membranæ testium in Hydrocele, & Peritonæum in Hydrope, ac generice omnes membranæ, dum extenduntur.

Quandoque lupa cellularis est, quia ex pluribus vasis lymphaticis simul dilata-

latatis, aut ab aliqua glandula conglobata, loculamentis instructa efformatur.

IV. Duplum involucrum luparum ab aliqua propinqua membrana provenit, quæ vas dilatatum amplectitur, ut a membrana adiposa in adipe, a membrana propria musculorum in partibus musculosis, aut ab aponevrosi articulorum, in quibus lupa produci solet.

Hoc externum involucrum vasis sanguineis sibi propriis plerumque irrigatur, sed internum nullum plerumque vas ostendit; attamen externum æque crassum, ac internum videtur.

V. Afferunt nonnulli in tumoribus cisticis corpora extranea reperisse, circa quod scripsit *Severinus de abscessibus anomalis*. Hujusmodi erant ova columborum, castanea, animalia indurata &c. sed eorum miracula significant concretiones lymphaticas variæ figuræ tantum repertas fuisse, quibus ea nomina tribuerunt.

Excipi tamen debent ossa, dentes, & capilli, qui interdum in tumoribus cisticis ovariorum, tubarum, aut matricis comperti fuerunt; sed in his casibus reliquiæ visæ sunt concepti fœtus, quæ hujusmodi tumores efformaverint. Ossum cruris in tumore hujus speciei repertum, quod erat in Museo Ruyschiano, inde in illo Petroburgi translatum fuit, aliam fortasse non habuit originem, modo vera sit phenomeni historia.

VI. Quod hic de lupis dicitur, & quod superius *l. III. c. 2.* de hydatidibus dictum est, maximam horum tumorum affinitatem demonstrat; ambo procedunt a dilatatione varicosa vasorum lymphaticorum, quæ ab iisdem causis derivat; ambo primum involucrum habent sibi proprium, quod plerumque secundo includitur. Tandem ambo pediculum habent, quo partibus propinquis nectuntur; quare hydatides, & lupæ unam naturam, conformationem, sedem, & causam producentem agnoscunt.

Nihilo tamen minus lupæ, & hydatides simul multiplici ratione differunt.

1. Involucrum luparum densum, opacum est, atque partibus propinquis adhærens; tunica hydatidum contra mollis est, tenuis, pene *aracnoidea*, diaphana, & solo pediculo adnexa.

2. Materies contenta densa est, & jusculi speciem refert; hydatidum vero latex pura lympha est.

3. Tandem lupæ plerumque solitariæ sunt, raro in racemum congeruntur; sed hydatides confertiores sunt, & congeriem racemosam efformant; at hujusmodi differentiæ, quamvis maximæ appareant, accidentales sunt, & earum causæ facile divinantur.

Lupæ plerumque interstitia musculorum occupant, ubi compressionibus frequenter exponuntur, quando musculi contrahuntur sub variis corporis motibus, ubi hæc involucra compressa sensim indurescunt, & opaca fiunt: contra hydatidum tunicæ ab omni compressione liberæ servant eamdem tenuitatem, atque diaphaneitatem status naturalis.

Eadem musculorum actio lympham in lupis contentam continuo premendo, paulatim exprimere debet quidquid fluidioris est, donec lympha in diem ita inspissata tandem consistentiam in lupis obviam adipiscatur; sed ea lympha, quæ in hydatidibus reperitur, cum nullæ compressioni subjiciatur, propriam tenuitatem erit servatura.

Lupæ plerumque, ut jam diximus, in interstitiis musculorum efformantur a varicosa dilatatione grandiorum vasorum lymphaticorum, ibi reptantium; quare lupæ hydatides magnitudine superant, & solitariæ plerumque conspiciuntur; quia vasa istiusmodi lymphatica insulata esse solent. Interdum tamen, sed

ſed raro plures lupæ ſimul congeruntur ſub racemi forma, quando plura vaſa lymphatica, & propinqua una afficiuntur, verum etiam catenæ ſpeciem referunt, quando vas lymphaticum variis in locis varicoſum fiat. Hydatidum reſpectu, cum ipſæ a membranis oriantur, undique capillaribus lymphaticis venis refertis, nil mirum eſt, ſi confertiores ſint, atque ſigillatim lupis exiliores appareant, & racemum repræſentent.

Præter hujuſmodi differentias lupæ, & hydatides ſimul conveniunt, producuntur utræque a dilatatione varicoſa vaſorum lymphaticorum; propriam tunicam habent quandoque externam, etiam unico pediculo partibus adhęrent, tandem ſphęricam pene initio figuram oſtendunt, quæ tamen producitur, prout creſcunt: uno verbo producuntur eadem ratione ſimilibus de cauſis in iiſdem vaſis, ac proinde eſſentialiter ambæ ſimul conveniunt.

En vobis, qua de cauſa cutis hydatidibus non afficiatur, neque muſculus, quia dilatationes venarum lymphaticarum in his partibus lupæ evadunt, atque eadem de cauſa membranæ, quæ inveſtiunt internas cavitates, lupis non deturpantur, quia ibi varicoſæ dilatationes vaſorum lymphaticorum hydatides perſtant.

Symptomata.

I. Lupæ ſenſim, paulatimque producuntur; idcirco vaſa ſanguinea circumpoſita non comprimunt, vel inſenſibiliter, ita ut ſanguis vaſa lateralia (paulatim dilatando) liberam circulationem retineat; quare lupæ nullam inflammationem ſolent inducere.

II. Ideo ipſæ calore, rubore, atque dolore carebunt, quia hæc phenomena ſolam inflammationem conſequuntur.

III. Ipſæ modo grandiores ſint, aliquis perſentitur dolor ſub motibus partium, quibus adhęrent, quia muſculi ſe ſe contrahentes ipſas comprimunt, & hæ muſculorum contractiones una impediunt.

IV. Lupæ a membrana materiam quamdam circumveſtiente producuntur: ergo juxta extenſionem hujus capſulæ circumſcriptæ eſſe debent.

V. Simul compreſſioni cedere debent, certumque mollitiei gradum oſtendere, qui variat in ratione ſpiſſitudinis contentæ materiæ, videlicet prout lupæ *ſteatomatoſæ*, *ateromatoſæ*, aut *melliceritodes* ſunt.

VI. Cum theca, quæ lupas obtegit, elaterio polleat, reſurgere, propriumque poſitum recuperare debet, modo compreſſio evaneſcat, quod etiam variat juxta conſiſtentiam detentæ materiei.

VII. Lupæ inflammantur etiam quandoque, modo ictibus, aut contuſionibus obnoxiæ fuerint; reſolventia validiora adhibita fuerint, aut pluries manibus fuerint contrectatæ.

VIII. Dum ipſæ inflammantur, in ſuppurationem, ac poſtea in abſceſſum convertuntur, qui aperitur, & materiam fundit, jam ab inflammatione ſolutam, quod incurabilem fiſtulam inducit, donec lupæ theca ſubſtiterit.

IX. Quandoque, ſed raro admodum lupæ, ſeu melius earum involucra ſcirrhoſa fiunt, quod evenit, cum continuo attritui exponuntur. In hoc caſu in carcinoma etiam convertuntur, ſi unquam lympha ibi congeſta expanſivum motum acquirat, ut in cancro obſervavimus.

X. Generice lupæ omnes externas corporis partes occupare poſſunt, ſed frequentius muſculorum interſtitia, articulos, caput, & collum infeſtant, quia ibi grandiora vaſa lymphatica reperiuntur, ſequentibus capitibus, de illis capitis

pitis, & colli locuturi erimus, quia peculiaribus nominibus insigniuntur, & a causis sibi propriis derivare videntur.

Diagnosis.

1. Tumores cistici ab eo cognoscuntur, quod circumscripti sint, molles, & rubore, calore, atque dolore careant.

2. Ex eo pariter cistis forma innotescit, quod fluctuatio quædam appareat, plus, minusve conspicua pro varia tumoris magnitudine, & contenti humoris densitate, quæ fluctuatio de spissitudinis hujus humoris gradu suspicionem præbet; color tamen ejusdem humoris, nisi tumor aperiatur, non innotescit.

3. Judicatur facile si lupa in inflammationem, aut abscessum vergat, aut scirrhosa fiat, vel tandem in cancrum degeneret solo inspectu.

Prognosis.

1. Lupæ pertinaces morbi sunt, & curatu difficillimi, sed dolore carent, & raro pravas consecutiones habent.

2. Nihilominus præterea quod lupæ propter magnitudinem molestæ evadant, ipsæ in inflammationem, abscessum, atque carcinoma converti possunt, ac proinde periculosæ, & letales fieri.

3. Cum lupa extirpari velit, ejusdem volumen, positum, atque adhęsiones attendere necessum erit, videlicet si nervis, tendinibus, aut vasis inhęreat, quia hæc tum in morbi pertractatione, cum in prognosi potissimum locum habent.

4. Prænunciari pariter oportet profunditatem adhęsionis, atque densitatem ipsius tunicæ.

Curatio.

Lupæ nullam molestiam afferunt, optimumque consilium est nullam curationem suscipere, sed cum ęgri conquerantur, & morbi interdum progressus medentes cogat ad medelam suscipiendam: en variæ rationes ipsam instituendi.

Quattuor adhuc innotescunt; *prior* per viam resolutionis materiam in lupis contentam solvendo; *secunda* per applicationem cathereticorum, quę lupas corrodant; *tertia* luparum suppurationem promovendo; *quarta* denique lupas omnino abscindendo, quibus addi poterit palliativa methodus, quam interdum amplecti debet, modo nulla videatur aliunde valetudinis spes; sed de ipsa infra disserturi erimus, ubi de botio pertractabimus.

Primo: via resolutionis neque facilis, neque tuta est, quia materies luparum haud liquida videtur, ut resorberi queat; præsertim cum in cisti detineatur, quæ resorptionem impediat, nihilominus leniter tentari poterit, absque quo inflammatio inducatur.

Hunc in finem tum interna, tum externa remedia adhibentur.

I. Remedia interna sunt solventia pro strumis, jam proposita; ut martialia, mercurialia, antimonialia, millepedes, pulvis bufonum &c. præterea commendant cineres spongiæ marinæ, ossa sepiæ, pulveres piperis oblongi, vel nigri, zingiberis, cynnamomi, salis gemmæ, vel spongiæ rosarum silvestrium, *bedgar* appellatæ; ex eorum nonnullis rotulæ efformantur, quæ ore diu, noctuque detinentur, & alimentis imponuntur.

II. Ad remedia externa quod attinet, usuveniunt,

1. Fo-

1. Fomentationes, aut decoctiones foliorum pulegii, calaminthæ, hyssopi, &c. aut radicum bryoniæ, cucumeris silvestris, iridis, cyclaminis &c. parti affectæ applicatæ.

2. Emplastra diachyli cum gummis, addita drachma pulveris radicis iridis pro singula duplici uncia unguenti, verum emplastra cicutæ, saponis, & diabotani.

3. Gummi ammoniacum, galbanum, bdellium, opoponax, emollita cum aceto, & supra alutam extensa.

4. Eadem emplastra, aut eadem gummia additis sale ammoniaco, vitriolo romano, sulfure, pulvere sinapis, oleo succini, radice iridis, aut cynnabari.

5. Calx viva cum melle subacta, & sapone, sub forma cataplasmatis applicata. At hoc remedium bullulas causat valde incommodas.

6. Interdum lupas profligarunt ipsas malleo protinus pulsando, quo disrupta cistis materies contenta foras erumperat, & quæ supererat, sensim a lympha soluta facile resorbebatur. Hac methodo enim interdum lupæ resolutæ fuerunt, præsertim cum addita fuerint solventia, aut lamina plumbea mercurio imbuta supra apposita.

Secundo: Quando caustica adhiberi velint.

1. In parte declivi tumoris emplastrum admovetur *apertura* instructum, ubi fragmentum idoneæ magnitudinis lapidis caustici accommodatur; cum cistis aperta fuerit, ipsa materia depletur ope spleniorum, quibus cavitas impletur, post hoc lupa cooperitur pulvinis imbutis unguento ægyptiaco, apostolorum, aut bruno cum basilico, vel præcipitato rubro.

2. Hac ratione paulatim cistis comburitur, usque dum per suppurationem destruatur, quæ nisi sufficiat, validiora escharotica adhiberi possunt; videlicet 1. pulvini pulvere conspersi lapidis caustici, vel solutione imbuti ejusdem lapidis, qui in cavitate lupę introducuntur. 2. etiam trochisci minii, aut sublimati corrosivi in Codice Parisiensi descripti, qui caute lateribus cistis durioribus admoventur. 3. splenia de-Vigo præparata, quibus utimur eadem ratione sub forma turundæ, aut pulvini. En vobis ipsa parandi methodus ab ipso Auctore descripta *Practicæ lib.* 11. *cap.* 5.

Sumitur duplex uncia spleniorum ex veteribus linteis confectorum, triplex uncia micæ panis albi probe concocti, & in pulverem redacti, uncia semis sublimati corrosivi, libra una aquæ rosarum, tantundemque plantaginis, & postquam omnia ebullierint ad trium quartarum partium liquoris consumptionem, splenia tunc exsiccantur, dein pectuntur, & pro indigentiis cum emplastro cerusæ, aut diapalmæ lupis destruendis admoventur.

3. Quando cistis destructa videtur, ulcus cum balsamo Arcei pertractatur, ut reliqua ulcera cicatrizanda.

Tertio, frequenter evenit, quod nimio solventium acerrimorum usu lupæ in inflammationem, aut abscessum desinant; tunc antequam aperiantur, tutius est illas aperire, modo mollis admodum materies persentiatur; adhiberi poterit fragmentum lapidis caustici, ut jam diximus, quod potissimum est, sed cultro etiam tumor incidi poterit, qui si grandior fuerit, in crucem secabitur, angulos rescindendo. Post hæc pari ratione progredi oportet ac in articulo præcedenti admonuimus, nisi quod in lupis inflammatis magis a suppuratione, quam ab escharoticis sperandum videtur: quandoque etiam sola anodyna, & emollientia conveniunt, si dolor inflammationem comitetur.

Quarto: pro extirpatione lupæ,

1. Inciditur cutis in crucem usque ad cistim, quæ facile recognoscitur, modo cuti non adhæreat, sed si unquam, quod raro evenit, paulatim abraditur, ipsam diligenter exsiccando.

2. Cum cistis non adhæreat, adhæsiones ejusdem facile apparent, & si inhæreat partibus minoris momenti, penitus rescinditur; eadem ratione progreditur, si cuti adhæreat, modo prius divisa ab ipsa fuerit.

3. Quando lupa duplum involucrum habet, ut haud infrequenter accidit, ambo rescindi debent, postquam quod si aliquod vas nimium sanguinem fundat, sistitur fluxus bolo vitrioli, aut agarico quercus.

4. Quando cistis tendini, ligamento, grandiori vasculo, aut periostio inhæret, ejusdem portio adhærens relinqui oportet, quæ suppuratione evelletur, aut escharoticis sensim abibit.

5. Tandem si post lupæ abrasionem videatur os aliquo modo *deturpatum*, remedia convenient in ossium carie obvia; nam cisti omnino destructa, ulcus vulgari ratione cicatrizatur.

CAPUT TERTIUM.

De Lupis Capitis.

Descriptio.

I. INtra cutim, & pericranium exiguæ lupæ interdum oriuntur, quæ superius descriptas lupas penitus æmulantur.

II. Duplici nomine insigniuntur: modo *testudines* dicuntur, quando complanatæ, & molles sunt; modo *talpæ*, *sive topinariæ* appellantur, quando duræ, rotundæ, & immobiles apparent.

III. Lupæ capitis, ut illæ reliqui corporis, sunt constructæ, humor vero luparum capitis luteus plerumque est, & ipsæ ex genere meliceritum videntur.

IV. Istiusmodi lupæ, sed præcipue rotundæ, quandoque sub cute sedem mutant, & parum descendunt juxta loci inclinationem.

V. Quandoque unicæ sunt, quandoque plures variæ magnitudinis, quamquam ab ipsis liberum sit reliquum corpus.

VI. Frequentius infestant illos, qui in infantia tineam, aut crustas lacteas passi sunt.

Causæ.

Hujusmodi lupæ capitis easdem causas recognoscere possunt, in præcedenti capite descriptas, nihilominus peculiaris causa in capite est, quæ hasce obvias magis reddit. Hæc causa nisi glandulas respicere potest, per quas humor sebaceus inspissatus separatur, quem Latini *furfurem* appellant, cujus ubertas *furfurigo* etiam dicitur.

Hæ glandulæ, sive melius canales, confertissimi sunt in parte capillata, & in cutis substantia proxime locati, qui sub epidermide per exiguum foramen prope capillorum radices aperiuntur. Ab ipsis humor crassus, oleosus, sebaceus separatur ad radices capillorum madefaciendas destinatus, qui sub cute inspissatus furfurem copiosum gignit in iis, qui raro pectuntur, neque deest in illis etiam, qui politiores sunt.

Ab hac descriptione facile patet, extremitates horum canalium in his glandulis

dulis obturari, ex quo humor sebaceus detinetur, qui glandulam dilatando tumorem sphæricum sensim producit, in lupam convertendum.

Extremitates horum canalium obstrui possunt,

1. Ob vitium separati humoris, quando spissus nimis videatur a deleteria sanguinis indole, aut regiminis vitio, tum ab admixto extraneo fermento, aut ab externo frigore condensetur.

2. Hi canales constringi etiam possunt: ob læsiones, quas in præcedentibus affectibus passi fuerint.

Symptomata.

1. Si unicus canalis afficiatur, unica erit tumoris cavitas, si plures, tumor cellularis apparebit.

2. Tumor primo rotundum, & durum se ostendet, deinde, prout producetur, planus, & mollis fiet.

3. Hæ lupæ sedem mutare possunt, quando in loco declivi capitis positæ sint, quia adhæsiones facile infringuntur, & proprio pondere descendunt.

4. Patet lupas frontem, aut aures deformare plus, minusve pro earum magnitudine, cum ipsæ in alterutram partem decidant.

5. Humor in his lupis contentus cum sebaceus sit luteus apparet, quia hic naturalis est sebacei humoris color, qui in diem magis obscuratur, prout in lupis inspissatur.

6. Hæ lupæ possunt pericranium lædere, & cranium ipsum in cariem ducere, quia corrodens, & acre serum fundunt.

7. Tandem in inflammationem, aut abscessum vergere, vel in scirrhum, & carcinoma converti ut reliquæ lupæ, & iisdem de causis.

Diagnosis.

Lupæ capitis admodum conspicuæ sunt: inspectus earum magnitudinem, figuram, & sedem satis manifestant; tactus duritiem, aut mollitiem animadvertit; denique phenomena, quæ ipsas comitantur, si inflammatæ, suppuratæ, carcinomatosæ sint, satis indicant.

Prognosis.

1. Lupæ capitis plerumque periculo vacant, raro curantur; sufficit bis in anno remedia impendere, quæ lymphæ fluiditatem servent, & morbi progressus retardent.

2. Extirpari tamen debent duplici casu; quando deformes fiant, aut in abscessum, carcinoma, & cariem desinant.

3. Amputatio exiguarum luparum facilis est; at periculosa est plus, minusve pro diversa earum conditione, si grandiores sint.

Curatio.

I. Ut impediatur incrementum harum luparum, solventia, & attenuantia interna adhiberi possunt, nempe

1. Martialia, mercurialia, & antimonialia, tum decoctiones cancrorum, millepedum, viperarum, & aquæ minerales ferrugineæ.

 2. Ad-

2. Addi possunt solventia externa, ut embrocationes aquarum thermalium, aut decoctiones pulegii, calaminthæ, melliloti, sulphuris communis &c.

3. Adhiberi etiam possunt reliqua remedia præcedenti capite proposita adversus lupas externi corporis.

II. Modo censeatur luparum amputatio necessaria, cultro, vel caustico institui poterit.

Prior methodus brevior, & simplicior est: in superiori parte enim inciditur lupa, caute ducendo scalpellum, ne cistim lædat; insuper auxilio cavi specilli intra lupæ capsulam, & cutem intrusi in crucem incisio instituitur usque ad margines tumoris, qui digitis facile abraditur, modo fortiter non adhæreat, sed si adhæsiones animadvertantur, forcipe rescinduntur, postquam quod ulcus vulgari ratione pertractatur.

Si cui lubeat caustica adhibere, circumvestita lupa emplastro perforato, lapide caustico cooperitur; sed cum de cutis combustione tantum agatur, modica lapidis fragmenta erunt sumenda, & cum apparuerit cutim satis combustam esse, removebitur emplastrum, & perforabitur eschara, eadem ratione, & iisdem cautelis adhibitis, ac si integra cutis incideretur, postquamquod erit lupa digitis extrahenda, vel forcipe, si aliquo loco adhæreat; in progressu ulcus, ut supra diximus, vulgari methodo pertractabitur.

Si pericranii loca, quibus lupa adhærebat, læsa appareant, pulvini applicabuntur, spiritu vini imbuti, qui reiterabuntur, usque dum caro reproducta fuerit, & ulceris conditio in cicatrizationem vergere ostenderit.

At si pericranii labefactatio suppurationem minetur, os pateat, caries producatur, non solum vini spiritus erit admovendus, verum etiam tinctura myrrhæ, aloes, euphorbii, usque dum os leviter exfolietur, & granulosa caro reproduci incipiat.

III. Tandem si capitis lupa suppurata, aut disrupta jam videatur, lapide caustico erit aperienda, aut apertura dilatanda suppurationem capsulæ promovendo, vel ejusdem consumptionem tentando, escharoticis superius propositis pro generica luparum curatione, deinceps obvia methodo vulnus cicatrizando.

CAPUT QUARTUM.

De Botio, sive Bronchocele.

Descriptio.

I. IN anteriori colli parte lupæ produci solent, quæ a suprema laryngis parte incipiunt, & per asperam arteriam descendunt, omnem colli latitudinem interdum occupando.

II. Hujusmodi tumores plerumque lupis mitiores sunt, pressioni facile cedunt, segniter progrediuntur, & liquida materia replentur, quæ homogenea videtur. Interdum tamen grumi persentiuntur variæ magnitudinis, reliquæ contentæ materiæ respectu duriores.

III. Hi tumores, sæpe unicam capsulam habent, frequenter duplicem, partim supra humerum reflexam, partim anterius descendentem.

IV. Ab ortu suo tumores istiusmodi exiguos se offerunt, ut vix conspiciantur; in progressu vero ingrandescunt, ut deformes fiant, & colli motus offendant; quandoque etiam asperam arteriam comprimendo, respirationem lædunt, præsertim cum sub sterno producuntur.

V. Cutis, quæ hos tumores obtegit, naturales conditiones diu conservat; sed tractu temporis præsertim cum tumores grandiores fiant, densa, rubicunda, & varicibus intersperfa esse solet.

VI. Quamvis hujusmodi tumores in omnibus regionibus frequentes sint, in illis tamen obvii magis apparent, qui alpibus circumcinguntur, ubi aer hyeme glacialis est, & incolæ aquam ex solutis nivibus hauriunt; alpium itaque habitatores singulari ratione huic morbo sunt obnoxii, qui apud illos *endemius* videtur.

VII. Dum hi tumores aut in vivis extirpantur, aut in cadaveribus hoc morbo affectis dissecantur, repleti apparent jusculi specie, plus, minusve densi, albo cinereo colore referti, quandoque concretionibus granulosis saturis.

VIII. Hæc materies capsula detinetur ea luparum molliori; quandoque unica habetur cavitas, plerumque tamen plures invicem communicantes.

IX. Hi tumores appellantur a Græcis Βρογχοκήλυ, scilicet *tumores bronchorum*, aut *tumores circa bronchia*. A Latinis vero *Hernia gutturis*, aut *strumæ*, viliori tamen latinitate dicuntur *botium*, *bocium*, aut potius *bossium*, quod nomen a verbo *bossa* derivare videtur, quod *inflationem*, *tumorem*, *bossium* significat. Verum nomen communius est *guttur*, quod his tumoribus tribuitur, quia gutturi adveniunt. Atque ab hoc postremo nomine illud gallicum *Gouetre* desumptum est; & ideo hoc morbo affecti gallice nuncupantur *Gouetreux*, qui alias dicebantur *Gutturosi*.

Causæ.

Bronchocele sub luparum adspectu easdem causas agnoscit, ac proinde a simplici dilatatione interstitiorum vasorum lymphaticorum, circa collum reptantium, oriri potest; nihilo tamen minus magnitudo, & specialis modus, quo colli latera deturpat, suspicionem præbet singularem causam adesse.

Hujusmodi animadversiones suadent obviam sedem botii in glandulis thyroideis esse, sive melius dicam, in glandula thyroidea, quia ambæ per inferiorem ductum simul conveniunt; hæ glandulæ dextrorsum, & sinistrorsum laryngis collocatę sunt, & juxta longitudinem cartilaginis *thyroideæ* sive *scutiformis* protenduntur, a qua nomen accipiunt; ex pluribus conflantur ipsæ vesiculis, sive cellulis membranaceis, invicem communicantibus, ut flatu facile evincitur.

Anatomici circa harum glandularum usum invicem discrepant: plerique credunt ipsas humorem separare ad cartilagines laryngis madefaciendas destinatum; at subinde excretorios canales quærunt, frustra tamen adhuc, qui hunc humorem fundant: ipsos tamen putarem eas glandulas lymphaticas esse, quæ ex facie, & capite revehuntem lympham retineant, quæ postea in vasa rorifera bilis, aut subclaviam sinistram deferatur. Non inficiabor hasce glandulas laxas esse, minusque compactas glandulis conglobatis eidem usui in lymphæ circulatione destinatis. Hoc fortasse a majori laxitudine cellularum, aut amplitudine procederet, quod tamen potissimum earum glandularum officium non infirmat; talis est singularis structura thymi in thorace, quæ glandula haberi debet, ut lymphæ hydrophilacium, ubi ex pulmone, & pleura lympha redux colligitur, donec in vasa rorifera bilis transferatur.

Hujusmodi glandularum thyroidearum descriptio ostendit ipsas locari, ubi botia, sive bronchoceles originem habent; verum suapte natura facile dilatari,

atque extendi, ac proinde facile tumores cisticos magni voluminis efformare posse; tandem harum glandularum positum circa latera colli conducere ad rationem detegendam, ob quam hoc morbo collum specialiter afficiatur.

Reliquum erit igitur caufas statuere, quæ in alterutra harum glandularum afluentem lympham valeant retinere, ac tumorem Bronchocele dictum producere.

Etenim hujusmodi causæ, ut pluries diximus, generales, speciales, & locales esse possunt.

I. Generalior caussa spissitudo lymphæ videtur a sanguinis densitate proveniens; hæc spissitudo ab aliis pluribus causis diversis oriri potest, totidem enuntiatis, & præsertim,

1. A prava alimentorum, & potionum qualitate.

2. A tristitia, ceterisque animi pathematibus.

3. Ab admixtione viri venerei, aut scorbutici &c. quibus sanguis inficitur.

II. Quo ad causas peculiares, aut locales attinet, innumeræ esse possunt, videlicet,

1. Frigus, ventus, humiditas, quibus collum, vultus, caput subjiciuntur, ex quibus lympha in glandulas thyroideas reducitur.

2. Liquores frigidi, & glaciales, qui hauriuntur, aut aer, qui inspiratur, ex quibus pharynx, atque larynx protinus refrigerantur, ut easdem affectiones glandulis thyroideis valde propinquis communicent.

3. Tandem qualitas aquarum limosarum, aut vitriolicarum, sale etiam coagulanti infectarum, quæ dum hauriuntur, adversus lympham glandularum thyroidarum agunt, ipsamque condensant.

Ex his facile apparet, quare hujusmodi morbus in alpibus obvius sit, ac in frigidis reliquis regionibus, ubi frigidus aer, tum extrinsecus, cum intrinsecus, sub inspiratione lympham glandularum thyroidarum figat; ubi continuo aqua nivalis hauritur, salinis coagulantibus particulis saturata, quamvis glandulas thyroideas pro præcipua hujus morbi sede recognoscamus; nil mirum tamen videtur quandoque etiam produci a dilatatione glandularum arytænoidarum, aliarumque, quæ juxta longitudinem asperæ arteriæ sub musculos sterno-hyoideos, atque sterno-thyroideos collocantur, quæque eandem structuram, ac usum habent, iisdemque de causis affici possunt, ut Bronchocelem producant.

Ceteroquin animadvertendum est in hujusmodi glandulis, lympham generali de causa jam inspissatam a peculiaribus sive accidentalibus causis ultimum spissitudinis gradum adipisci, & cum deferentia vasa lymphatica afferentibus magis implicentur, ideoque effluxus influxu magis intercipi debet, quod confirmat facile incrementum horum tumorum.

Symptomata.

I. Dum Bronchocele incipit, exiguum tumorem, sive glandulam colli exhibet, sed cum lympha in glandulam thyroideam obstructam affluens, ibi detineatur, tumor prompte ingrandescit.

II. Plerumque cito non modo, verum maxime ingrandescit, quia cellulæ glandulæ thyroideæ, & membranæ ipsam involventes, laxæ sunt, & valde extensiles, quod pari ratione in lupis vulgaribus nedum evenit.

III. Bronchocele inferius asperæ arteriæ, atque interdum supra claviculam, & ster-

& ſternum in thorace extenditur, atque tunc tracheam comprimendo reſpirationem lædit, difficilioremque reddit.

IV. Quandoque hujuſmodi tumor ſupra ſternum extenſus ad latera verſus humeros progreditur, in quo caſu motus colli magnopere implicat.

V. Modo humor detentus lympha pura ſit, propriam fluiditatem continuo ſervat, non æquabiliter tamen quandoque, quinimmo concretiones duræ, & compactæ interdum efformantur ob ſpiſſitudinem alicujus portionis hujus lymphæ.

VI. Quando Bronchoceles aperiuntur, modo unicam cavitatem oſtendunt, modo plures; nam plerumque lymphæ cumulatio in pluribus cellulis fit.

VII. Cutis, quam Bronchocele producit, plerumque propriam mollitiem, atque naturalem colorem ſervat, dummodo tumoris volumen circulationem non intercipiat: at ſi pro maximo volumine ſanguinis circulum impediat, ab affluente detento ſanguine, cutis rubeſcit, denſior fit, quia plus humoris nutrientis deponitur; tandem varicibus refertur, quia retardato ſanguine venæ dilatantur.

VIII. Quandoque horum tumorum involucra ab ictibus, compreſſionibus, contrectatione nimia, aut regiminis vitio inflammantur, & tunc inflammationis phenomena apparent, calor, rubor, dolor, atque tenſio.

IX. Quandoque hæc inflammatio in ſuppurationem vergit, quæ materiæ contentæ communicatur, & tunc Bronchocele aperta tandem in fiſtulam deſinit.

X. Bronchocele in ſcirrhum convertitur, etiam quando involucra dura, atque cornea evadant; in cancrum etiam mutatur, ſi ſcirrhoſa involucra naturam cancri induant, ut ſuperius explicavimus, ſed hæc raro eveniunt.

Diagnoſis.

1. Dum Bronchoceles incipientes ſunt, vix conſpiciuntur, quinimmo dum exiguæ ſunt, cum tumefactis glandulis confundi poſſunt, ſed raro decipimur, modo certam magnitudinem attingant.

2. Facili indagine recognoſcitur volumen, poſitus, nexus cum partibus propinquis, conditio materiæ contentæ, tum magnitudo, & numerus concretionum in ipſa hærentium.

3. Juvat potiſſimum animadvertere ſi inflammatio, abſceſſus, ſcirrhus, aut carcinoma adſint, quæ facile patent, modo ſymptomata appareant, quæ varios hujuſmodi tumores comitantur.

Prognoſis.

I. Per ſe hic morbus periculo vacat, modo propriam indolem ſervet; nonnulli fuerunt, qui per integrum vitæ curſum Bronchocelem paſſi ſunt citra grave detrimentum.

II. Bronchocele tamen moleſtiam affert pro maxima, quam inducit deformitatem, quæ eo deterior eſt, quo magis tumor extenditur, itemque multum incommodi reddit, cum pro maximo volumine motus colli offendat, aſperam arteriam comprimat, & liberam reſpirationem impediat.

III. Tandem hujuſmodi tumor damnum infert, quando inflammationem, abſceſſum, fiſtulam, ſcirrhum, aut cancrum producat.

Curatio.

Bronchoceles sex ſtadia, quoad curationem offerunt.

1. Quando ipſæ exiguæ ſunt, & incipientes, ubi reſolutionis ſpes adhuc remanet.

2. Quando pro magnitudine reſolvi nequeunt, & palliativa methodus tantum iniri licet.

3. Quando involucra inflammata ſunt, & abſceſſum minantur.

4. Quando abſceſſu jam confirmato, ejuſdem curatio adminiſtranda videtur.

5. Quando involucrum durum, calloſum, & ſcirrhoſum fit.

6. Quando tandem hoc carcinomatoſum fit, quod periculoſum admodum eſt phenomenon, ſed minus frequens.

Oſtendam itaque concinno ordine, quæ in ſingulis caſibus conveniunt.

Primo: ſperanda videtur reſolutio modo recens, & exiguus tumor ſit: qua de cauſa remedia, tum externa, tum interna adhibentur.

I. Remedia interna circiter conveniunt cum iis, quæ adverſus lupas propoſuimus, & ex aperientibus, attenuantibus, & ſolventibus deſumenda videntur.

Idcirco poſt remedia univerſalia, videlicet venæ ſectionem, purgationem, decocta temperantia, & dulcificantia, atque opiata ſolventia, & aperientia confecta ex croco martis, floribus martialibus, æthiope, pulvere millepedum, extractu aloes, ſale tartari &c. ſequentia remedia exhiberi ſolent, quæ pro ſpecificis adverſum Bronchocelem prædicantur, quamvis citra rationem fortaſſe: talia ſunt.

1. Decocta ſive apozemata ex radicibus parata bardanæ, ſcrophulariæ, bruſci, lamii, filipendulæ &c.

2. Plures pulverum ſpecies deinceps uſuveniunt, videlicet pulvis lacerti, furno exſiccati, a ʒ. s. ad ʒ. 1. pulvis item compoſitus ex partibus æqualibus pulveris ſpongiæ non lotæ, & furno exſiccatæ & boracis, qui æquali doſi exhibetur; ſimilis pulvis conficitur ex zingibero, turbith gummoſo, ſpongia marina, atque ſaccaro ſejunctim in pulverem redactis, ſimulque commixtis, eadem ratione exhibendus.

3. Decoctiones etiam exhibentur ſpongiæ marinæ, non lotæ, cum libra una cerevifiæ, vini, aut aqua mentæ deſtillatæ, ebullitæ, quæ jejuno ſtomacho ad doſim trium, vel quattuor unciarum, quotidie mane adhibentur.

4. Rotulæ etiam uſuveniunt, quæ mane jejuno ſtomacho, ore detinentur: inter plures earum præparationes ſequens utilior mihi videtur.

Sumatur ſpongia marina nondum lota, ponaturque vaſe fictili recenti cum octoginta granis piperis nigri, tribus drachmis zingiberi, & duplici drachma ſalis gemmei, aut ſalis nitri, comburantur omnia uſque dum in pulverem redigi queant; hic pulvis cum ſufficienti quantitate mellis narbonenſis miſceatur, ut electuarii ſpecies producatur, iterum hoc electuarium comburatur, donec in pulverem redigi poſſit, rurſumque novo melle ſuperaddito, opus reiteretur, tunc materies in ſubtiliſſimum pollinem redacta melle narbonenſi opiatum conficiatur, quod in rotulas diviſum fabarum magnitudine ad uſum ſupradictum ſervetur.

II. Quoad remedia externa attinet, ea omnia adhiberi poſſunt ſuperius adverſus lupas commendata, nempe fomenta, cataplaſmata, emplaſtra, & ſuffumigia, quæ repetere fruſtraneum eſt; animadvertere tamen oportet, partem af-

feċtam

fectam non admodum esse calefaciendam, ne inflammatio, & suppuratio ipsa superveniant.

Cum eorum remediorum auxilio materies tumoris satis emollita fuerit, cataplasma adstringens applicari poterit, quod involucrum Bronchocele firmando contenti humoris resolutionem foveat; sequens eo collimat.

Sumatur idonea copia foliorum, atque nucum cupressi quassatorum, & ebulliatur in vino meraco, usque dum liquor consumetur; terantur deinceps folia, atque nuces, donec cataplasma conficiatur, quod pulveri limacum rubrarum calcinatarum consperfum tumori admovebitur, idem bis in die reiterando.

Secundo cum nulla supersit resolutionis spes, vel timeatur, ne resolutionem fovendo, abscessus, atque inflammatio oriantur, ad palliativam methodum erit confugiendum, volumen imminuendo, præsertim cum respirationem lædat, quod duplici ratione obtinebitur.

1. Punctione, sive paracenthesi cum troecarte, ut in ascite sive hydrocele fieri solet: hac ratione humor contentus evacuatur, & æger magnopere recreatur.

Sed hæc methodus tunc solummodo convenit, quando humor contentus satis liquidus sit, ut per troecarterem exire valeat, quinimmo pro hoc opere amplum instrumentum seligi debet; in hoc casu vero juvat per aperturam aquam hordei intromittere, quæ diluendo tumoris materiem, ejusdem solutionem, atque effusionem promoveat.

Locus, ubi in hoc opere instrumentum applicatur, non semper unus est, generice pars declivis tumoris eligitur, sed quandoque præponitur altior, modo ibi liquidior videatur materies; idcirco eo in loco paracenthesis instituitur, ubi morbi conditio, & spes commodioris evacuationis suadet.

Cum sufficiens humoris quantitas evacuata fuerit, instrumentum removetur, & foramen cooperitur emplastro nurimbergense, aut diapalma cum superimposito splenio, spiritu vini, aut aqua vulneraria, quæ ad vulnus cicatrizandum sufficient.

Cum hujusmodi opus facile sit, & periculo vacet, pluries repeti poterit, & hac methodo incommodum, & deformitatem Bronchoceles imminuere.

2. Usuveniunt etiam setacea, quæ sequenti ratione instituuntur, sumitur filum crassum gossypii ex pluribus minoribus compositum, & idoneæ acus ope perfoditur Bronchocele in parte sua declivi, setaceum vero suppurantibus, ut basilicum, aut solventibus ut emplastrum ægyptiacum; quandoque etiam escharoticis, qualia sunt unguentum brunum, aut basilicum pulvere caustico inspersum imbibitur, ipsumque ex opposita parte trahitur, ac tali pacto remedia supradicta in tumorem introducuntur, quæ contentam materiem facile resolvunt.

Hac methodo a duplici apertura setacei erumpit solutus latex, etiam si spissus fuisset, hocque effluvium fovebis usque dum æger a voluminis imminutione recreetur, sed hæc medendi ratio longa, & molesta est neque adhiberi debet, nisi tumoris materies spissa nimis videatur, ut per troecharterem non transeat, quandoque duo setacea in crucem disposita adhibentur; alterum verticale, orizontale alterum. Hæc cautela potissimum necessaria videtur, quando Bronchocele grandior sit, & variis concretionibus repleatur, ut major per duplex setaceum resolutio promoveatur.

Modo Bronchoceles volumen satis imminutum fuerit, setacea removentur & emplastrum diapalmæ, aut nurimbergense applicatur cum compressa aqua vulneraria imbuta, ut supra diximus de foramine troecarteris.

Ter-

Tertio. Si Bronchoçele inflammatione corripiatur, prompte resolvi debet, antequam in suppurationem convertatur. Hac de causa,

1. Venam ex brachio, aut ex pede secabis, numerum, & magnitudinem venæ sectionum juxta gradum inflammationis, & ægri ætatem, ac vires instituendo.

2. Si febris inflammationem comitetur, æger jure, & ptisana erit pertractandus, frequenter aquea clismata præscribendo.

3. Si suspicemur plenitudinem primarum viarum morbum detinere, purgationem, plus, minusve validam, sæpe etiam repetitam præscribere fas erit.

4. Nihilominus remedia externa non sunt contemnenda, ut fomentationes cum lacte tepenti, decoctione bismalvæ, vel utroque simul, itemque cataplasmata ex mica panis, lacte, aut oryzis lacte excoctis.

Quarto. Si tamen Bronchoceles in suppurationem, aut abscessum pertinaciter vergant, primo inquirendum erit statum suppurationis, quæ nisi perfecta fuerit, cataplasmatis suppurantibus, promovebitur, confectis ex pulpa foliorum, malvæ, Althææ, brancæ ursinæ, aut radicibus liliorum sub cineribus excoctis, quibus addi poterunt fermentum vetus, cæpæ tritæ, aut emplastrum diachylum cum gummi, usque dum Bronchocele soluta fuerit; tunc tumor erit aperiendus, vel cultro, cruciatam incisionem instituendo, ubi anguli rescindentur, aut lapide caustico admoto; semel tumore patente cum omnis materies eruperit, vacuum spleniis exsiccatis replebitur, hunc apparatum relinquendo usque dum sponte decidat; tunc digestivum vulgare sufficiet, cui addi poterit tinctura myrrhæ si ulcus salsum, fœtidumque valde sit.

Cum suppuratio folliculum tumoris non destruerit, unguentum ægyptiacum digerenti addi poterit, ut perfecte destruatur, vel simplex etiam ægyptiacum adhibebitur; aut si non sufficiat, escharotica convenient, qualia sunt unguentum brunum, & digestivum pulvere lapidis caustici imbuto, vel pulvini solutione ejusdem lapidis saturati; denique rotulæ sublimati corrosivi, de quibus superius *cap. de Lupis* locuti sumus.

In hac methodo cunctari oportet, donec cistis perfecte consumpta sit, quod paulatim, & caute fieri debet, cum de parte agatur tot nervis, venis, arteriis atque tendinibus referta.

Semel cisti abrasa, ulcus vulgari ratione pertractabitur, deformem minus cicatricem curando.

Quinto. Rarum est, ut jam diximus, quod Bronchocele in scirrhum convertatur; at si hoc infortunium unquam eveniret, palliativa methodus tantum conveniet, quæ ab omni externa impressione tumorem defendat, tum a frigore ipso, intus remedia diluentia, humectantia, leviterque solventia præscribendo, quæ indurationem aliqua ratione impediant.

Sexto. Dicerem eamdem medelam esse prosequendam, cum tumor carcinomatosus fiat, sed cancer nullam plerumque modificationem admittit; etenim si valde progrediatur, amputatio necessario institui debet. Hac de causa tumore semel aperto lapidis caustici ope, atque effusa materie, quidquid carcinomatosi supererit, forcipe rescindi oportebit; reliquum vero folliculi escharoticis consumendo, in progressu ulcus vulgari ratione pertractabitur.

At si cancer alicui parti adhęreat, quæ rescindi nequeat, quod valde pertimescendum est, morbus desesperatus erit, & quamvis progressus compescantur, tandem letalis evaserit. Sed plerumque rarissimum est, quod Bronchocele in scirrhum, aut in cancrum convertatur.

CAPUT QUINTUM.

De Gummis, & tumoribus gummosis.

Descriptio.

1. HI tumores primum vix conspicui, & prominentes sunt, omnes corporis partes occupant, modo sub cute, modo profundiores circa ossa apparent, quandoque etiam ossibus ipsis adhęrent.

2. In his tumoribus nulla adest in parte affecta caloris, aut coloris mutatio, levis dolor inest, qui sensim tamen augetur, & molestus fit, quando hi tumores profundi sint, & ossibus adhęrentes.

3. Iidem tumores non circumscribuntur, sed manu admota post certam quamdam elevationem insensibiliter ad latera declives fiunt; volumine variant, quandoque vix sensibiles sunt, & solo dolore recognoscuntur, quandoque altitudinem digiti transversi attingunt.

4. Hujusmodi tumores triplicem sedem habent diversam; 1. in tunica cellulari, & tunc tumor sub cute est, quod raro tamen evenit; 2. in musculorum theca, atque aponevrosi, & tunc profundior est; 3. in periostio, aut pericranio quod magis obvium est, & in hoc casu tumor ossibus inhęrens pro exostosi plerumque habetur.

5. Observationes in cadaveribus institutæ ostenderunt hosce tumores a substantia quadam efformari, compacta, homogenea, uniformi a larido, sapone, aut caseo batavo, haud absimili: sed ut melius dicam, observationes docuerunt hos tumores nil aliud esse, quam membranas ipsas in his partibus constipatas, & supra dictas notas offerentes.

6. Plures observationes circa hanc rem afferre possem, sed sequens sufficere videtur, ut horum tumorum indoles innotescat; ipsam habui a D. Sebire D. Medicinæ eruditissimo, qui summa cum laude artem exercet Maclovii.

Mulier annorum 62. ætate constituta emicraniis obnoxia evasit, circa orbitam indurationem, atque stuporem persentiebat, dexteram omnem capitis faciem occupantem, verum sęvis doloribus cruciabatur in oculo ejusdem partis, quamvis sanus videretur, sed ipsę sensim, sensimque contorquebatur, & protuberans extra orbitam versum sinum subciliarem propellebatur, posteaquam visus, motusque abierunt.

Hæc phenomena originem habuerunt ab orbitæ tumore exiguo primum, qui tamen in diem auctus post trium annorum spatium ægrotanti mortem attulit.

Symptomata concomitantia fuerunt hęmorrhagiæ narium profusæ, frequentes in cerebro inflammationis minæ, sed præ reliquis molestissimę fuerunt integra pene visus abolitio, surditas, & deglutitionis difficultas.

Post mortem pro singulari morbi causa recognoscenda cadaver dissecuerunt repererunt tumorem orbitę dexteræ sex ad septem circiter lineas supra nares protendi, dimidium orbitæ occupare, ita ut oculum expelleret, verum descendere usque ad alveola, ut maxilla superior inferiori ultra pollicem superstaret, tandem palati fornicem jam complanatum esse, & alveola sinistri lateris tumore repleri.

Hic tumor caput penetrabat, ubi ad magnitudinem nucis prominebat circa sellam turcicam jam consumptam usque ad apophisim petrosam, & magnum foramen spinale occiputis, ubi pene tertiam partem circumferentiæ eroserat.

Idem

Idem tumor ſolverat, & in propriam ſubſtantiam converterat omnes nervos, vaſa, atque membranas, quas in iter ſuum offenderat, ut unicam maſſam conſtitueret ad cerebrum uſque pertingentem.

Subſtantia hujus tumoris compacta, erat albida caſeo haud abſimilis, minus alba, minuſque dura apparebat circa cerebrum, ubi glandularum naturam æmulabatur.

Cauſæ.

Fruſtra inquiremus apud veteres Græcos, aut Latinos Scriptores hujus tumoris notionem (a) cum ipſe ſubſequatur luem veneream, quæ Veteribus incognita erat; hujuſmodi tumor membranarum reſpectu idem eſt, ac exoſtoſes oſſium reſpectu.

Lympha nutriens a fomite celtico inſpiſſata, & in aliqua membrana detenta fibras tendineas, quibus ipſa componitur, paulatim emollit, & earum ſubſtantiam ingrediens per exceſſum nutritionis tumefacit. Huic priori incrementi gradui alter ſuccedit eadem de cauſa ſecundo, tertio, & ſic de cetero, ut pars affecta ſenſim extendatur, atque indureſcat.

Hujuſmodi ſucceſſiva incrementa, quæ membranas inflant, abſque quo inflammationem, aut abſceſſum faciant, a fomite venereo producuntur, lympham inficientem; debilis tamen & mitioris indolis, vel quod minus deleteria hujus fomitis indoles a conſtitutione ægri procedat, vel ab ægri temperamento, temperantia, exercitio, aut labore, quæ veneni virtutem infringant, jam remediorum uſu in parte labefactatam. Nam ſi virus deterioris indolis fuerit, lympha ipſo imbuta potius quam inflare, per viam nutritionis affectas partes ipſas eroderet, inflammaret, aut in abſceſſum duceret.

Nihilo tamen minus cum lympha viro venereo imbuta generalis cauſa videatur, quæ æquabiliter adverſus omnes membranas agere deberet; patet proinde aliquam peculiarem cauſam adeſſe, quæ majorem actionem in aliquam partem ſpecialiter attrahat.

Cum lymphæ circulus lentus ſit, localis, cauſa leviſſima etiam ſufficiens eſſe poſſet; ut in aliquo loco ejuſdem curſus intercipiatur, ibique actionem generalis cauſæ dirigat.

Hæ peculiares cauſæ innumeræ eſſe poſſunt, ut ictus, contuſio, valida compreſſio, artuum contorſio, morbus cutaneus, ut eryſipelas, herpes, clavus, tandem frigidus aer, pluvia &c. quibus pars expoſita fuerit.

Experientia oſtendit hos tumores gummoſos, frequentius perioſtium, & pericranium oſſibus inhærens, quam membranas, aut aponevroſes infeſtare. Hoc procedere videtur a diſtractione, & preſſione harum membranarum ſub diverſis membrorum, & muſculorum motibus, qui lymphæ circulantis curſum accelerant; quare lympha infecta facilius in perioſtio, aut pericranio ſubſidit, quæ preſſionibus, aut diſtractionibus non fiunt obnoxia.

Quandoque tumor perioſtii, aut pericranii ſeroſitatem ſupra oſſa exprimit, quæ fibras oſſeas emolliendo exoſtoſim gignit. Sed quandoque etiam exoſtoſis ipſa perioſtium, & pericranium, quibus obducitur, comprimendo, atque lym-

(a) Nullam aliam tumoris ſpeciem cognovi, quam quæ relata eſt in Theſi CCVIII. Tomi collectionum Theſium Medicinæ D. Haller. ſub titulo de *Car. Frid. Hundermarck, & Frid. Jacob. Tittmann, Oſteo-ſteatomatis caſus rarior. Lipſiæ 22. Aprilis 1757.* Sed mihi ille videtur, nondum morbi cauſam, & indolem cognoviſſe.

lymphæ cursum retardando gummosam in membranis intumescentiam producit.

Præter tumores gummosos usque adhuc descriptos, quandoque in iis, qui lue venerea afficiuntur, granula glandulosa nonnulla sub cute apparent, quæ luis venereæ Scriptores gummata simul appellarunt; modo hæc granula plena, & solida sunt, & totidem exiguæ glandulæ conglobatæ videntur, a stasi inspissatæ lymphæ turgentes, quæ exiguas strumas æmulantur; modo cava se offerunt, & viscido, atque mucilaginoso humore repleta, & parvulas lupas imitantur, hoc tamen discrimine quod harum involucra vulgaribus lupis densiora sint; recte hujusmodi exigui tumores pro exiguis habentur glandulis lymphaticis tumefactis, ubi lympha, quæ centrum occupat, non induruerit.

Symptomata.

1. Tumores gummosi, ut superius vidimus, a lympha derivant, in aliqua membrana detenta, quæ ibi nimiam nutritionem affert, & densitatem auget: ex eo consequitur nullum necessario expansum humorem latitare, nullumque induratum liquorem, sed membranam ipsam constipatam proprium colorem, & naturalem statum servare, compactamque, & homogeneam permanere, ita ut dum rescindatur, laridum, saponem, aut caseum æmuletur.

2. Hi tumores in centro densiores sunt, ubi lympha primo detinetur, & ad latera insensibiliter extensionem, & densitatem imminuunt, ut lenticularem figuram acquirant.

3. Cum hujusmodi tumores paulatim progrediantur, dolore carent, quia filamenta nervosa per ipsos distributa, levem distractionem patiuntur, quæ dolorem parere nequit.

4. Nihilominus quando tumor perfectus fuerit, a pressione dolor insurgit, quia tunc filamenta nervosa jam tensa oblongantur, & omnibus impressionibus fiunt obnoxia.

5. Generice tumores gummosi periostii, & pericranii majori dolore afficiuntur, quam ii, qui membranas aponevroticas, aut cellulares occupant, quia filamenta nervosa ibi magis tenduntur, & ceteris paribus a pressione ob propinquum os magis distrahuntur.

6. Tumores gummosi suapte natura inflammationis expertes sunt, nam cum paulatim increscant, sanguinis circuitus admodum non intercipitur; hac de causa calor, atque rubor plerumque abest.

7. Sed hi tumores interdum inflammari possunt, si ictui, aut contusioni fiant obnoxii, manibus frequenter, ruditerque contrectentur, aut solventibus cataplasmatis valde torqueantur &c. In his casibus inflammatio superveniens ruborem, calorem &c. inducit

8. Quando tumores gummosi periostii, & pericranii exostosi copulentur, magnopere dolent: quia ossium incrementum tumorem, nervosasque fibras per ipsum distributas valde distrahit; hic dolor frequenter inflammationem inducit, & hæc parit, vel saltem accelerat ipsam cariem.

9. Quando in lue venerea affectis ossa molliora, & turgida fiunt, prout os intumescit, periostium superimpositum gummosum fit.

10. Hanc theoriam prosequendo facile est observationem explicare superius allatam.

I. Tumor gummosus in parte inferiore orbitæ juxta nares producitur, hic seorsim increscens oculum premit, ipsumque ab orbita propellit.

II. Idem

II. Idem tumor dexteram narem intrans per ejusdem longitudinem protensus in palati fornice reptat, ibique ossa inflat, atque emollit, palatumque complanat.

III. Hæc intumescentia ad alveolos ipsos dexteri lateris protrahitur, ut maxilla superior inflata inferiorem ad pollicem superet.

IV. Sed quod magis teterrimum est, hujusmodi gummosus tumor trans suturas in parte dextera basis cranii producitur, usque ad apophisim petrosam ossis temporalis, & foramen spinale occipitis, eaque ossa emollit, membranas, atque nervos lædit, ipsorumque naturam progrediendo, pervertit, ac subinde septimum par, quod acusticos nervos suppeditat, destruitur, ex quo auditus aboletur; pariterque quintum par, quod pharyngis nervos præbet, consumitur, & difficultatem deglutiendi inducit, modo postremum phenomenon ipsi tumori gummoso tribuendum non videatur, qui probabiliter a narium fundo ad œsophagum usque protendi poterit.

Diagnosis.

1. Æger ipse tumores gummosos animadvertere valet; nam dolores, aut molestia ipsum commonefacient, ut admota manu recognoscat aliquam mutationem a statu naturali in parte affecta natam esse.

2. Tunc medicus, sedulo investigando, inquirere debet, præsertim dum tumor incipiens est, si ipse revera adsit, si cum tumoribus scirrhosis conveniat, aut cum glandulis strumosis, quæ tamen circumscriptæ sunt, rotundæ, & ovales, & in his partibus insitæ, ubi glandulæ lymphaticæ, aut conglobatæ abundant, quæ gummoso tumori non conveniunt; item a lupis est distinguendus hujusmodi tumor, qui neque circumscriptus, rotundus, aut ovalis apparet, neque ullam fluctuationem ostendit; tandem erit distinguendus ab exostosi quæ minus dura, magisque extensa videtur, quamvis tamen hujus postremi casus respectu minus periculi hæc confusio intulerit, ut frequenter evenit, quia ipse cum exostosi unam prognosim habet, unamque medelam postulat.

3. Cum de existentia tumoris gummosi certiores facti simus, multiplex ipsius conditio cognosci oportet, si inflammatus sit, quod rubor, calor, atque robur ostendunt; si in abscessum, aut suppurationem vergat, quod fluctuatione cognoscitur.

4. Tumores gummosi membranarum aponevroticarum difficilius distinguuntur, quam ii, qui membranam cellularem aggrediuntur, quia priores profundiores sunt, eademque de causa omnium difficilius patent, qui periostio inhærent, præsertim, si plures musculi ossium obtegant; sed contra illi facillime recognoscuntur, qui dorsum tibiæ infestant, aut pericranium deturpant.

5. Potissimum enim nosse oportet, si ossa, quæ tumores gummosi cooperiunt, cariata fuerint, quod manifestant dolor, calor, & mollities centri tumoris, sed præsertim fluctuatio, quæ inflammationem subsequitur.

Prognosis.

I. Tumores gummosi simplices sunt, vel symptomatici luis venereæ, ac proinde periculum habent hujus postremi affectus, sed cum inflammatio, suppuratio, aut caries absint, periculo plerumque vacant.

II. Luem veneream profligando, etiam gummata plerumque evanescunt, ut etiam

etiam exoſtoſes modo recentes ſint; ſed ſi affectus inveterati fuerint, & lympha valde induruerit, frequenter non reſolvuntur, in hoc caſu volumine imminuuntur, duriores fiunt, amplius non increſcunt, & abſque noxa feruntur, ut exoſtoſes, quæ frictionibus reſiſtunt.

III. Tumores gummoſi inflammati periculoſi ſunt, quia facile in abſceſſum convertuntur, & abſceſſus hujuſmodi magis periculoſi evadunt, quia oſſium cariem pene ſemper producunt.

IV. Gummata pariter, quæ exoſtoſi conſociantur, valde periculoſa ſunt, quia ſæpiſſime oſſium cariem faciunt.

V. Sed omnium periculoſiſſimi ſunt tumores, qui jam confirmatam cariem cooperiunt, qui promptum, atque efficax auxilium poſtulabunt.

Curatio.

Gummata, ſive tumores gummoſi ſub tria ſtadia diverſa pertractari poſſunt. 1. Quando ipſi ſimplices ſunt, videlicet inflammatione, abſceſſu, aut carie non laborant. 2. Quando inflammati apparent cum periculo ſuppurationis. 3. Quando jam in ſuppurationem converſi ſunt, vel caries adſit ſubtus poſiti oſſis.

I. In *priori* caſu unica methodus gummata efficaciter profligandi, tum inveterata, cum recentia, eſt mercuriale linimentum admovere, ut ſubacta lue venerea, tumores gummoſi abeant, qui ab ipſa naſcuntur.

Hac de cauſa æger diſponitur venæ ſectione, & purgatione, ipſum bis in die, per decem aut duodecim dies, tepenti balneo madefaciendo; poſtquam quod frictiones mercuriales vulgari ratione adminiſtrantur, ſecundo, aut tertio quoque die ad doſin pro ſingula frictione drachmæ unius cum ſemiſſe, duplicis drachmæ, aut duplicis drachmæ cum ſemiſſe linimenti, quod componitur ex partibus æqualibus mercurii extincti cum terebinthina, & adipe ſuillo.

Hæ ſunt regulæ generales frictiones adminiſtrandi, ſed variant multiplici ratione, prout ætas, vires, ægri conſtitutio, gradus, & vehementia morbi, ſymptomatum indoles, & effectus mercurii poſtulaverint, circa quod tractatus pervolvite, qui de lue venerea curanda agunt.

Inſuper præter univerſales frictiones eadem ratione tumor gummoſus erit obliniendus eodem linimento.

Hac methodo per reſolutionem plerumque diſſipabitur tumor gummoſus, modo recens ſit, & lympha nondum maximam duritiem adepta fuerit; at ſi tumor nihil, vel parum mercurio obediat, ſaltem hac ratione exſiccabitur, & ulterior progreſſus impedietur, quod ægrotanti ſufficere debebit.

Sub frictionum uſu exoſtoſes etiam interdum evaneſcunt, modo recentes ſint, parumque induratæ, frequenter tamen parum imminutæ ſuperſunt, quo in caſu pariter erit acquieſcendum, modo tamen exoſtoſes non doleant.

Ceteroquin in exoſtoſibus, quæ frictioni reſiſtunt, applicari poteſt emplaſtrum compoſitum ex Diabotano, de Vigo cum mercurio, & mucilaginibus, æqualibus partibus ſubactis, ut poſt aliquod ſaltem temporis ſpatium exoſtoſis perfecta obtineatur reſolutio; idem emplaſtrum adverſus tumores gummoſos pertinaces pariter adhiberi poteſt, eoque libentius, quia in his caſibus magis valet.

II. Si tumores gummoſi inflammati fuerint, hujus inflammationis reſolutio, aut ſaltem imminutio erit curanda, eodemque tempore parabitur

ægrotus ad frictiones suscipiendas, quæ potissimæ sunt ad morbi curationem.

Primo itaque non una, ut in vulgaribus casibus, sed duæ, vel tres venæ sectiones erunt instituendæ, ut fervor inflammationis compescatur; eodemque tempore parti affectæ admovebitur cataplasma de mica panis cum lacte, quod renovabitur ter intra viginti quatuor horas, & balnea bis in die administrabuntur absque purgatione, cataplasmata removendo, cum æger balneum intraverit, si ipsum tamen partibus madefaciendis adhæreat.

Hæc remedia vehementiam inflammationis plerumque compescunt, neque prætermittitur altera venæ sectio, modo parumper pars affecta caleat, aut doleat, ut æger tutius purgari queat.

His cautelis præmissis frictiones mercuriales super allata methodo subministrantur.

Hujusmodi frictiones, tum universales, cum locales continuantur, usque dum inflammatio, & dolores evanescant, tumor gummosus imminuatur, aut resolvatur, atque reliqua phenomena venerea, quæ superessent, penitus dissipentur, donec omnis lues profligata videatur.

At si sub hujus remedii administratione inflammatio, potius quam resolvi, in suppurationem vergat, & abscessum gignat; necessum erit illico tumorem aperire, ne acris puris stagnatio cariem ossis pariat, modo jam incepta non fuerit. Sequenti articulo videbimus, quomodo hæc apertura institui debeat, & quæ in progressu opportuna sint.

II. Si medicus advocetur, jam tumore suppurato, aut frustra his remediis adhibitis, tamen in suppurationem vergat, conveniet ex *una* parte luem veneream subigere, nondum fortassis satis profligatam; ex *altera* protinus abscessum aperire, ne pus afluens ossum cariet, nondum fortasse læsum.

1. Parabitur itaque æger frictionibus mercurialibus, methodo superius recensita, prout morbi gradus postulaverint.

2. Uno, eodemque tempore abscessus aperietur, quod duplici ratione obtineri poterit, cultro nempe, & lapide caustico. Si culter deligatur, qui breviorem præstat viam, simplex incisio instituetur, cum abscessus exiguus fuerit, sed si grandior videatur, duplex incisio, & cruciata erit instituenda, hujus angulos rescindendo: at si præponatur cultro causticus lapis, qui quamvis diuturnus magis, commodior est pro pertractatione hujus morbi, præsertim si caries adsit, applicabitur tunc parti affectæ emplastrum perforatum, cujus foramen respondeat abscessui aperiendo, cui undique emplastrum perfecte adhærere debet; replebitur insuper foramen pluribus frustulis lapidis caustici apparatum cooperiendo multis spleniis exsiccatis, atque idoneo linteolo.

Post tres, vel quatuor horas observabitur, removendo apparatum, quid lapides caustici præstiterint, si ipsi liquati videantur, eschara humectabitur butyro recenti, folia betæ, butyro oblinita super imponendo, quod reiterabitur, bis, terve in die, donec eschara decidat.

3. Cum eschara a circumferentia abradi incipiat, ulceris limbi pulvinis digestivo vulgari imbutis cooperientur, usquedum eschara perfecte destructa, & ulcus detersum videatur; tunc balsamum Arcei conveniet, verum balsamum viride cum ipso etiam Arcei commixtum, sed curandum erit, ne ulcus consolidetur, antequam lues venerea jam satis convaluerit, ut cicatrix persistens sit.

4. Diutius vero morari oportet, si sub abscessu ossis caries existat: in hoc casu evacuato pure, os obducatur pulvino spiritu vini imbuto, aut tinctura myrrhæ, quod renovabitur pluries, ut exfoliatio cariei acceleretur; carnes vero in-

ro increſcentes compeſcentur levioribus eſcharoticis, atque ulceris cicatrizatio impedietur, uſque dum exfoliatio perfecta fuerit.

5. Neceſſum pariter erit ſi exfoliatio ſegnior ſit, oſſi cariato ferrum candens admovere, exfoliationem patienter expectando, antequam ulcus firmetur; interea æger refocillari poterit lactis uſu, modo ipſum ſtomachus ferat.

CAPUT SEXTUM.

De Tumoribus ſebaceis aut ſarcomatis.

Deſcriptio.

I. IN qualibet corporis parte tumores gignuntur rotundi, aut ſaltem ad figuram hujuſmodi valde accedentes, nulla cavitate præditi, indolentes, molles, & facile compreſſioni cedentes abſque magno conatu, ut reſtituantur, qui nullam mutationem, nec caloris nec coloris affectæ parti inducunt.

II. Hi tumores diverſæ ſunt magnitudinis, aut, ut melius dicam, per plures magnitudinis gradus procedunt. Alii exigui ſunt, ut piſi; alii grandiores, ut caput infantis æmulentur: non una celeritate increſcunt; alii ſegniter; alii celeriter ingrandeſcunt.

III. Nulla eſt corporis humani pars, quæ hoc affectu expers evadat; cutem deturpant, quæ externum corporis habitum obducit, cavitates omnes ſarcomata intrant, ut nares, ubi appellantur polypi, oeſophagum, ubi impediunt deglutitionem, tubum inteſtinalem, ubi intercipiunt exeuntes fæces, ſed præſertim vaginam lædunt, ubi pro uteri deſcenſu frequenter habentur: hujus ſpeciei ſarcoma feliciter amputavi, quod ſex libras æquabat.

IV. Dum hujuſmodi tumores aperiuntur, aut diſſecantur, poſt amputationem ſolidi reperiuntur, cavitate orbati, ſed tendinearum membranarum interſecatione conflati, quarum interſtitia adipe replentur vulgari denſiori; verum per illos anfractus nervi, & vaſa tum arterioſa, cum venoſa ſatis conſpicua reptant.

V. Poſt hanc deſcriptionem neminem latebit, hanc eſſe membranam adipoſam, ſub cute ubique corporis diffuſam, ipſamque tumefactam, inſpiſſatamque *ſarcomata*, ſive *tumores* recte *adipoſos* dictos producere. Græci, qui minus ipſos perſcrutati ſunt, materiem, qua hi tumores replebantur, pro carne habuerunt, eoſque *ſarcomata* Σαρκώματα appellarunt.

VI. Ea quæ diximus, pertinent ad ſtatum naturalem horum tumorum, ipſi tamen poſſunt, ut reliqui tumores, in inflammationem, abſceſſum, ſcirrhum, aut carcinoma converti.

Cauſæ.

Ex anteactis deducitur tumores hujuſmodi ſebaceos nunquam ab humorum congerie produci, ſed tantummodo a nimia nutritione portionis alicujus membranæ adipoſæ, quæ ob detentum adipem deformiter ingrandeſcit; patente enim materia hos tumores producente, reliquum erit cognoſcere cauſas locales, quæ aliquam portionem hujus membranæ ad detinendum adipem diſponant. Experientia nos docet cauſam hujuſmodi *triplicem* eſſe.

Prior videtur tenuitas cutis in aliquo puncto nata a profundiori ſciſſura ero-

erodente ulcere, tuberculo, aut pustula, vel varioloso suppurato tumore &c. cum hæc cutis portio debilis sit, premit minus membranam adiposam, idcirco lympha minus pressa uberius detinetur, nimis partem alit, adiposumque humorem gignit, quod a continuatione ejusdem causæ in diem increbuerit.

Secunda constrictio est portionis alicujus membranæ adiposæ, ob quam lympha retenta similem prominentiam, sive adipis stagnationem producit; ex eo hujusmodi prominentiæ subsequuntur frequenter dolores circumscriptos, & dolentes ab humore quopiam acri sub cute rarefacto.

Tertia denique labefactatio elaterii partis alicujus ejusdem membranæ videtur producta ab ictu, casu, aut valida compressione; in omnibus hisce casibus lympha a parte affecta debiliter expressa ubertim subsidit, atque nimis, partem nutriendo, adiposam excrescentiam progignere solet.

Hujusmodi tumores supra externum corporis ambitum haud rari sunt, sed frequentius varias corporis cavitates occupant, quia circumposita tunica, quæ substrata latior est, facilius cedit impressionibus causarum superallatarum.

Hac enim de causa similes tumores nares frequenter deturpant, quia earum interior membrana frequenter læditur ab acrimonia humoris in rheumaticis affectibus a cerebro derivati, a nicotianæ caustica facultate, ab introductione digitorum, aut a præpostera pilorum abrasione.

Oesophagus pariter offenditur in transitu transeuntium rudiorum ciborum; intestina pariter post dysenteriam his tumoribus obnoxia fiunt, sed vagina speciatim, quæ scissuris subjecta est a laborioso partu; aut frequentibus manu-stuprationibus.

Symptomata.

I. Initio hujus morbi membranæ adiposæ affecta pars nimis alta levem, & superficialem tumorem gignit, sed hic cito ingrandescit, & deformis fit, ut superius enuntiavimus.

II. Hoc augmentum plus, minusve celere est, prout vasa sanguinea in affecta parte magis, vel minus extenduntur, vel suapte natura grandiora sunt, quia utrumque majorem copiam lymphæ nutrientis in hanc partem derivat.

III. Quandoque hujusmo i excrescentiæ cum ad certam magnitudinem pervenerint amplius non crescunt, quod evenit, quando producentes causæ ab actione sua desistunt; videlicet quando elaterium restitutum fuerit, aut cutis certo gradu distensa, ulterius distrahi renuat.

IV. Quandoque hi tumores cuti adhærent crasso, & brevi pediculo, quandoque oblongo, & exili, quæ differentiæ dependunt a distractione membranæ cellularis, quæ in affecta parte jam inflatur, & a latitudine cutis ibi increscentis.

V. Hujusmodi prominentiæ molles sunt, ut reliquæ pinguedinosæ corporis partes, quod mirum non est, cum unam cum ipsis structuram habeant, firmiores tamen nonnihil apparent, magisque elasticæ, quia fibræ tendineæ crassiores evadunt, relate ad uberiorem susceptam nutritionem.

VI. Hi tumores indolentes sunt, ut reliquæ pinguedinosæ partes esse solent, quia per adipem rara serpunt filamenta nervea.

VII. Cutis, quæ hasce prominentias obtegit nullam initio morbi mutationem patitur, eamdem tenuitatem, & colorem servat, quia sanguis liberam circulationem retinet; sed cum hujusmodi prominentiæ grandiores factæ fuerint,

sint, atque admodum inveteraverint, cutis densior, magisque rubicunda fiet, quia sanguinis circulus tunc a volumine tumoris intercipitur.

VIII. Quandoque ob causas accidentales, ut superius exposuimus in *praecedenti capite*, tumores adiposi, etiam in inflammationem incidunt, aut in abscessum, scirrhum, & carcinoma desinunt.

IX. Quando diligenter hujusmodi tumores rescinduntur, grandiores praesertim pauca tum vasa sanguinea, cum nervosa filamenta reperiuntur; at nullus est admirationi locus quia illa tantummodo reperiri debent, quae exigua copia per membranae cellularis portiunculam percurrere solebant, quaeque membranula increscens totum volumen tumoris pepererit.

Diagnosis.

Ipsa evidens est, quia visus, atque tactus horum tumorum existentiam, indolem, magnitudinem, duritiem, nexusque declarant, ut tuto de hoc morbo praenuntiari possit. Quoad causas attinet, quae hos tumores produxerint, difficulter patent, sed harum cognitio parum confert, quia nec prognosim proinde, nec medelam mutare valet.

Prognosis.

1. Generice tumores adiposi, sive sarcomata simpliciter subcutanea periculo vacant, sed pro volumine, & pondere molestiam afferunt, & deformia evadunt, quando in conspectu sunt.

2. Sarcomata quae aliquam cavitatem occupant, pertimescenda valde, & periculosa frequenter sunt, ea proinde quae nares, oesophagum, tubum intestinalem, aut vaginam deturpant incommoda admodum evadunt, quia alicui functioni necessariae officiunt; imo perniciosa fiunt, si deglutitionem in oesophago, aut fecum excretionem in intestinis impediant.

3. Tumores adiposi, inflammati, suppurati, scirrhosi, aut carcinomatosi horum morborum periculum sequuntur.

4. Ceteris paribus sarcomata, sive tumores adiposi eo deteriores fiunt, quo grandiores, aut vetustiores sunt, vel eorum adhaesiones breviores, & latiores evadunt; omnium perniciosissimi esse solent, qui aliquam cavitatem occupant, ubi nullus est amputationi locus.

Curatio.

Sarcomata modo exigua sint, non sunt rescindenda, praesertim cum amplius non increscant;

Sed extirpari debent cum in conspectu sint, deformia appareant, grandiora fiant, ac potissimum si in abscessum, aut scirrhum vergant, vel carcinoma minentur; quandoque hujusmodi prominentiarum pediculum arcte vinciendo duplici crine equino, aut filo serico circumducto, casus horum tumorum acceleratur; cum animadvertatur vinculum relaxari ab exsiccatione pediculi alterum vinculum arctius instituitur, quod reiteratur pluries, donec tumor decidat, vel levissima incisione abradatur. Sed haec praxis pluribus incommodis est obnoxia. 1. diuturna, & dolorosa est 2. refluxum sanguinis intercipit, & inflammationem in tumore producit, 3. nedum convenit quando pediculus

crassus, & durus sit. 4. relinquit tamen circa pediculi adhæsionem callositatem, quæ tumorem sæpe reproducit.

His de causis hujusmodi methodus obsolevit, & amputatio ipsi substituitur. Sinistra manu igitur tumor sumitur, sublevaturque; dextera vero cultro armata tumoris pediculus prope cutim rescinditur; post incisionem, rescissa pars inquiritur, ut recognoscatur, si ulla callositas supersit, in quo casu pars scarificatur, ut uberior suppuratio superstites callositates facilius resolvat; si post incisionem nullæ, vel exiguæ callositates appareant, parum vel nihil incisiones protrahuntur. His rebus peractis vulnus spleniis exsiccatis, & compressa vino rubro imbuta obtegitur, fasciis apparatum firmando, quo remoto, & ulcere patente vulgari methodo ipsum pertractatur, nempe digerenti, balsamo Arcei, atque tandem pauco balsamo viridi cum spleniis siccis, ut cicatrix promoveatur, identidem lapide infernali luxuriantes carnes tangendo.

Exiguæ prominentiæ extirpari possunt, nulla prævia præparatione; sed æger erit disponendus, si tumores grandiores fuerint cum lato, & calloso pediculo, vel in abscessum, scirrhum, aut carcinoma vergant.

Hæc præparatio importat, venæ sectionem, atque purgationem, tum sumptionem per quindecim, aut viginti dies decoctionum pullorum, aut vituli cum plantis temperantibus, ac antiscorbuticis serum lactis cum iisdem plantis ebullitum ægrotis exhibendo.

Usque adhuc de externis sarcomatis locuti sumus; de reliquis internis pro eorum diversa natura, aut positu curatio variat: variæ sunt rationes itaque extrahendi narium polypos, nulla est extirpandi sarcomata œsophagi, aut tubi intestinalis, difficulter denique vinciuntur, aut secantur illa vaginæ, circa quod opus *de morbis mulierum* pervolvi debet.

CAPUT SEPTIMUM.

De Emphysemate.

Descriptio.

I. QUandoque, ut infra observabimus, sub cute specialis aeris intumescentia gignitur, quæ paulatim quaquaversus, & nisi medeatur, integrum corporis habitum tumefacit.

II. Partes hoc affectu correptæ colorem, caloremque naturalem servant, ac tantummodo adipe turgidæ apparent.

III. Sed si premantur, tumefactæ conspiciuntur, prementi digito facile cedunt, citoque restituuntur, a pressione leve murmur persentitur, quod produci videtur a detento aere sub digiti pressione effugiente.

IV. Non decipimur enim hunc tumorem effectum judicando aeris in cellulis membranæ adiposæ contenti, qui pressus per plures cellulas pertransiens, per proximiorem hiatum tandem erumpit.

V. Hæc tumoris species a Græcis *emphysema* appellatur Εμφύσημα, videlicet *inflatio*, a Latinis vero dicitur *tumor flatuosus*, aut *flatulentus*: nunc utroque utimur nomine, sed illo *emphysematis* frequentius.

Causæ.

Emphysema producitur ab aere e pulmonibus erupto, qui sub cute membranam

nam cellularem intrat, & integrum quandoque corporis ambitum occupat; hac ratione, inter cutem vervecis flando, omne tumescit animal: ex his consequitur emphysema plerumque *triplici* sequenti de causa produci. 1. quando ulcus thoracis cavitatem pertingit, 2. quando vulnus substantiam usque pulmonis penetrat; 3. quando ulcus, aut vulnus oblique thoracem perfodit, angustum relinquendo foramen.

Tunc in inspiratione aeris portio a vesiculis pulmonaribus exiens, per vulnus pertransiens, capacitatem thoracis intrat, & per vulneris aperturam erumpit. Sed cum vulneris obliquitas, aut super imposita splenia quandoque aeris exitum impediant, aer tunc per propinquas cellulas disperditur, ibique expanditur, cum hæc aeris intromissio in singula expiratione duplicetur, aer proinde plures cellulas dilatando emphysema producit, quod undique protenditur, totumque corpus occupat, nisi cito ipsi medeatur.

Huic causæ diversimode modificatæ vulgaria emphysemata referri possunt; novi casum, qui quantumvis videretur ab hac lege aberrare, ipsam tamen confirmat.

Vir quidam aurium affectu correptus laridi fragmentum introduxit, tali pacto, ut amplius retrahi non posset. Laridum hoc putruit, & in *acustico meatu*, & trans *tympanum* fortasse ulcus produxit, quod cutim excoriavit.

Hunc morbum diu parvi fecit, & post aliquod tempus vultus, caput, collumque sub vociferatione præsertim intumuerunt: hunc affectum postea pro emphysemate habuerunt Medici, quod confirmavit levis compressio, ob quam aer per affectam aurem erumpebat. Detectum itaque est sub vociferatione expiratum aerem ab aspera arteria in cavitatem tympani transiisse per aquæ ductum tubæ eustachianæ, ex quo loco sub cute per scissuras ulceris meatus auditorii per integram faciem, caput, collumque extendebatur.

Hoc phenomenon nedum accidebat silente homine, quia respiratio tunc lente per nares perficiebatur, sed contra, dum elata voce loquebatur, promptior, atque uberior expiratio aeris portionem aquæductui suppeditabat, quæ sub cute, ut diximus, per totam faciem perreptabat.

Etenim expiratus aer in hoc casu erat emphysematis causa, quod ostendit nullum dari in corpore emphysema, quod ab expirato aere per cellularem disperso originem non agnoscat.

Symptomata.

I. In Emphysemate introductus aer nihil sanguinis circulationi officit, quare color, atque calor in naturali statu persistent.

II. Nihilo tamen minus si aer in aliquibus cellulis abunde cumuletur, non solum scissuras tunicarum producere poterit, verum vascula nonnulla sanguinea disrumpere, & ecchymoses periculosas parere; sed hoc rarum est, quia nunquam tanta copia aer colligitur.

III. In Emphysemate aer modice cellulas extendit, neque gravem dolorem plerumque excitat, quod fortasse eveniret, si aer ubertim cumularetur; sed hoc rarum esse diximus.

IV. Neque sperandum est, aerem a vasis lymphaticis resorberi posse, quæ tamen facile serum in oedemate quandoque expansum resorbent: quam necessum est ipsum, vel per eandem viam repellere, vel novam ipsi parare.

V. In Emphysemate æger nonnihil torquetur, cum igni appropinquetur aut nimis lectulo calefiat, minus tamen si frigori subjiciatur, nam calor aerem, rarefaciendo cellularum dilatationem auget; frigus vero aerem condensando distensionem imminuit.

Diagnosis.

Emphysema cum oedemate haud confundi potest, quia ab ipso tripliciter differt. 1. emphysema digiti impressionem non retinet, citoque restituitur, quod in oedemate non evenit. 2. in emphysemate cutis resonat pulsata, in oedemate non ita. 3. ab emphysemate cum sibilo aer erumpit, ab oedemate nequaquam.

Prognosis.

Emphysema periculo vacat, præsertim cum parum perduret, alterum tamen periculum habet, illud videlicet, quod a causa vulneris dependet, cujus ipsum est symptoma.

Curatio.

In emphysematis curatione duo sunt attendenda: *alterum* causam removere, ob quam aer sub cute disperditur: *alterum* intromissum aerem ex cellulari membrana evacuare.

Priorem indicationem implet latior vulneris apertura, ut simul imminuta obliquitate, facile aer per hanc viam foras erumpat.

Opus hujusmodi absolvitur unica incisione, cujus magnitudo, ac directio ulceris conditioni, & positui respondeat. Tunc pariter turundis, atque pulvinis vulnus obturari oportet, ut aer per ipsum nullam sibi aperiat viam, quare immediate post maximam expirationem erit obducendum ulcus.

Necessum erit pariter defendere margines ulceris, ubi aer sub cute intrat, compressa satis compacta, & aqua vulneraria imbuta, omnia fasciis firmando.

Sed hæc omnia, nisi postquam introductus aer omnis evacuatus fuerit, convenire videntur, quod est objectum *secundæ indicationis.*

Hac de causa leniter premitur undique manibus, aut linteo emphysema, quod pluries reiteratur, usquedum omnis aer e cute eruperit.

Hoc sufficit pro recenti emphysemate, cui illico medetur, sed cum diu inflatio perduraverit, ut partes proprium elaterium amiserint, ipsum restitui debet, partem affectam madefaciendo decoctione carminativa confecta ex foliis camomelli, calaminthæ, majoranæ, rutæ, seminibus cimini, feniculi, dauci, vel ex baccis juniperi, lauri, aut buxii; embrocationes etiam hac de causa præscribuntur ex oleo lauri, camomelli, philosophorum, aut rectificato cranii humani, itemque viperarum; insuper applicantur emplastra baccarum lauri, carminativa Sylvii, quando partes jam diu tumefactæ fuerint.

Verum si his cautelis invitis portio aliqua aeris superfit post vulneris cicatrizationem, nisi nova aperiatur via, exitus sperandus non videtur, id tamen obtinebitur, vel acu cutem perforando, vel ipsam alte incidendo si opus fuerit, postquam vulnus vulgari ratione pertractatur.

In Emphysemate nulla alia remedia interna sunt necessaria, præter ea, quæ thoracis ulcus postulaverit, nihilominus Auctores nonnulli commendant potum infusionis plantarum vulnerantium helveticarum cum pauco sale *de duobus*; hæc methodus non est contemnenda modo febris absit, & optima thoracis constitutio ipsam sinat.

Ceteroquin Emphysema unicus tumor flatulentus est, qui revera existit. Pneumatocele, & tumores flatulenti genuum ceterarumque corporis partium, de quibus Medicorum plerique pertractant, minime in natura reperiuntur, sed in libris tantummodo exarantur.

L I.

LIBER SEXTUS

De Ulceribus.

CAPUT PRIMUM

Ulcerum generica pertractatio.

Descriptio & Differentiæ.

ULcera sunt solutiones continui in partibus mollibus cum puris effluvio.

Respectu *solutionis continui* ulcera cum reliquis continui solutionibus conveniunt, videlicet cum scissuris, & vulneribus partium mollium, fracturis, atque carie partium solidarum, & ossium; sed respectu *solutionis continui partium mollium cum puris fusione* ab utrisque differunt, & morbi genus speciale constituunt a reliquis similibus satis distinctum.

Ulcerum differentiæ citra opus a Medicis multiplicem divisionem adeptæ sunt. Distinguuntur enim quoad horum *extensionem* in *magna* & *exigua*; quoad earum *cavitatem* in *superficialia*, & *profunda*; quoad *partem affectam* in *externa*, & *interna*; relate ad *perdurationem* in *recentia*, & *inveterata*; relate ad *configurationem* tandem in *rotunda*, *oblonga*, *lata*, & *angusta*, *directa*, atque *obliqua*.

Hujusmodi distinctiones tamen nullam mutationem pariunt, circa ulcerum pertractationem, neque circa ipsas morari necessum est; differentias enim potius attendere debemus, quæ a phenomenis concomitantibus, aut a morbis, cum quibus ulcera complicantur, deduci possunt; hac enim de causa ulcera modo *benigna* sunt, sive *simplicia*, aut *maligna*; modo *sicca*, quæ parum, vel nihil in suppurationem convertuntur, aut *putrida*, quæ nimis putrescunt; modo *fungosa*, modo *fistulosa*; illa insuper veniunt consideranda, quæ ad ossa pertingunt, eaque cariant, quæ pertinacissima sunt, atque tandem, quæ difficillime cicatrice obducuntur.

Non est hic ostendenda specialis singulorum ulcerum indoles, quam sejunctim sequentibus capitibus explicaverimus.

Ceteroquin hic reticenda sunt ulcera *gangrænosa*, de quibus cum gangrœna *lib.* 1. *cap.* 3. egimus. *Carcinomatosa*, de quibus ubi de cancro aperto *lib.* 4. *cap.* 2. locuti sumus, atque *strumosa*, quæ cum strumis explanavimus *lib.* 5. *cap.* 1. Ulcera tandem *venerea*, & *scorbutica* hic locum non habent, sed in peculiaribus tractatibus, qui de his morbis habentur.

Sedes.

Ulcera externa, de quibus potissimum hic agitur, lædere possunt, 1. solam cutim: qualia sunt *erysipelatosa*, & *herpetica*. 2. possunt membranam cellularem deturpare; talia sunt ulcera erisypelatosa, quæ sub cute repunt, & plura alia

 mul-

multiplicis generis. 3. possunt cum cuti, & membrana cellulari etiam musculos aggredi, qualia sunt illa, quæ abscessus, aut vulnera grandiora subsequuntur. 4. Tandem aponevroses, & tendines lædere possunt, qualia sunt vulnera profunda, sinuosa, aut fistulosa. Sed quælibet pars ab ulcere fædetur, vel cutis simpliciter, in ulceribus tamen scissuræ semper habentur vasorum capillarium, arteriosorum, venosorum, lymphaticorum, atque filamentorum nervosorum, quia hujusmodi vasa, atque filamenta confertim undique diffunduntur, ut minima etiam scissura plura eorum lædere valeat.

Quæ de externis ulceribus dicta sunt, ad externa pariter pertinent; quando ulcera stomachum, intestina, vesicam, aut uterum infestant. Nam ulcera, quæ in his cavitatibus nascuntur, possunt tantum superficiem tunicarum afficere, & tunc superficialia dicuntur, immo *exulcerationes* tantum appellantur, sed cum intimius permeent, non solum priores tunicas erodunt, verum profundiores, & profundius collocatas.

Causæ.

Ulcera triplicem causam agnoscunt.

Prima ab abscessu dependet, quacumque de causa oriatur, vel ab inflammatione suppurata, vel a contusionibus; aut *ecchymosibus*, vel a vomicis, aut tumoribus cisticis &c. semel enim abscessu disrupto sponte chirurgi ope, aut caustici combustione statim nomen ipse mutat, illumque ulceris suscipit.

Secunda a vulneribus originem agnoscit a quacumque causa natis, vel ab instrumentis secantibus, vel a sclopetis, donec sanguis fluat, aut inflammentur tantummodo, nomen & naturam vulnerum retinent, sed cum aliquid saniosi, aut purulenti fluere incipiat, *ulcerum* nomine pollent.

Tertia, ab erosionibus derivat; quæ alicujus partis superficiem corrodunt, vel ab humore acri in aliquam corporis partem affluenti producantur, vel ab ignis, olei ebullientis, ceræ fusæ combustione, aut causticorum applicatione.

Diagnosis.

Ulcera haud difficulter recognoscuntur modo animadvertatur quamlibet solutionem continui in parte molli cum puris effusione ulcus esse.

Ulcera diversa extensionis, cavitatis, partis affectæ, perdurationis, aut figuræ respectu statim conspiciuntur.

Quoad reliquas differentias majoris momenti, quæ speciatim magis ad hunc tractatum attinent, earum signa diagnostica infra afferemus.

Variæ ulcerum causæ, atque diversæ superallatis descriptionibus satis patent.

Prognosis.

Quamvis multum valetudinis spes supersit in plerisque ulceribus, quæ juvenes homines, & bene constitutos aggrediuntur, præsertim si accidentalia sint, caute tamen erit pronuntiandum de iis, quæ subjecta ætate constituta, & cachetica vexant, præcipue cum sanguinis vitium suspicemur, sequentibus capitibus vero singulorum prognosim ostendemus.

Cura.

Curatio.

In ulcerum pertractatione *quattuor* diversa *stadia* habentur, quæ cognoscere, atque distinguere magnopere confert, a quibus integra valetudo dependet.

Hæc stadia sunt *suppuratio*, *detersio* sive *mundificatio*, *reproductio* carnis, tandem *cicatrizatio*.

I. In quolibet vulnere habetur continui solutio; ergo in omni vulnere plura sanguinea, & lymphatica vasa infringuntur, hæc vasa per sectionem contenta fluida emittunt, & vulnus tunc sanguine manat. Sed cum hæc vasa cito ob tunicarum elaterium occludantur, effugientem humorem retinent, atque magis inflantur, ut vulneris margines statim inflammentur.

Sed in hoc statu arteriæ quæ circa margines illęsæ superenint, valide pulsando propinquas dissectas arterias sanguine turgidas succutiunt, ac contentum cruorem resolvunt, & successivas mutationes producunt, quæ necessariæ sunt, ut pus efformetur. Circa hanc rem, & earum mutationum leges erunt pervolvenda, quæ superius enunciavimus *lib.* 1. *cap.* 2.

In suppuratione vulnerum, combustionum, atque erosionum cunctari oportet, donec inflammatio pręcesserit, quæ suppurationem inducit, sine qua continui solutio ulceris nomen nondum meretur; in abscessu tamen cum suppuratio jam incepta sit, dum ipse aperitur, continuat simul ut ab aperto abscessu statim *ulcus* oriatur.

II. Detersio sive mundificatio ulcerum suppurationem sequitur, prout putredo, ichor, & livida stigmata decidunt, aut destruuntur, ac proinde carnes relinquunt in ulceris cavitate detersas, & roseo colore refertas.

Ut hæc mutatio eveniat, necessum est, 1. exiguos, grummos densiores, & viscosos abradere, quibus ulcera sunt referta, 2. extirpare sanguinis concrescentis globulos, quibus interior uteri facies est interspersa, 3. & quod difficilius est, filamenta destruere, quæ a variis ulceris punctis pendent, quæ sunt reliquiæ vasorum sanguineorum, aut lymphaticorum, filamentorum nerveorum, membranaceorum, ac tendinosorum, quæ una extremitate adhuc adhærent.

III. Carnium regeneratio opus naturæ videtur, quod in continui solutione incipit tempore etiam suppurationis, & detersionis, quæ tamen magis patet post perfectam absterfionem; tunc carnes sub naturali forma exurgunt roseæ, firmæ, & granulosæ: ipsæ enim sensim increscunt, & cavitatem ulceris insensibiliter implent, donec ad libellam cum partibus propinquis se ponant. Hic reticebimus, qua ratione carnium reproductio perficiatur, nam hujusmodi perquisitio a nutritione deducitur, quæ ad Physiologos pertinet, & extra rem videtur: fas erit tantum animadvertere, quod validissimis rationibus fulcitur, hoc augmentum per simplicem explicationem, aut expansionem vasorum capillarium fieri, atque nervorum, filamentorum, tendineorum membranaceorumque, quæ limina ulcerum componunt, tali pacto tamen, ut prout hujusmodi partes producuntur, pari ratione nutriantur, inspissenturque per appositionem lymphæ nutrientis, donec continuata productione ulcerum cavitatem sensim repleant.

Hac methodo facile cognoscitur,

1. Quomodo in cicatricibus habeantur arteriæ, venæ, vasa lymphatica, & nervosa filamenta, nam cicatrices ab extensione, sive productione eorum perficiuntur.

2. Quo-

2. Quomodo in cicatricibus vasa & nervi rariores esse debeant, quia vasorum, & nervorum numerus minor erat in sana carne, quam in cicatrice obducta.

3. Quomodo hæc expansio nunquam valeat partes organicas semel destructas reproducere, ex quo in ulceribus membrana cellularis sive adiposa, reticulum Malpighianum, & fibræ musculares nunquam reproducuntur. Sed quocumque modo carnium regeneratio perficiatur, id naturæ tribuendum est, & ars nostra tantum obstacula removet, quæ naturæ molimen retardarent.

IV. In cicatrizatione nova cutis, sive cicatrix progignitur, quæ sensim sensimque natas carnes obducit, & affectam partem in naturalem statum reducit. Plerumque enim cutis reproductio circa margines ulceris initium habet, eaque serius, vel citius progreditur prout carnes magis, vel minus æquales, & consolidatæ fuerint. Quandoque plura cicatrizata stigmata in medio ulceris apparent, quæ totidem germina videntur, cito cum propinqua cuti coeuntia.

Cum diligenter modum perscrutamur, quo cicatrix efformatur, crediderimus fibras tendineas, aut membranaceas simul junctas, atque condensatas sensim cicatricem reproducere.

Hic frustraneum erit remedia ostendere, quæ suppurationem promovent, detersionem inducunt, regenerationi carnium favent, aut cicatricem determinant. illa sequentibus capitulis enunciabimus, cum varia odbstacula ostenderimus, quæ in ulcerum pertractatione occurrunt, & quibus mederi oportet, ut naturæ molimen perficiatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Ulceribus benignis sive simplicibus.

Descriptio.

Ulcera *simplicia*, *benigna* seu *boni moris* illa sunt a Græcis Ἕλκη εὐήθη appellata, quæ nullum periculosum symptoma comitatur, habent convalescunt, modicum, & laudabile pus fundunt, facile deterguntur cito carnes optimæ notæ reproducuntur, & firma cicatrice obducuntur.

Juvat hujusmodi ulcera perfecte cognoscere, eorumque proprios characteres, ut e converso his conditionibus deficientibus *maligna* ulcera, sive *mali moris* a Græcis Ἕλκη κακοήθη, nuncupata perfecte recognoscantur, juxta illud vulgare effatum *rectum est sui index, & obliqui.*

Causæ.

Ut ulcera benigna sint, & supra expositas conditiones præseferant, sequentia necessaria sunt.

Primum, quod ulcus cujuslibet speciei cutim, membranam cellularem, & musculorum ad summum substantiam offendant, tendines, & ossa intacta relinquendo.

Secundum, quod pus in ulcere natum sive melius ex parietibus erumpens optimum sit, laudabile, neque morbum augeat, aut valetudini officiat.

Tertium, quod carnes facile, & prompte restituantur, firmæ sine duritie, & granulosæ appareant, roseoque colore refertæ.

Quar-

Quartum tandem, quod humor nutritius ex parietibus erumpens post ulceris detersionem tenuis sit, facile concrescens, qui partes nutrire valeat.

Ex his quatuor conditionibus prior ulteriori explicatione non est indiga, facile apparet ipsam dependere a positu abscessus, qui ulcus progignit, aut ab inflicto vulnere plus, minusve profundo: reliquæ tres conditiones magis specialem declarationem postulant, quam breviter ostendemus.

I. Pus ut laudabile sit *album* esse debet, *spissum*, *leve*, *æquale*, *acrimoniæ expers*, neque *graveolens*.

Hæ qualitates in pure non reperiuntur, nisi hoc ex sanguine bene constituto procedat, ut superius explicavimus *lib.* 1. *cap.* 2. Pars enim gelatinosa sanguinis, quæ pus sola gignit, cum alba, spissa, levis, æqualis, homogenea, acrimoniæ expers, neque graveolens sit; easdem qualitates puri communicare debet, cum & ipsa nullo deturpetur vitio, quo nunquam deturpabitur, quando sanguis bene constitutus fuerit.

Pus nunquam ab his conditionibus deflectit, nisi uberiori lympha irroretur, quæ ipsum serosum reddit, vel a floccis fragmentisque ex suppuratione procedentibus fœdetur, quæ ipsum inæquale, grummosum facit, aut sanguinis guttis inficiatur, ex quo nigrum, saniosum evadit, vel putredine propinquarum partium deturpetur, ut graveoleat, denique cum ex acrimonioso, & salito sanguine oriatur, ex quo & ipsum corrodens fit.

II. Carnes ut bene constitutæ appareant, molles esse debent, necessario tamen elaterio superstite, & vasis capillaribus refertæ, per quæ sanguinis & lymphæ circulus libere sequatur, item oscillationes vasorum fibrarumque ordinate peragantur; tandem necessum erit quod lympha nutritia idoneas conditiones præseferat.

Hæc omnia in subjectis naturaliter bene constitutis reperiuntur, ubi partium textura firma, mollis, & elastica est; tum sanguis atque lympha nullum vitium ostendunt: hujusmodi conditiones enim in infantibus, & juvenibus facile observantur; sed in senibus plerumque deficiunt, quia fibræ rigidæ nimis sunt; vasa capillaria magna ex parte obliterata, atque spissior lympha; ex eo enim in senibus carnes lentius regenerantur, & inferioris notæ.

Citra ætatem etiam id frequenter evenit accidentalibus de causis; cum sanguis enim lympha exuberet, carnes molliores erunt; contra vero si sero depauperabitur, carnes compactiores exurgent; si serum abundet nimis, aut valde deficiat, vel confertiores, vel pauciores carnes regenerabuntur. Si acrior fuerit lympha ab ipso derivata, potius quam optimas carnes producere, reproductas destruet, quod pariter eveniet, dum sanguis lue venerea, aut scorbutica inficitur.

III. Tandem lympha nutritia fibrarum anfractus intrans, non solum ipsas replet distenditque, verum ob hanc dilatationem insensibiliter repetitam fibras auget, atque carnes reproducit. Tres status plerumque diversos hæc lympha habere solet. 1. quando tenuis est & roris modo exiliores meatus penetrat, & tum *Ros* appellatur; 2. quando paulatim inspissatur ab hiatibus erumpens, quo progressa erat, & tunc *Gluten* dicitur. 3. quando magis inspissatur, & in fibrosam substantiam convertitur atque *Cambium* proinde vocatur, ex quo barbarum illud nomen *cambiare* derivat.

Uno verbo certum est pro carnium regeneratione ulcerumque valetudine lymphæ copiam satis idoneam esse necessariam, ipsamque acrimoniæ expertem, tenuem, penetrantem, satisque viscosam esse debere, ut gradus illos spissitudinis

nis adipiſcatur, per quos facile in fibroſam ſubſtantiam convertatur; ergo patet hujuſmodi lymphæ qualitates a copia, & conditione ſanguinis derivare; ut ſi ipſe inops, aut male affectus fuerit, & ipſa lympha inferioris notæ prodierit.

Ex his concludi poterit ulcera benigna eſſe, 1. relate ad eorum poſitum, & extenſionem. 2. ad qualitatem, & conſtitutionem naturalem carnium. 3. atque ad ægrorum ætatem, ſed potiſſimum relate ad quantitatem, & qualitatem ſanguinis, qui hanc lympham ſuppeditat ad ulcerum regenerationem deſtinatam.

Symptomata.

I. In ulceribus benignis ſuppuratio brevis eſt, quia pus erumpens dulce eſt, neque laceſſit, neque erodit parietes ulceris, neque diu producit ejuſdem fuſionem.

II. Eadem de cauſa ulcera benigna facile deterguntur, quia ex una parte carnes naſcentes compactæ ſunt, minimeque putreſcunt; ex altera pus dulce eſt & nulla ratione corrodit.

III. Pariter ulcera benigna ſtatim replentur, quia carnes optimæ notæ & creſcunt, & perſiſtunt: verum lympha nutritia bene conſtituta eſſe ſolet.

IV. Carnes hujuſmodi cicatrice facile obtegi debent ob productionem fibrarum tendinearum cutis, aut fibrarum tendinoſarum, quæ in ulcus ipſum inſeruntur.

V. Hæc cicatrix firma, & perſiſtens eſſe debet, non ſolum quia bene conſtitutis carnibus adhæret, verum quia ab optima lympha originem trahit.

Diagnoſis.

Ab allata deſcriptione ulcera benigna facile innoteſcunt.

Interdum tamen ulcus, quod ortu ſuo benignum videbatur, in progreſſu tamen malignum obſervatur, quia nova ſigna mali moris deteguntur, aut ſanguinis vitia morbi initio latitantia.

Prognoſis.

De ulceribus benignis favorabiliter prænunciari poterit. Si quandoque diu nos lateat prava ulceris indoles, hoc inſcitiæ tribuendum videtur, ob quam feſtinanter ulcus mali moris benignum prædicaverimus.

Rarum admodum eſt, quod brevi temporis ſpatio ſanguinis qualitas mutetur, ut malignum ulcus reddat, quod initio benignum erat; ſed frequenter decipi volumus a dubiis indiciis favorabiliter ſanciendo de ſanguinis conditione, & potius quam præceps judicium accuſare velimus, de repente ſanguinis qualitati mutatæ malignitatem tribuamus.

Curatio.

In pertractatione quorumlibet ulcerum, ac proinde ulcerum benignorum etiam, quattuor ſtadia ſunt diſtinguenda, ſuppuratio, mundificatio, carnium regeneratio, & cicatrizatio, ut in ſingulis caſibus idonea deligantur remedia.

I. In

I. In suppuratione *duo* sibi erunt proponenda: *primum*, relaxare ulceris fibras, quæ inflammatæ, & contractæ esse solent. *Secundum* oscillationes vasorum, fibrarumque excitare ut suppuratio promoveatur, & depleantur vasa turgentia ulceris.

Ad hæc objecta absolvenda suppurantia communia adhiberi solent, ut unguentum basilicum, & reliqua digerentia, quæ plerumque ex terebinthina, & luteo ovorum simul quassatis conflantur.

Cum suppurationem tantum promovere oporteat, basilicum purum adhibetur, aut digestivum cum luteo ovorum &c. At si ulcus inflammetur, aut dolorem pariat, basilicum moderatur uberiori admixtione lutei ovorum cum terebinthina simul, ex qua digestivum confici solet.

Quando ulcera abunde pus suppeditant, minusque laudabile, basilico, aut digerenti vulgari guttæ aliquot tincturæ myrrhæ adduntur, aut myrrha simpliciter in pulverem redacta. Quandoque etiam addi poterit tintura aloe, aut euphorbii, vel parum unguenti ægyptiaci, præsertim cum ulcus flavum & lividum appareat, aut gangrænam minetur.

Non una est hæc remedia adhibendi ratio; etenim si ulcus abscessum subsequatur, statim cavitas pluribus spleniis siccis, mollibus repletur, ut pus effluens absorbeatur. Viginti quattuor horis confectis sponte hic apparatus decidit, & filis ulcus tunc cooperitur imbutis digerentibus, quæ applicari debent absque pressione, & insuper obteguntur pulvinis iisdem digerentibus imbutis; duplici vero linteo spiritu vini madefacto cum idoneis fasciis omnis apparatus firmatur, hanc methodum prosequendo donec suppuratio persistat; quod si uberior fuerit, bis in die renovabitur opus.

Si Chirurgus advocatus fuerit ad recens vulnus pertractandum adhuc sanguine manans, cavitas replebitur spleniis leviter pressis ut hæmorrhagia sistatur, duplici linteo fasciisque circumductis apparatum firmando.

In hoc casu diutius splenia ulceri adhærentia perstant, nihilo tamen secius pulvini digerente imbuti applicari possunt, ut inflammatio compescatur, & suppuratio promoveatur, quæ suppurationem spleniorum fovebit.

In vulneribus ab instrumentis secantibus, aut acuminatis inflictis suppuratio plerumque brevis, & modica est; quia pauca vasa, & paucæ fibræ disrumpuntur, quare in hoc casu plerumque digerentia simplicia cum terebinthina, & luteo ovorum tantum adhibentur; sed in vulneribus a sclopetis natis cum magna habeatur contusio per omne igniti globuli iter, suppuratio diuturna magis, & copiosa esse debet.

In hoc casu enim digerentia magis composita impendi debent cum oleo simul hyperici, pulvere myrrhæ, aloe, euphorbii, aut unguento ægyptiaco.

Numquam his methodis uti in ulceribus benignis necessum est, de quibus in hoc capite est sermo; digerentia enim simplicia magis hic sufficiunt, quæ paulo post eorum applicationem suppurationem imminuunt, & ulcus detergunt, & ecce vobis secundam periodum morbi, quam mundificationem esse diximus.

II. In hoc secundo casu interest carnes firmare jam increscentes, & fragmenta fibrarum exigua abradere jam putrefacta, quæ naturalem colorem increscentium carnium deturpant.

Plura olim unguenta hunc in finem adhibebantur, ut unguentum mundificativum de *apio*, vel illud *Apostolorum*, quæ jam obsoluerunt, invalescit hodie

die balsamum Arcei, quod Medico Hispano debemus, qui scripsit (a) tractatum *de vulneribus*.

In hoc balsamo adeps hirci & gummi elemi locum habent, ac duas indicationes simul implent, quæ in ulcerum mundificatione sibi proponi debent; ex eo enim cum ulcus facile detergatur, ut in ulceribus benignis observatur, utriusque componentis copia imminuitur, ac interdum adeps supprimitur, vel cum balsamo Arcei digestivum vulgare consociatur, ut labefactetur remedii facultas, vel tandem luteo ovorum moderatur.

Ad detersionem fovendam absque ulceris calefactione affunditur sæpe sæpius sive melius ulcus abluitur aqua hordei cum melle rosato, vel infusiones plantarum vulnerariarum, aut aquæ thermales hunc in finem adhibentur, sed hæc auxilia frustranea sunt in ulceribus benignis quæ facile mundificantur.

Detersionis tempore ulcus cooperitur spleniis balsamo Arcei dulcificato imbutis, & cum pulvinis eodem balsamo onustis, linteis super impositis, & fasciis circumductis. Hic apparatus bis in die primis diebus repetitur, sed brevi semel sufficit, ut carnes valeant increscere: en quod *tertia periodus* ulcerum incipit.

III. Superius jam admonuimus carnium regenerationem omnino esse naturæ laborem, artem vero obstacula tantum removere, quæ earum incremento officerent; idcirco attendere debemus conditionem carnium increscentium ut moderentur, atque varientur remedia seligenda.

1. Si carnes compactæ granulosæ, & roseæ fuerint, idonea celeritate crescant, in usu balsami Arcei cunctari oportebit quod dulcificabitur digestivo vulgari idonea dosi commixto.

2. Si carnes nimis crescant, & molles, spumosæ, lucidæ appareant, erunt constipandæ, vel simplici balsamo Arcei, vel unguento ægyptiaco, aut apostolorum parum quandoque balsami viridis addendo.

3. Contra vero si carnes humiles persistent, segniterque crescant balsamum Arcei labefactabis pauco digestivo vulgari, aut luteo ovorum, vel erit imminuenda copia gummi elemi, quod hanc compositionem intrat.

4. Si carnes rubicundæ nimis, & copiosæ fuerint, ut a nimia nutritione evenit, tenui victu æger sustinebitur, aliquas doses etiam Corticis Peruviani exhibendo.

5. Tandem si animadvertatur pravam ulceris conditionem, & regenerationis carnium impedimentum a lue venerea, aut scorbutica procedere, sanguinem inficienti, magis specifica, & appropriata remedia convenerint, quæ alterutrum horum morborum subigant.

IV. Cum tandem ad *quartam* ulceris *periodum* perveniamus, & natæ carnes ad cutis libellam jam videantur carnium superficies exsiccare, nostrum erit, ut subinde firma cicatrix reproducatur.

Communiter in ulceribus benignis splenia sicca, atque rasa usuveniunt ad cicatricem fovendam; sed cum carnes molliores fuerint, remedia magis exsiccantia opportuna sunt epulotica, sive cicatrizantia dicta; hujusmodi sunt Tutia, Cerusa, & Calx plumbi carnibus inspersa, quandoque etiam unguentum adhibetur Tutiæ, pompholygis, aut exsiccans rubrum, vel emplastrum cerusæ combustæ, aut minii.

Haud

(a) Cujus Tractatus titulus est, *De recta curandorum vulnerum ratione, & aliis artis hujus præceptis Lib. II. Francisco Arceo, Fraxinalensi, Doctore Medicinæ, & Chirurgo, Auctore.*

Haud infrequenter maximum cicatricis obstaculum est exuberantium carnium inæqualitas, in quo casu alumen combustum, vel melius levis tactus lapidis infernalis opus absolvunt.

V. In ulceribus benignis, & reliquis omnibus certas leges prosequi debemus: circa eorum pertractationem.

1. Cito ipsis mederi oportet, ne externus aer curationem retardet, quinimo ulcera parumper calefieri necessum erit dum pertractantur; quare omnis apparatus in promptu esse debet.

2. Suppurationis tempore pus in ulcere collectum spleniis aut turundis erit absorbendum, caute tamen, ne carnes lædantur.

3. Pariter vulgares ablutiones institui possunt, modo leviter peragantur, sed ab omni lotione erit abstinendum post ulceris detersionem, quia tunc carnium, & cicatricum regenerationi profficeretur.

4. Nihilominus in hoc casu quandoque balnea aquarum thermalium, aut decoctionum vulnerariarum conveniunt, quando carnium reproductio segnior sit, & pars affecta usum balneorum permittat.

5. Spleniis simplicibus minime contortis, quæ ulceris parietes non comprimant pars affecta cooperiri debet, nihil vacui relinquendo; hodie turundarum usus obsolevit, nisi orificium alicujus sinus apertum detineri velit.

6. Juvat partem affectam quietam tenere, minima enim commotio distractiones excitare posset, quæ dolorem, & suppurationem augerent, tenellas reproductas carnes destruerent, atque cicatricis primordia infringerent.

7. Initio morbi dummodo suppuratio uberrima sit præsertim si pus acre fœtidumque videatur, & ulcus valde putrescat, bis terve, & ultra ulceris mundificatio reiterabitur, ne puris subsidentia morbum augeat, sed cum ulcus detersum fuerit, atque cicatrix reproducta, raro admodum pars affecta contrectabitur, nam frequentior contrectatio perfectæ valetudini officit.

VI. Præter hæc varia externa remedia, quæ necessaria sunt ut sensim, sensimque ulcera convalescant sequentes indicationes absolvere confert: internis remediis, & recto regimine.

1. Dulcificabitur sanguis usu jurium pullorum cum herbis temperantibus, & refrigerantibus, vel seri lactis depurati, in quo infusæ fuerint plantæ vulnerariæ, aut lactis simplicis asinini, aut vaccini.

2. Purgabitur æger identidem lenientibus, videlicet rhabarbaro, sale de duobus, manna, cassia &c.

3. Si digestio difficulter fiat, quotidie exhibebitur dosis chinçchinç a drachma semis ad unam.

4. Quies noctu erit fovenda usu mitiorum narcoticorum, videlicet cum uncias semis syrupi Dyacodii, aut granis quattuor pilullarum Cynoglossi.

5. Tandem hortabimur ægrum, ut regimen idoneum servet, juscul is, & oryzis jure confectis paucisque carnibus vescatur, a vino, Coffea, liquoribus spirituosis & venere se se abstineat, imo si febris adsit, jus tantum erit potandum.

CAPUT TERTIUM.

De Ulceribus siccis quæ parum, vel nihil in suppurationem vergunt.

Descriptio.

DEmonstravimus jam, quomodo suppuratio in ulceribus inserviat exonerationi sanguinis, atque lymphæ, quæ in plura vasa pro circulatione affluunt; hac ratione parietes ulceris inutili onere liberati molliores fiunt, & vasa, quæ propriam integritatem conservant, proprias oscillationes recipiunt, quod carnium regenerationi, & ulceris valetudini magnopere conducit.

Suppuratio pariter in pus convertit appendices vasorum disruptorum, & reliquias filamentorum nervosorum, tendinosorum, membranosorumque, quæ dissecta, aut erosa fuerint, quod detersionem, & mundificationem ulceris producit.

Quare ex his consequitur ulcera, quæ parum, vel nihil puris suppeditant, detergi admodum imperfecte, vel nihilum omnino, ut carnes parum, vel nihil reproducantur, quod valetudinem retardat, & sævissima symptomata inducit.

Causæ.

Hic suppurationis defectus a triplici causa procedere potest.

Prima causa adest quando ulceris parietes nimis inflammantur, nam sic vasis nimis turgentibus, eorum oscillatio ad suppurationem necessaria impeditur, vel saltem quam maxime retardatur.

Hæc inflammatio oritur, 1. ex dolore ab ulcere producto, qui fibras affectæ partis coarctando, sanguinis circulationem impedit.

2. A febre superveniente, quæ margines ulceris tumefacit, ubi circulatio implicatur ab eorum tumore.

3. Ab aliquibus morbi præcedentis reliquiis, videlicet ab abscessibus, qui ulcus produxerunt, atque aliquem infartum reliquerunt.

4. Tandem ab indiligenti in curando præcedenti morbo opere, vel quod pars affecta ruditer pertractata fuerit, compressa videlicet nimis, aut distracta, vel quod perperam remedia acria, & stimulantia adhibita fuerint, quando mitiora tantum opportuna erant.

Secunda causa, quæ præcedenti directæ opponitur, est defectus inflammationis in ulcere, quamobrem vasa debiliter contrahuntur, parumque fovent suppurationem.

Hic inflammationis defectus oriri potest, 1. a debilitate ægri, qui naturaliter gracilis constitutionis sit, aut a præcedente ægritudine labefactatus.

2. Ab eodematosa laxitate affectæ partis, vel eodema procedat a naturali sanguinis constitutione, vel ab aliqua accidentali causa.

3. Tandem a deleteria qualitate sanguinis, qui serosus sit, & spiritibus deficiat, quod pulsus cordis, arteriarumque debiles, segnesque reddit, cui senes proinde obnoxii sunt.

Tertia causa dependet ab omni nimia evacuatione, quæ humorem suppurandum divertat.

Id evenit, 1. in alvi profluviis initio suppurationis supervenientibus.

2. In copiosis sudoribus, qui interdum in his circumstantiis occurrunt.

3. In narium, hæmorrhoidum, aut uteri cruento fluxu, modo ubertim, diuque perdurent.

Symptomata.

Symptomata, quæ in ulceribus siccis observantur, variant pro causis diversis quæ suppurationem impediunt.

Idcirco in *primo casu*, 1. dolor, calor, rubor, atque tensio in ulcere habentur, quæ jugiter inflammationem comitantur; frequenter etiam febris adest, quæ pariter inflammationis est indivisibilis comes.

2. Neque abs re videtur suspicari gangrenam circa ulceris confinia, quia vasorum plenitudo necessarias oscillationes retardat, ac harum partium vitam proinde aufert; hæc est causa potissima gangrænæ in inflammatione obvia.

3. Superficies ulceris sicca, & cornea evadit, quia vasa indurata nullam serositatem suppeditare valent; ipsa pariter huc illuc nigrescit, quia vasa, quibus referta est, sanguine nimis turgent, lividumque colorem parti communicant.

In *secundo casu*, 1. dolor, calor, rubor, atque tensio absunt, quia nulla habetur inflammatio, ulla proinde non est febris.

2. Nihilo tamen minus ulceris margines gangrænam pertimescunt, quia ob maximam vasorum laxitudinem proprias oscillationes exequi nequeunt, vel debiliter ita contrahuntur, ut gangræna immineat.

3. Superficies ulceris minus sicca, & cornea apparet, quia vasa aliquam serositatem fundunt, & hæc serositas a calore minime dissipatur: paucæ vel nullæ apparent nigerrimæ, quia vasa ibi sanguine non turgent.

Tandem in *tertio casu*, 1. neque calor, neque rubor, neque dolor, neque tensio in ulcere observantur, sed parietes minus laxi, quam in secundo casu apparent. 2. livoris, & gangrænæ periculum propinquum minus est, attamen suspicari licebit si eadem morbi conditio diu perduraverit.

3. Tandem ulceris superficies, neque ita rubet, ut in primo casu, neque pallescit ut in secundo, neque nigerrimis maculis refertur, ut in alterutro.

Diagnosis.

I. Ulceris arescentia puris defectu facile innotescit, tum siccitate apparatus, qui identidem removetur, tum a levi mutatione digerentium, quæ in hoc casu adhibentur.

II. Facile distinguuntur causæ diversæ, quæ hanc siccitatem producunt; si fuerit enim inflammatio marginum ulceris, eam dolor, rubor, calor, atque tensio manifestabunt; si contra defectus fuerit inflammationis, ipsum doloris, ruboris, caloris, & tensionis deficientia declarabit. Innotuerit tandem morbum a nimia aliqua evacuatione procedere, quæ suppurationem divertat, quando æger revera hujusmodi fluxum patiatur.

III. Suspicari licebit de futura gangræna ab insensibilitate, & mollitie partis affectæ tum a lividis supervenientibus maculis, circa quod sedulo distingui debent maculæ nigræ, quæ in primo casu hujusmodi ulceris apparent, ab illis, quæ gangrænam præcedunt.

Prognosis.

I. Ulcus aridum, quod suppurationem non pariat, detergi nequit: sed ulcus, quod nedum detergitur, nunquam convalescet: ergo ulcus siccum, aridum maximum periculum facit ob sanationis difficultatem.

II. Ulcus, quod nunquam detergitur, semper in gangrenam desinit, citius, vel serius pro majori, vel minori detersionis defectu; idcirco ulcus hujusmodi periculosum admodum est, ut letale fieri possit.

III. Ulcus aridum, quod nimiam evacuationem subsequitur, eo minus periculosum est, quod a marginum inflammatione producitur, quia gangrenæ minus obnoxium est. Insuper ulcus hujusmodi cum inflammationem consequatur, minus periculi habet, quam si a laxitudine, & inertia partium dependeret, quia tunc facilius gangrenam, aut ipsi mederi poterit.

Curatio.

Cum ulcus a tribus diversis caussis originem ducat, triplex etiam erit instituenda medela.

In *primo casu* inflammatio erit imminuenda, turgida vasa evacuando, & eorum oscillationes restituendæ, ut suppuratio promoveatur.

1. Hac enim de caussa venæ sectiones ex brachio, aut pede erunt præscribendæ, earum numerum aut extrahendi sanguinis copiam juxta morbi gradum, & ægri vires moderando.

2. Febris erit moderanda, ac sanguinis calor temperandus usu ptisanarum refrigerantium, emulsionum, mane, & vespere haustarum, seri lactis clarificati, & apozematum diluentium, itemque calmantia bis in die exhibendo ad dolorem compescendum, videlicet syrupum diacodii, aut guttas anodynas.

3. Ulcus blande pertractari oportebit remediis anodynis & relaxantibus, qualia sunt luteum ovorum cum oleo hyperici quassatum, aut unguentum rosatum, quibus splenia, aut pulvini imbibuntur.

4. Circumferentiam ulceris cooperire necessum erit cataplasmatis dulcificantibus, & emollientibus cum mica panis, & lacte, vel cum pulpa foliorum althææ, brancæ ursinæ, oxalidis aut radicum liliorum confectis, &c.

5. In hac methodo per aliquot dies erit persistendum usque dum suppuratio confirmata fuerit, vel morbi pertinacia proximam minetur gangrenam.

6. Si suppuratio jam producatur, obvia methodus idonea erit, quam capite præcedenti exposuimus; at si ulceris arescentia gangrenam prænuntiet, statim ulcus undique erit incidendum, plus minusve prout morbi conditio postulaverit.

7. Deinceps unguentum ægyptiacum spiritu vini modificatum erit admovendum, quin imo cathæretica validiora interdum necessaria erunt, ut unguentum brunum, aqua phagedenica, aut mercurii solutio.

8. Tandem pars affecta jugiter cooperiatur linteis imbutis spiritu vini camphorato & sale ammoniaco copulato.

In his circumstantiis æger jusculis vescatur, ipsi clismata refrigerantia intromittantur, atque lenientia exhibeantur.

In hoc *secundo casu* eo medela collineat, quod ægri vires sustineantur, cordis, & arteriarum pulsus excitentur, & serositas, quæ ulceris parietes emollit, dissipetur.

Hæc absolvitur indicatio 1. bis in die, vel crebrius, si opus fuerit, quattuor, vel quinque cochlearia exhibendo potionis cordialis cum aquis distillatis confectæ, melissæ, cardui benedicti, bellidis, cum theriaca, confectione hyacinthina, sale volatili viperarum atque syrupo oxalidis, aut stæchadis.

2. Quarta quoque hora propinando cyathum decoctionis foliorum cardui benedicti, aut infusionis the, aut vulnerariæ helveticæ.

3. Præscribendo diætam *analepticam*, videlicet, quæ vires restituat, quæque importet jura nutrientia, quibus addi poterit jus cordis vituli, luteum ovorum, quandoque etiam aliquot cochlearia vini hispanici exhibendo, vel jusculа ex carnibus tritis parata vel etiam fragmenta pulli assi.

4. Ulcus pertractando cum digestivo, cui non solum tinctura myrrhæ erit addenda, quin etiam spiritus vini, ut parietes roborentur, atque calor restituatur.

5. Applicando ulceri jusculum ex pane cum vino ebullito, & pauco affuso spiritu vini paratum, tum super imponendo plantas vulnerarias helveticas cum vino ebullitas, aut lintea imbuta spiritu vini camphorato, & ammoniacato.

6. Si eorum remediorum ope suppuratio restituatur, vulgaris methodus sufficiet; at si contra gangrena immineat, ut supra diximus, ulcus alte incidere necessum erit, & remedia superius proposita adhibere.

Tandem in *postremo casu* satagere debemus, quod alvi fluxus, sudores, & hæmorrhagiæ compescantur, quæ suppurationis materiam divertunt; hac de causa remedia erunt adhibenda singulis his morbis magis idonea, quæ hic referre supervacaneum censuimus.

Nihilominus ulcus pari ratione ac in secundo casu pertractabitur, & si gangrena proxima videatur, incisiones non erunt prætereundæ.

Quoad diætam attinet, ipsa *analeptica* sit, ut nuper docuimus, quæ vires sustineat; attamen specialia alimenta interdum erunt præscribenda, quæ alvi fluxus, sudores, aut hæmorrhagiæ sigillatim postulaverint.

CAPUT QUARTUM.

De Ulceribus putridis, quæ nimis suppurant.

Descriptio.

ALia ulcera habentur, in quibus suppuratio copiosa nimis, & diutina est, ubi nulla detersio, aut mundificatio fit, quinimmo putredo in diem increscit inter musculorum anfractus, aut sub cute se extendens.

Hujusmodi ulcus Græci appellant Ἕλκος φαγεδαινικὸν, a Latinis vero ipsum *ulcus depascens*, aut *rodens* dicitur, quod Græcis nominibus respondet. Medici, qui de chirurgia ante scientiarum restaurationem scripserunt, idem *ulcus ambulativum*, aut *serpens* nuncuparunt, hodie nos *ulcus* putridum vocamus.

Causæ.

Hæc ulcera triplici ex causa dependent.

I. Ab apertura, quam inflammatio, aut Erysipelas produxerat, ut pars affecta facile resolvatur, & putrescentia cito producatur.

II. A laxitudine, quam oedema habituale inducit, ut ulcus superveniens facile-

cile producatur, præsertim si serositas ibi affluens acris, & salita fuerit, ut facile in pus convertatur.

III. A deleteria puris qualitate quod acre valde sit, atque corrodens ut potius quam carnium reproductionem, & cicatrizationem fovere, magis ulceris margines erodere valeat, quod nimiam suppurationem detinet, præsertim cum pus lue venerea, aut scorbutica inficiatur. Observationes confirmant, quod nuper ostendimus, videlicet hujusmodi ulcera inflammationes pertinaciores, & imperfecte resolutas consequi, ubi suppuratio nisi in aliqua parte gignitur; verum cito undique producitur, & increscente proinde magnopere ulcere intimius excavatur.

Ulcera hujusmodi erysipelata etiam subsequuntur, quando morbus membranam cellularem, aut adiposam intimius lædat.

Tandem oedemata inveterata hæc ulcera producere solent, in quo casu morbus æquabiliter carnem fodit, ac sub cute extenditur.

Symptomata.

I. Pus nunquam in ulcere depascente evanescit, quamvis diligenter detersio promoveatur, nam prava carnium conditio, aut deleteria puris indoles, quæ corrodens est, detinet, atque auget infirmitatem.

II. Hac de causa nulla detersio est expectanda, quia margines corruptarum partium, qui separari possent, similia habent fragmenta putrefacta consecutura, quæ jugiter reproducuntur.

III. Odor horum ulcerum pene semper cadavericus est, quia a carnibus putrefactis, pureque remixtis dependet.

IV. In ulceribus multum substantiæ amittitur, quia putrefactio omnem ulceris ambitum depascitur, & cavitatem continuo auget.

V. Conditio parietum hujusmodi ulceris a gangrena non multum distat, quinimmo crebro ipsi in gangrœnam desinunt, quia in hoc ulcere escharæ species, gignitur revera gangrænosa.

Diagnosis.

I. Haud difficulter ulcus putridum cognoscitur, modo paulisper super allatam descriptionem attendamus.

II. Causa morbi pariter facile detegi poterit, modo cognoscantur, quæ præcesserint, videlicet specialis ægrotantium conditio, aut morborum indoles, quos passi fuerint; brevi deinceps indagine morbi gradus, & progressus patebunt.

III. Tandem gangrenam suspicabimur a vario putrefactionis gradu, aut spissitudinis puris, quod ulcus circumvestit, cum reliquis gangrenæ signis, nempe livor, & insensibilitas, quæ frequenter in hoc ulcere observantur.

Prognosis.

I. Ulcus putridum semper periculosum est, quia valetudo saltem longa, & difficilis est relate ad difficilem ulceris detersionem, & cicatrizationem.

II. Ulcus hujusmodi pariter periculosum est, quia plerumque in gangrenam desinit.

III. Pe-

III. Periculum gangrenæ in hoc ulcere eo majus eſt, quo aperitio, & mollities partis affectæ major fuerit, aut ſanguis ægrotantium magis peccaverit.

IV. Plerumque nulla eſt valetudinis ſpes, quando gangrena appareat, modo membrum amputari poſſit in quo ulcus reſidet.

Curatio.

Ulceris depaſcentis pertractatio majorem poſtulat diligentiam, 1. ut promptè putrefactionis progreſſus compeſcantur, 2. ut diſtinguatur putrefactio ſeu melius dicam, eſchara, quæ a remediis producitur, ab illa, quæ a morbo dependet. 3. ut gangrena avertatur, quæ frequenter in hujuſmodi ulceribus ſupervenit.

I. Ad *primam* indicationem abſolvendam,

1. Adhibetur digeſtivum vulgare, cum oleo hyperici, tinctura myrrhæ, aut aloes, ſpiritu vini camphorato, unguento ægyptiaco, &c. obducitur pariter pars affecta linteis imbutis ſpiritu vini camphorato cum ſale ammoniaco ſimul.

2. Intus exhibentur bis in die quattuor, vel quinque unciæ potionis cordialis ab illa haud abſimilis, quæ capite præcedenti proponitur; quarta quoque hora decoctionem cardui benedicti propinando, ubi grana aliquot ſalis volatilis viperarum infunduntur.

3. Æger purgatur cum pulpa tamarindorum, caſſiæ atque mannæ, vel cum tartaro ſtibiato ſolubili, ſi ſuſpicio adſit in primis viis, morboſæ materiæ vel in cerebrum metaſtaſis timeatur, quæ ſoporem inducat; eodemque tempore exhibentur jura pulli, aut vituli cum cancris, & millepedibus, tum plantis vulnerariis parata: hujuſmodi ſunt bugula, ſanicula, veronica &c. quibus addi poteſt drachma ſalis de duobus.

4. At ſi poſt hæc remedia morbus adhuc producatur, efficaciora erunt præſcribenda; ulcus enim fovendum erit decoctione tepenti foliorum marrubii, centaurii, hyperici, & abſinthii, aut vulgari lixivio, in quo ſoluta fuerit idonea copia unguenti ægyptiaci.

Simile officium præſtant radices duplicis ariſtolochiæ, folia agrimoniæ, nucum, hyperici, & apii paluſtris, tum ſoluta fuligo.

Tandem uſuvenit blanda ſolutio ſalis marini, & vitrioli albi in aqua communi peracta.

5. Poſt hujuſmodi fotus ulcus inſpergitur pulveribus myrrhæ, aloes, atque iridis florentinæ æquabiliter commixtis, & pro deterſione adhibentur ſuccus apii, terebinthina, pulvis iridis, atque aloes ſimul ſubacti.

II. In hujus ulceris pertractatione diſtingui oportet ſi putreſcentia ab ipſo morbo dependeat, aut a ſepticis remediis, quæ adhibita fuerint.

Galenus aſſerit empiricum quemdam cum animadverteret ulcus remediis continuo obſiſtere, nulla ratione habita remediorum facultati, continuo validiora applicaſſe, quæ ſemper majorem putrefactionem inducebant, uſque dum Galeno advocato cum inſcientiam empirici cognoſceret, ſuppurantia tantum ſimplicia adhiberet, ut eſchara ſeparari poſſet, quod revera evenit, & ulcus brevi deterſum atque reſtitutum fuit.

Idcirco in horum morborum curatione poſtquam remedia ſeptica validiora adhibita fuerint & morbi gradui reſpondentia, animadvertendum eſt, ſi eſchara decidente ulcus deterſum appareat; in quo caſu ut ſimplex ulcus *boni moris* ipſum erit pertractandum.

III. Tandem si aliqua ulceris portio livida, & mollis fiat, sensumque pene amittat, sed potissimum si bullæ efformentur, necessum erit,

1. Partem usque ad sanam carnem alte incidere.

2. Incisiones compressis linteisque spiritu vini camphorato, additoque sale ammoniaco imbutis erunt cooperiendæ, quæ nisi sufficiant, catheraetica erun timponenda adversus gangrenam superius proposita, *lib. 1. cap. 3.*

3. Tandem in toto curationis circuitu æger erit alendus jusculis oryzarum, hordei, granorum lentium, tum gelatinis carnium & luteis ovorum, modo tamen febris absit; nam ipsa superveniente jura tantummodo idonea videntur.

CAPUT QUINTUM.

De Ulcere calloso.

Descriptio & Differentiæ.

CAllosa illa ulcera appellantur, cujus margines neque flexiles, neque molles sunt, sed magnopere duri, renitentes, & pene scirrhosi apparent.

Quandoque hæc durities, sive callositas omnem ulceris superficiem occupat; quandoque partem aliquam.

Interdum hujusmodi ulceris callositates continuatæ sunt; interdum per intervalla distinguuntur.

Tandem ulcera callosa modo margines habent obversos, modo complanatos, & ad libellam ceterarum partium.

Hoc ulcus latine callosum appellatur, græce Ἕλκος &c.

Causæ.

Callositates in ulcerum limine oriuntur a subsidentia lymphæ nutritiæ ibi inspissatæ: experientia nos docet multiplici de causa id oriri posse.

1. Prava puris conditione, quod lympham figit, circa ulceris limbos circulantem, eoque facilius si a sanguinis vitio jam condensata fuerit; quare in lue venerea, strumis, & scorbuto ulcera frequenter callosa apparent.

2. Subsidentia puris ipsius pravæ conditionis, quod destruendo partium elaterium statim & spissitudinem lymphæ gignit; quare sinus, atque fistulæ inveteratæ pene semper callositatibus deturpantur.

3. Aeris actione adversus ulcera quæ lymphæ cursum retardat; quare ulcera neglecta, diuque aeri exposita callosa facile evadunt.

4. Frigore externo si ulcus offendat; quare ulcera hyeme magis quam æstate callosa fient, præsertim si ab ipso ægri defendi nequeant.

5. Rudi modo pertractandi ulcera ita ut limbi comprimantur, ex quo ulcera compactis durisque spleniis pertractata pene semper callosa evadunt.

6. Qualitate remediorum, ut adstringentia, & terrestria, quæ perperam adhibita callositates intendunt.

7. Tandem natura emplastrorum in causa est, quæ si exsiccantia nimis, & epulotica sint, cicatricis loco mollis, & flexibilis callosam cicatricem progignunt.

Sym-

Symptomata.

I. In ulceribus callosis margines duri & renitentes sunt, quia turgent lympha inspissata ibi affluente.

II. Ulcera callosa nullum fere pus suppeditant, vel quod vasa a callositatibus comprimantur, vel quod oscillationes vasorum, quæ puris separationem fovent a callositatibus supprimantur,

III. Parum puris quod ulcera callosa suppeditant, serosum est, vel quod lympha sit a turgidis vasis lymphaticis erumpens, vel quod debiles oscillationes impediant ejusdem in pus concrescentiam.

IV. Carnes, quæ in ulceribus callosis nascuntur, nunquam bonæ indolis sunt, quia parietes, quæ ipsas pariunt, necessaria mollitie carent, ut laudabiles carnes producantur, adeo ut carnes producentes molles, & fungosæ appareant ab expansione superficiei ipsius ulceris.

V. Ulcera callosa imperfecte absterguntur, & pravis carnibus cooperiuntur; quare nunquam cicatrizari possunt.

VI. Quando lympha in callosis partibus inspissatur, & exigua copia, margines complanati apparent, ac libellam servant; sed cum copiosa lympha concreverit, margines obvertentur.

VI. Callositates *continuatæ* sunt in ulcerum limbis, quando causæ producentes adversus omnem superficiem ulcerum agunt; *distinctæ* vero conspiciuntur quando eædem causæ aliquas partes tantum ulcerum deturpent, vel aliquæ partes tantum earum actionem pati valeant.

VIII. Simulque callositates generales sunt, si causæ æquabiliter per omnem ulcerum hujusmodi cavitatem actionem suam afferant; particulares vero callositates observantur, si causæ producentes specialem partem offendant, vel aliqua tantum ulcerum portio affici possit.

Diagnosis.

I. Visu, atque tactu facile constat de ulceris callositate nec ne, tum si callositas generalis, vel partialis sit, continuata, vel distincta, extensa, vel exigua.

II. Haud difficulter pariter sinus, si qui adsint, se manifestant, sed circa ipsos *cap. 6.* erit persolvendum, ubi eorum diagnostica signa ostendemus.

III. Quo ad peculiarem causam attinet harum callositatum, facile innotescet a precedenti descriptione: at ejusdem notio in prognosim, aut morbi curationem parum influit.

IV. Juvat potius cognoscere, si lues venerea, strumæ, aut scorbutus callositates faciant, atque detineant; nam in singulis hujusmodi circumstantiis specifica remedia his morbis propria conveniunt; præterea hujusmodi affectus propriis pathognomonicis signis manifestantur.

Prognosis.

I. Callositates in ulceribus semper periculosæ sunt.

1. Ex se quia curationem retardant, & multa postulant remedia.

2. Causæ ergo, quia plerumque sanguinis vitium supponunt, quod difficulter corrigi potest.

3. Relate ad earum consecutiones, quia dum resolvuntur, frequenter in sinus, aut fistulas degenerant.

II. Callositates, quamvis semper in ulceribus periculosæ sint, tamen plus, minusve incommodi habent, multiplici de causa.

1. Pro diversa earum magnitudine.
2. Pro varia duritie, atque renitentia.
3. Prout a causis internis, aut externis procedunt.
4. Tandem prout simplicia fuerint, aut sinubus, vel fistulis copulata.

Curatio.

In ulceribus callosis indicationes omnes eo collimant, ut callositates destruantur, citra quod nulla valetudo erit expectanda. Id quattuor modis obtinebitur.

I. Per resolutionem, quæ tutior est methodus, sed minime convenit callositatibus incipientibus, & mediocriter renitentibus: ut facilius eo perveniamus, primo inspissatæ lymphæ idonea fluiditas restituenda videtur, ut liberam circulationem recuperet; tum vasis fibrisque affectæ partis, ubi lympha affluit, necessarium elaterium erit conciliandum, ut valide contentos liquores exprimant.

Hac de causa 1. ulcus primo remediis laxantibus, & anodynis erit obliniendum, ut durities, & callositates facile emolliantur. Hujusmodi sunt digestivum vulgare cum mucilagine althææ, oleo liliorum, amygdalarum dulcium, aut butyro recenti consociatum.

2. Applicantur deinceps parti affectæ linteola imbuta aliquo spirituoso resolventi, videlicet aqua vitæ simplici, vel camphorata, aut ammoniacata simul, itemque cataplasmata confecta ex mica panis vino emollita, & spiritu vini irrorata, aut ex herbis vulnerariis vino meraco ebullitis parata.

3. Circa ulcus pariter leviores frictiones mercuriales conveniunt citra etiam luis venereæ suspicionem; nam Hydrargyrus pro maxima qua pollet solvendi facultate, & in reliquis casibus spissitudinis lymphæ catholicum est auxilium.

4. Uno eodemque tempore iis externis remediis interna remedia adduntur, videlicet lues venerea compescitur, si hæc in causa videatur, strumæ vel scorbutus corriguntur, si hujusmodi affectus præsentes sint, vel saltem sanguinis, & lymphæ vitia temperantur per remedia antistrumosa, atque antiscorbutica.

5. A quacumque vero causa ægritudo procedat, lympha attenuari oportet interno usu resolventium; quotidie enim duplex cyathus exhibetur decoctionis foliorum cardui benedicti, & scabiosæ, aut duplum circiter infusionis vulnerariæ helveticæ, vel quod validius est, duplex haustus radicis chinæ, aut sarsæparillæ.

6. Solventia efficaciora etiam impendi solent, qualia sunt martialia, mercurialia, & antimonialia non chatartica, sal admirabile Glauberi, sal de duobus sive arcanum duplicatum, pulvis denique, aut decoctio asellorum.

II. Si variæ atque diversæ hujusmodi curandi rationes callositates nondum resolvant, aut imperfectam resolutionem faciant, suppuratio erit promovenda, quæ frequenter callositates destruit duras, & inveteratas; modo ultimum duritiei gradum non attingant.

Hac de causa. 1. Ulcus remediis putrefacientibus pertractatur, quæ valeant solutionem, atque suppurationem inducere, qualia sunt digestivum composi-

tum paucæ terebinthinæ remixtum, sed multo oleo liliorum, aut butyro recenti consociatum.

2. ulceris margines erunt cooperiendi cataplasmatis maturantibus confectis ex pulpa foliorum, malvæ, althææ, brancæ ursinæ, oxalidis, aut radicum liliorum; addito etiam oleo liliorum ad pulpas subigendas, vel ex pulpa cæparum cum veteri fermento, pulmento ex crustulis, basilico, aut emplastro diachylo.

3. Tunc pariter intus remedia spirituosa, & sudorifera exhiberi possunt, superius articulo præcedenti proposita, quibus tunc modice utebatur.

III. Si suppuratio deficiat, aut non sufficiat, ad callositates pertinaciores destruendas cauterium actuale, aut potentiale adhiberi debet.

1. Cauterium actuale tutiorem brevioremque methodum suppeditat ad callositates penitus absumendas absque reproductionis metu, quia semper in hoc opere copiosa oritur suppuratio. Hujus remedii actio moderari oportet juxta magnitudinem, & duritiem callositatis; plerumque sufficiet ferrum plus, minusve calefactum, raro enim candens, ignitumque applicatur.

2. Cauterium potentiale actuali substituitur, segnius tamen est, quare ægri ipsum plerumque præponunt. Inter caustica potentialia enumerantur lapis causticus, præcipitatum rubrum, unguentum brunum, trochisci sublimati corrosivi, lapis infernalis atque oleum vitrioli.

3. Sedulo si fieri possit remedia, cathæretica vitari debent, præsertim arsenicalia, quorum usus suspectus est; in mediocribus callositatibus unguentum brunum frequens est, videlicet basilicum præcipitato rubro consociatum, quo pulvini imbibuntur; si callositas renitens valde observetur, præcipitatum rubrum purum adhibetur supra pulvinum inspersum callositati admovendum, sed cathæretica usitatiora sunt rotulæ, aut trochisci sublimati corrosivi superius *l.* 5. *c.* 2. descripti, ac præsertim lapis causticus, qui triplici ratione impenditur, vel ipsum integrum callositati admovendo, vel in pulverem redacto pulvinum inspergendo, vel aqua communi solutum, qua solutione pro simili usu pulvinus imbuitur. Quoad oleum vitrioli vehementissimum causticum est, quod nunquam pene usuvenit. Lapis vero infernalis in callositatibus superficialibus tantummodo adhiberi solet.

4. Post caustici actualis, vel potentialis applicationem eschararæ casus promoveri debet; huic cedit butyrum recens, quo oblinitur eschara aut digestivum recenter paratum, oleoque liliorum subactum.

Quando eschara evanuerit, erit inquirendum ne ulla adhuc callositas supersit, & tunc reiterabitur labor, sed hæc altera cauterii adplicatio, modo necessaria sit, levissima tamen esse debet.

5. Antequam causticum admoveatur, callosam partem incidere juvat, ut cauterii actio foveatur, & ejusdem nocui effectus imminuantur. Eadem methodus adhibetur, quando callositatum solutio per suppurationem tentatur, eaque & hic benevertit.

IV. Quarto tandem omnium brevissimam viam fategerimus callositates absumendi, si cultro aut forcipe callositates abstulerimus; quandoque etiam modo ulcus minus extendatur vel sinuosum appareat, omnis deturpata caro abscinditur, ut sana renovetur, post hoc splenia sicca applicantur ad compescendam hæmorrhagiam, ut in recentibus vulneribus. Deinceps vulgari ratione ulcus pertractatur.

V. In duplici postremo casu tria sedulo erunt animadvertenda.

Ambæ

1. Ambæ posteriores methodi vitari debent, quando callositates nervos satis conspicuos, tendines, aut grandiora vasa implicent.

2. Pariter vitari debent, quando callositates partibus tendinosis, aut aponevroticis, ut in articulationibus, adhæreant.

3. Vitari tamen necessum erit, quando callositates periostio inhæreant, ut abscindi nequeant, absquequo os detegatur, quamvis in hoc postremo casu id fieri pluries conveniet.

In his tribus casibus resolutio, aut suppuratio est promovenda, vel si cathæretica venient adhibenda, mitiora tantum opportuna videntur.

CAPUT SEXTUM.

De Ulceribus sinuosis, sive de sinubus, & fistulis.

Descriptio.

Ulcera quædam habentur, in quibus omnis eorum cavitas statim oculis se offert; alia vero quorum cavitas canalium more propinquas partes pervadit: illa Græci κόλποι appellant, a Latinis vero *cuniculi* sive *sinus* appellari solent, a Gallis denique *clapiers*; priora ulcera *simplicia* sunt, reliqua *sinuosa*, sive *cuniculosa*, apud Græcos ἕλκη κολπώδη.

Sinus, qui & ulcera diversa constituunt, variæ indolis sunt.

Modo sub cute reptant intra cellularem membranam, & sinus *cutanei* dicuntur; modo intimius penetrant juxta musculorum anfractus, & *profundi* vocantur; modo ab ulcere partes superiores versus recurrunt, & tunc natum pus facile erumpit; modo hujusmodi sinus inferiores partes versus descendunt, in quo casu pus ibi affluens difficilius extrahitur; tandem hujusmodi sinus modo *simplices* sunt, modo *callositate* obducti, & in hoc casu sinus *fistulosi*, sive *fistulæ* nuncupantur apud Græcos Σύριγξ.

Causæ.

Relate ad eorum originem duæ sinuum species distinguuntur: alii ulcus simplex subsequuntur, alii ab ulceribus procedunt, quæ a vulneribus nata sunt; alii simul abscessum sequuntur, qui initio aperitionis nullum sinum tamen præseferebat; alii tandem ulcere vetustiores sunt, & jam existebant, antequam abscessus aperiretur, & in ulcus desineret:

I. In *priori* casu a pure producuntur, quod in aliquem ulceris anfractum penetrans paulatim sibi viam pandit.

Pus enim hac ratione in propinquas partes irruit:

1. Quando diu in ulceris fundo subsidat, absquequo extrahatur.

2. Quando ulcus ita locatum fuerit, ut pus erumpere nequeat, vel hunc positum Chirurgus negligat.

3. Quando pus admodum acre sit, ut omnibus cautelis invitis propinquas partes tamen corrodat, sibi sinus paret.

II. In *secundo* casu sinus intra abscessum duplici ratione efformari possunt: quandoque morbus a sinus apertura incipiens paulatim corrodendo tantum producitur, ut in longinqua parte abscessum efformet, & tunc sinus abscessu ipso vetustior erit; quandoque pus jam nati abscessus vicinas partes sensim aggrediens sinum gignit, & tunc sinus abscessu recentior videbitur.

Qua-

Quacumque ratione sinus producantur, plerumque extenduntur.

1. In membranam adiposam.

2. In musculorum interstitia juxta tendinum, aut grandiorum vasorum longitudinem, & circa periostium tandem, quia in his partibus minus resistentiæ patitur, faciliusque sibi pandit viam.

Symptomata.

I. In ulceris margine, ubi sinus locatur, continens tensio persentitur, quia hujus sinus longitudo inflammatione & callositate laborare solet, quæ hanc tensionem, & renitentiam parere solet.

II. Hæc symptomata magis conspicua sunt, ubi sinus subcutanei sint, propiusque subinde premantur; contra vero tensio minus sensibilis est, quando sinus profundi sint, quia carnium volumen ipsos tuetur.

III. Quamvis sedulo repurgetur ulceris fundus, febris tamen ulcera cuniculosa semper comitatur, quia pus in ipsa affluens a sanguine resorbetur, quod potissimum verum est relate ad sinus, qui inferius protenduntur, ubi pus difficulter extrahitur.

IV. Ulcera sinuosa magnam puris copiam fundunt, quia præter illud parietum ulceris multum ex sinu ipso in ulcere aperto manat.

V. Quapropter in ulceribus cuniculosis difficulter detersio, atque carnium reproductio obtinetur, quia pus ex sinubus erumpens enatas carnes continenter destruit.

VI. Tandem sinus plerumque callositatibus deturpantur, quia pus ibi affluens lymphæ circulationem intercipit, quæ proinde juxta longitudinem sinus concrescens, ut in capite præcedenti ostendimus, callum producit.

Diagnosis.

1. Conjecturari licebit, aliquem in ulcere sinum abscondi a copia effluentis puris, tensione constanti, & difficultate detersionis, atque carnium reproductionis, reliquorumque phenomenorum persistentia.

2. Sinus manifestatur, quando partem affectam premendo aliqua persentiatur persistentia; verum a pressione pus striatim efluat.

3. Extensio atque directio sinus specillo facile deteguntur.

4. Tandem partes sinubus affectæ manifestantur anatomica earum scientia, & specilli directione.

Prognosis.

Omne cuniculosum ulcus valde periculosum est, curatuque difficillimum, præsertim cum medicamenta introduci nequeant usque ad ejusdem fundum.

Sed periculum increscit,

I. Pro numero, & profunditate sinuum.

II. Pro duritie, & magnitudine callositatum.

III. Pro natura partium affectarum, aut propinquarum.

IV. Tandem pro ætate, viribus, atque constitutione ægroti.

Curatio.

Certum eſt pro ſinuum curatione neceſſariam eſſe ſuppurationem, deterſionem, atque conſolidationem; poſtquamquod ulcus vulgari methodo pertractatur.

Triplici ratione id obtineri poterit & ſingula methodus proprias habet utilitates, quas ſigillatim explicabimus.

Prima: ſinus aperitur cultro, aut forcipe ſpecilli canaliculati auxilio juxta ejuſdem longitudinem, poſtea ulceris labia ſecantur, ut ſinus conſpicuus fiat.

Id plerumque uſuvenit in ſinubus cutaneis, & ſuperficialibus, ut cutis tantummodo, vel ad ſummum paucæ fibræ muſculares reſcinduatur juxta earum directionem.

Hac ratione ulcus ſimplex obtinetur vulgari ratione pertractandum; ſi callofitates in limbo adſint, forcipe abraduntur, aut cultro inciduntur, vel melius eſcharoticis conſumuntur, ut *cap.* 5. oſtendimus.

Nihilo tamen minus quando ſinus longiores valde fuerint, neque ſecari poterunt abſque magna partium apertura, alterutra ſequentium methodorum plerumque confert.

Secunda enim curandi ratio ea eſt, quod ſinus aperiatur, ubi ſpecillum deſinit, quod fieri ſolet,

1. Quando ſinus longus admodum, & carnibus inſitus videatur.

2. Quando circa vaſa, nervos, aut muſculos tranſeat, qui reſcindi nequeunt.

3. Quando extremitas altera ſive fundus ſinus prope cutim videatur, ut ejuſdem apertura facilis cognoſcatur.

Hæc aperitio lapide cauſtico, vel crebrius cultro inſtituitur, inciſionem dirigendo verſus ſpecillum introductum; hac ratione facile evadit deterſio, atque conſolidatio ſinus, ut infra videbimus.

Tertia methodus eſt, ingreſſum ſinus dilatare ut neceſſaria remedia ad fundum uſque pertingant; eaque uſuvenit,

1. Quando ſinus declivis ſit.

2. Quando ipſe parum protendatur, ut nos lateat quo loco oppoſita apertura inſtitui poſſit, vel nimia requiratur inciſio, aut periculoſa &c.

Hæc apertura in ore ſinus multiplici ratione fieri poteſt, vel cultro dupliciter os incidendo, vel modicum lapidis cauſtici introducendo; vel tandem ſpongiam ſub grandioris turundæ ſpecie intromittendo, quæ prout dilatabitur, & ipſum ſinum extendet.

Modo ex oppoſita parte ſinus apertus fuerit, aut dilatatus, injectiones intromittuntur detergentes ex decoctione hordei, & melle roſato confectæ, quæ efficaciores reddi poſſunt ſi opus videatur; inijcitur etiam digeſtivum, aut balſamum Arcei ſemiliquatum, quando deterſio promoveri velit. Turundæ etiam intromitti poſsunt iis balſamis, aut unguentis imbutæ, ſed filo colligari debent, ut facile extrahantur.

Tandem cum deterſio perfecta fuerit, quod cognoſci poterit a pauco effluenti pure, curari oportet parietum cohęſio, atque conſolidatio.

Hac de cauſa juxta ſinus longitudinem graduatę turundæ, & compreſſæ admoventur idoneis faſciis circumvolutæ, ut parietes paulatim appropinquentur ſimulque coaleſcant.

Hac methodo plerumque cohęſio partium obtinetur, quod niſi bene vertat, ſibi relin-

relinquitur sinus usque dum sponte carne repleatur cavendo ne cito nimis sinus os cicatrizetur, ne cavum aliquod supersit in novum abscessum desiturum.

Quando in sinubus callositates habeantur, difficilior est eorum curatio; ac modo suppuratio ipsas non solvat, escharotica sunt adhibenda, qualia *cap.* 5. proposuimus.

Postquam sinus convaluerit ulcus superstes simplex erit, & vulgari methodo facile sanabitur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ulcere ad os usque protenso.

Descriptio.

I. ULcera quandoque ad os usque protenduntur tribus diversis modis.

1. Quando ulceris fundus os pertingit, quod plus minusve detectum conspicitur.

2. Quando ulcus quamvis ad os usque protendatur, ipsum tamen non apparet ob superimpositas fungosas carnes.

3. Quando non jam ulcus, sed sinus quidam ad os usque protrahitur.

II. Quando os jam in aperto est, quattuor modis diversis se ostendit.

Modo sanum, & integrum est, periostio obductum absque ulla labe, quod evenit, quando ulcus recens est, & nuper eo penetraverit.

Modo suo periostio obtectum se offert, sed hoc pluribus pertusum foraminibus apparet lividis, nigerrimis & semis putrefactis.

Modo periostio exuitur, sed album est, levigatum, solidum, & sine labe.

Modo tandem non solum ipsum periostio deficit, sed obscurum, nigrum, inæquale, pertusum, uno verbo cariatum apparet.

Causæ.

Generalior causa, quæ ossa in ulceribus detegit, est puris copia, & acrimonia, quod carnes consumendo paulatim ad ossa ipsa pertingit.

Quandoque vulnera, aut plagæ ad os usque penetrant, & tunc ulcera consecutura os ipsum pandunt.

Interdum abscessus circa ipsum periostium efformantur, ut cum aperiatur, nati subinde ulceris fundus os tangat.

Aliquando tandem tum vulnera cum abscessus, quamvis ab osse distent, ulcera tamen subsequentia pro puris acrimonia, aut ubertate ibi perveniunt, prius consumptis carnibus ad periostium usque, aut profundis sinubus eousque protensis.

Symptomata.

I. in *Ulceribus*, ubi *os jam detectum est*, *carnes* raro reproducuntur circa ossis superficiem, quia os a pure erosum, exsiccatumque veras carnes suppeditare nequit.

II. Proinde ulcera hujusmodi difficillime curantur, neque plerumque convalescunt, nisi per exfoliationem ossis superficies renovata fuerit.

III. Nihilo tamen minus os quandoque carnibus obduci videtur, sed hæ

car-

carnes minime ossi adhærent; veniunt ipsæ ab interna ulceris superficie, fungosæ sunt & facile putrescunt.

IV. Quando os carie affectum fuerit, phenomena magis periculosa sunt, nulla est cohæsionis in ulcere spes, nisi cariata ossis superficies abscindatur. Pus proinde erumpens serosum, fœtens, nigerrimum, & corrodens est. Cavitas ulceris potius quam detergi, carnes fungosas uberius suppeditat, magis extenditur, & callosa evadit.

Diagnosis.

I. Quando os apparet, facile est nudis oculis, aut turundæ ope, si os periostio deficiat nec ne, si periostium integrum, aut labefactatum sit, vel si os levigatum, æquale, sanum, aut contra cariatum existat.

II. Suspicari licebit os patere quamvis conspici nequeat, modo pus serosum, nigrum, acre, fœtidumque erumpat; quando carnes, quæ illud obtegunt, molles, spongiosæ sint, & facile putrescant; quando denique ulceris fundus detergi nequeat.

III. Suspiciones certiores fiunt, quando specillo intromisso os inæquale, & scabrum reperitur.

IV. Eadem signa indicant sinus ad os usque protendi; quæ omnia certiora evadunt specilli indagine.

V. De majori vel minori ossium carie judicatur pro vario tempore detersionis ejusdem, prout ipsum magis, vel minus spongiosum erit, vel pus effluens plus, minusve male oleat. At specilli ope omnis suspicio veritatis naturam sumit.

VI. In ulceribus valde confert ubi os detectum, cariatumque est, investigare, si æger lue venerea, scorbuto, aut strumis laboraverit, quod signis his morbis propriis se manifestabit.

Prognosis.

I. Ulcera, in quibus ossa deteguntur, aut cariantur, periculosa sunt, difficulter curantur, & diutinum tempus postulant, quia ossis exfoliatio curari debet, quæ difficulter obtinetur.

II. Quando os detectum sanum & sine labe est, minus periculi habetur, quia frequenter carnes reproducuntur, vel ad summum exfoliatio facile citoque perficitur.

III. Morbus gravior est, quando caries vetustior, & profundior erit, quando os cariatum suapte natura spongiosum sit, quando caries a morboso fomite dependeat, quo sanguis infectus sit.

Curatio.

Quando os detectum in ulcere se offert, causam producentem statim perscrutari oportet: si vulnus recens in causa fuerit, citra internam curationem parti affectæ mederi illico poterit. Sed si ulcus, apostema, aut abscessum subsequatur, quod simul causam internam recognoscat, si ulcus diu perduret, difficulter admodum convalescat, internam causam investigare etiam necessum erit.

Si aliqua habeatur suspicio luis venereæ, frictiones mercuriales post vulgarem

præ-

præparationem erunt præſcribendæ, itemque antiſcorbutica, vel antiſtrumoſa opportuna ſunt, quando ſcorbutus, aut ſtrumæ ulcus detineant.

Tandem ſi æger nullo eorum corripiatur vitio, ſed tantum obvia ſanguinis acrimonia, remedia humectantia, diluentia, & lac ſufficient.

Dum intus idonea exhibentur remedia, extrinſecus ea non ſunt contemnenda, quæ varia oſſis conſtitutio poſtulabit.

I. Si os adhuc cooperiatur perioſtio & hoc ſatis ſolidum ſit, ut facile ſervari poſſit; poſtquam blande deterſum fuerit, erit ſupra ipſum imponendus pulvinus ſpiritu vini imbutus, qui puris actionem eludat, poſtquam ulcus vulgari methodo pertractabitur, minuſque tunc ſolliciti erimus de carnium reproductione, niſi prius perioſtium reſtitutum fuerit: ſi hac ratione per aliquot dies continuata perioſtium jam carnibus obducatur, ita cunctari neceſſum erit uſque dum carnes ſatis ſolidæ appareant, ut admota remedia pro ulcere curando ſuſtinere valeant. Poſt quam quod ulcus ſimplici ratione curando, ejuſdem valetudo quam maxime erit promovenda.

II. Si perioſtium jam labefactatum ſit, aut jam labefactari incipiat invitis cautelis omnibus, in hoc caſu pulvini ſpiritu vini imbuti applicabuntur, ut ſupra diximus. Quando os recenter detectum fuerit, & ſuperficies non multa labe deturpetur, quandoque ex ſingulis ejuſdem ſuperficiei punctis carnes exurgunt granuloſæ, ſolidæ, rubro pallentes, quæ cum fundo ulceris coaleſcunt, in quo caſu ſimplex medendi methodus opportuniſſima erit.

III. Si os detectum inæquale, ſpongioſum, cariatumque ſit, nullamque carnem ſuppeditet atque ejuſdem ſuperficies exſiccetur, in hoc caſu exfoliatio, ſive ſeparatio lamellarum oſſearum labefactarum erit fovenda, ut inferiores laminæ valeant carnes pro ulceris cicatrizatione ſuppeditare. Multiplex eſt exfoliationis methodus.

1. Quando caries levior ſit, vel ſine carie hoc ſimpliciter exſiccatum videatur, ſat erit ęrugine ejuſdem ſuperficiem fricare, uſque dum per plura punctula ſanguis exeat, quod oſtendit defectuoſam lamellam omnino ſublatam fuiſſe. Verum pulvinus applicatur ſpiritu vini imbutus, & vulgari ratione progreditur, uſque dum carnes reproducantur.

Hæc praxis alias frequenter uſuveniebat, neque adhuc omnino obſolevit, quando oſſis labefactatio recens, & ſuperficialis videatur, ſed duplex plerumque habet incommodum: primum diutina, & moleſta eſt; alterum pluries plerumque reiterari oportet, quia raro a prima vice caries omnis abraditur.

2. Abſquequo os eradatur, ſat erit remedia exſiccantia ſuper imponere, quæ exfoliationem, quam *cargmaticam* appellant, valeant inducere. Hujuſmodi ſunt pulvis aloe, myrrha, thus, ſarcocola, radix Ariſtolochiæ rotundæ, iridis florentinæ, bryoniæ, aut foliorum Sabinæ.

Pariter juxta communem praxim uſuveniunt tincturæ myrrhæ, aloes, aut euphorbii.

Ulceris margines cooperiuntur pulvinis ſiccis ne præpoſtere carnes reproducantur, ſimilem pulvinum aliquo ex his pulveribus aut liquoribus ſaturatum oſſi ſuperimponendo, donec ſuperficies omnino exfolietur; at ſi applicatio pulvinorum exſiccantium ulceris limbos nimis areſcat, & calloſos faciat, pars affecta cooperiatur digeſtivo mitiore pauco oleo hyperici conſociato.

3. Horum remediorum exſiccantium applicatio plerumque ſufficit, quando tenuis oſſis lamella tantum laboret, minime tamen valet, quando labes profunda admodum ſit. Olim in his caſibus cultro, & plumbo, maleo os cariatum ſcindebatur,

batur, ut remedia facilius agerent, at nunc hæc medendi ratio penitus obsolevit.

4. Cauterium actuale itaque nunc tantum adhibetur quod remedium est tutum, atque efficax in omni cariei genere, si morbus levis sit; parumque profundus, cauterium calefactum sufficiet, sed comburens esse debet in profundiori carie: variæ habentur species instrumentorum causticorum, tum magnitudinis, cum configurationis ergo pro varia morbi extensione, aut ossis comburendi qualitate.

Quando cauterium hujusmodi adhibetur, sedulo ulceris parietes sunt defendendi; quando ulceris apertura grandior fuerit, sat erit, pulvinis siccis ulcus obducere; at in angusto ulcere tubus ferreus adhibetur, ut per ipsum ferrum candens ad os usque perducatur.

Post ossis combustionem exfoliatio erit expectanda, impediendo tunc carnium reproductionem, siccos pulvinos applicando, vel leviora etiam escharotica.

Exfoliatione peracta, & cariata lamella abrasa caro jam supra os reproducitur alba primum, paulatim vero rubescens, quæ cum ulceris carnibus postea coalescit, tunc carnium incrementum fovere oportet, atque cicatrizationem ulceris, quo citius fieri potest; at in ossium exfoliatione cicatrix semper cava supererit pro magna substantiæ jactura.

Hæc ossis cariati exfoliatio mirabile est naturæ opus citra quod ulcera, quæ cariem comitem habent, nunquam convalescerent, ipsa fit per simplicem suppressionem omnis nutritionis in parte ossis affecta. Quandoque sola caries, aut ossis exsiccatio sufficit ad effectum producendum, & tunc exfoliatio spontanea erit, plerumque tamen remedia sunt adhibenda quæ catagmatica dicuntur, vel citius causticum actuale, quod validius agit. Hac methodo ossis portio his remediis subjecta omnem nutritionem amittit, exsiccaturque, ac proinde osseæ lamellæ sponte separantur. Prout hæc separatio evenit, carnes inferius nascentes cariatam lamellam sublevant, & exfoliationem promovent. Simili de causa arborum folia, quæ autumnali tempore nutritionem amplius non recipiunt, prout pediculi exsiccantur, *solo decidunt*.

CAPUT OCTAVUM.

De Ulcere cum carnium incremento, sive Hypersarcosi.

Descriptio.

QUandoque in ulceribus post detersionem, ac suppurationem evenit, carnes tam vehementer, atque abundanter promoveri, ut supra ulceris margines protendantur, quod cicatrizationem impedit. Hæc ulcera Latine dicuntur *Ulcera cum hypersarcosi*, Græce vero Ἕλκη ὑπερσαρκώδη.

Communiter hæc carnium incrementa totam tenent ulceris faciem; verum quandoque eam solum occupant per quamdam pediculi speciem satis angusti, ultra quam non protenduntur. Tunc hujusmodi excrescentiæ a Græcis appellantur Μύκητες a Latinis *fungi*, & a Gallis *champignons* pro earum cum fungis maxima similitudine.

Causæ.

Observavimus jam superius *lib.* 6. *cap.* 2. carnium regenerationem per simpli-

plicem explicationem vasorum capillarium, filamentorum nerveorum, atque tendineorum produci partium vicinarum, sed *duæ* conditiones requiruntur, ut hæc evolutio solidas, & granulosas carnes suppeditet: *prior*, quod hæc explicatio lente, æqualiter, & una ratione in omnibus ulceris partibus contingat; *altera*, quod prout evolutio contingit, membranæ, vasa, nervi & filamenta tendinea nutriantur, inspissanturque, absque quo a nimia serositate emolliantur.

Ex converso enim consequitur carnium fungosarum regenerationem a tribus potissimum causis oriri.

1. A nimis celeri expansione, atque productione vasorum, nervorum, fibrarumque, ut necessariam firmitatem adipisci nequeant.

2. Ab inæquali harum partium dilatatione.

3. Ab irroratione, aut relaxatione earumdem partium ob seri nimiam copiam. Patet enim in his casibus carnes uberrimas esse parumque consistentiæ habere, ac proinde molles, ac fungosas se offerre.

Alicui enim trium classium referri debent causæ procatharticæ, quæ solent carnium fungosarum generationem producere.

1. Usus medicamentorum sarcoticorum nimis calefacientium, quæ sanguinem circulantem nimis rarefaciendo fovet vasorum circa ulcus intumescentiam.

2. Unguentorum usus nimis relaxantium, pinguium, aut oleosorum, quæ vasa nimis emolliendo nimiam eorum dilatationem fovent.

3. Nimia ægrotantis nutritio vel admodum spirituosa, quæ sanguinem auget, atque rarefacit, ut carnium, minutalium comestio, & vini potus.

4. Febris, aut animi pathemata, quæ sanguinem commovendo intumescentiæ vasorum locum præbent, eorum ulceris præsertim.

3. Prava sanguinis indoles, quæ puri communicatur, quod ob maximam acrimoniam nimis erodit, destruitque elaterium vasorum, aut fibrarum, & hasce disponit ad facilem extensionem.

6. Callositates, quæ vasa lymphatica circa ulcus comprimunt, & lympham detinent oedematosum tumorem producentem.

7. Oedema ulceris, quod margines ejusdem relaxando facilem, atque promptam nimis partium explicationem fovet.

Symptomata.

1. Quando hujusmodi causæ cum reliqua ulceris facie communes sunt, & æquabiliter agant excrescentiam producunt, quæ omnem ulceris cavitatem occupat, plus minusve excedentem pro varia causarum actione.

2. Quando causæ contra, aliquam portionem ulceris tantum lædunt, ad hanc partem caro deformiter ita increscit, & in extremitatibus expanditur, ut fungi speciem referat.

3. Observationes nos docuerunt fungos frequentes esse in cranii terebratione, ex eo fortasse, quod cerebri substantia, quæ mollior est, facilius intumescat.

4. Carnes fungosæ, sive fungi necessaria deficiunt firmitate, ut cicatricem gignant, idcirco in serosum pus convertuntur, quod continuam putredinem parit.

Diagnosis.

I. Carnes fungosæ ex eo cognoscuntur, quod molles, spongiosæ sint, nimis albæ, aut rubræ, nimis levigatæ, pellucidæ, & facile putrescentes.

II. Quando carnes fungosæ ulceris margines excedunt, quod frequenter evenit, earum deleteria indoles facilius innotescit.

III. Fungi vero cum carnibus spumosis facile confundi possunt, quæ sola conformatione differunt; sed hæc disquisitio parvi facienda videtur.

IV. Quoad morbi causas facile deducitur ab antecedentium examine quæ fungosarum carnium generationi ansam dederunt.

Prognosis.

Nimium in ulceribus carnium incrementum semper periculosum est, quia valetudinem retardat.

Plus minusve periculi facit pro varia earum copia, mollitie aut causa producente. Tandem pro varia partis affectæ natura, atque ejusdem positu.

Curatio.

I. Ad ulcera curanda ubi carnes fungosæ confertissimæ sunt, harum carnium consumptio potissima est; hac de causa innumera remedia inter se diversa adhiberi solent, quæ a mitioribus incipiendo infra exponemus.

1. Remedia exsiccantia simplicia, videlicet splenia sicca, aut vino rubro tepenti saturata, tum splenia rasa ulceri applicata ad molles carnes exsiccandas, atque cohibendas.

2. Remedia exsiccantia stiptica, aut leviter caustica, ut pulvis nucum, gallarum, balaustorum, corticis granatorum, spongiæ combustæ, tutiæ, mastícis, myrrhæ, & aloes &c. quibus ulceris superficies inspergitur.

3. Mundificantia, quæ mitiori eorum caustica virtute etiam detergunt, ut balsamum viride, unguentum apostolorum, unguentum ægyptiacum sola, vel digestivo commixta, quibus splenia, aut turundæ imbuuntur.

4. Cathæretica efficaciora quæ revera caustica sunt, videlicet lapis infernalis, lapis causticus in pulverem redactus, præcipitatum rubrum, balsamum fuscum, & ipsum cauterium actuale.

5. Quandoque etiam culter, aut forcipes ad fungos rescindendos adhibentur, circa basim ipsos erodendo insuper causticum, aut cauterium actuale admovendo, quod omnes nexus destruat.

II. Externo huic operi interna remedia addi debent, quæ carnium nimiam reproductionem simul compescant.

1. Ægrum lenientibus purgare sæpe iteratis, ut stomachus a saburris liberetur.

2. Sub hoc adspectu corticem peruvianum, amarotica, & stomachica exhibere, ut est elixir proprietatis, sive *Garus*.

3. Quotidie ptisanæ cyathum propinare ex radice chinæ, sarsaparilla confectæ, aut decoctionem diureticam exhibere, ex asellis, chærophyllo, arcano duplicato &c. paratam cum oedema fungosarum carnium reproductionem inducat.

4. Tenuem diætam præscribere solo potu, oryzis, ceterisque farinaceis constitutam, carnes, atque vinum proscribendo, ne nimius sanguis producatur.

5. Fe-

5. Febrem cito compeſcere, ſi qua adſit, ægrum phlebotomizando, purgando, ipſique apozemata diluentia, aut febrifuga exhibendo.

6. Tandem animi tranquillitatem commendare, damna oſtendendo quibus fiunt obnoxii ii, qui pathematibus laborant.

CAPUT NONUM.

De Ulceribus, quæ carnibus non replentur, ſed in eodem ſtatu perſiſtunt.

Deſcriptio.

SUb hac ulcerum ſpecie omnia comprehenduntur ulcera inveterata, quæ abſque vitio apparent, nec phagedenica ſunt, nec valde calloſa, nec ſinuoſa, nec fiſtuloſa, nec oſſis cariei commixta, ichoroſum pus emittunt, non deterguntur, nec carnes gignunt, aut ſolum ſpongioſas, quæ cito putreſcunt, uno verbo eodem ſtatu perſiſtunt ſine augmento, aut valetudine.

Medici Græci hujuſmodi ulcera *chironia* Ἕλκη Χειρώνια appellarunt, quia centaurus *Chiron* (a) pede vulneratus a ſagitta Herculis hydræ lernæ ſanguine intriſa, hanc ulceris ſpeciem diu paſſus eſt, a qua tandem convaluit uſu plantæ cujuſdam, quæ in poſterum *centaurea* dicta fuit.

Eadem ulcera apud Medicos Græcos *telephentia* Ἕλκη Τηλέφια, etiam dicuntur quia putant *Telephum* (b) Herculis filium ab Achille vulneratum hoc ulcus diu paſſum eſſe, a quo Achillis ipſius ope convaluit.

Inter Medicos Latinos Celſus *chironia* pariter ipſa appellavit; nullum tamen apud nos ſpeciale nomen habent, modo tamen crura non lædant ubi frequentiora ſunt, & a Latinis luparum nomine inſigniuntur.

Cauſæ.

Pertinacia horum ulcerum dependet vel ab alterutra ſequentium cauſarum, videlicet a ſanguinis vitio, qui pus ſuppeditat, aut a natura affectæ partis, vel ab ambabus hujuſmodi cauſis ſimul junctis.

I. Sanguis hujuſmodi ulcera multiplici ratione detinere poterit.

1. Quando acer, ſalitus, & ammoniacalis ſit, quia tunc pus ejuſdem vitii particeps fit, carnes erodit prout naſcuntur; quare hujuſmodi ulcera iis obvia ſunt, qui lue venerea, ſcorbuto, aut ſtrumis inficiuntur; iis vero, qui ſanguine donantur ob hepatis obſtructiones multa bile onuſto, iis denique, qui ob ciborum abuſum acri, & ſalito ſanguine pollent.

2. Quando ſanguis ſpiſſus, viſcoſus, & reſinoſus eſt, nam pus in ulcere pari ratione vitiatum arcte parietibus ulceris ita adhæret ut diſtrahi nequeat, quod carnium regenerationem impedit.

3. Verum etiam ſi ſeroſus, & pituitoſus nimis fuerit, ut ſeroſum pus reproductas carnes nimis emolliat, citoque putrefaciat.

II. Natura affectæ partis ſimul concurrit ad hujuſmodi ulcera confirmanda,

(a) Plinius Hiſtor. natur. *lib.* 25. *cap.* 6.
(b) Plinius hiſt. nat. *lib.* 25. *cap.* 5. Ovid. lib. 1. *de remediis amorum.*

quando ipsa soleat corporis humoribus valde saturari; crura enim exemplum præbent in plethoricis præsertim, in quibus frequenter tument.

Putant nonnulli hujusmodi ulcera calidis regionibus frequentiora esse, ut in Provincia, & Aquitania, quam in septentrionalibus regni ditionibus, si hoc verum sit, tribuendum videtur salsedini, & acrimoniæ sanguinis, quæ lymphæ communicatur.

III. Pertinacia horum ulcerum ab alterutra causa derivare poterit, quæ si ab ambabus procedat, tunc ulcera eo deteriora evadent.

Symptomata.

I. In hujusmodi ulceribus carnes minime reproducuntur ob deleteriam sanguinis indolem, vel si unquam renascantur, statim ab acri pure destruuntur, atque corrumpuntur, quia spongiosæ sunt.

II. Quare hujusmodi ulcera neque detergi, neque carnibus repleri nec proinde convalescere possunt.

III. Si pus acre erodendo ulceris cavitatem dilataverit, hoc boni ominis erit, sed plerumque hæc dilatatio vix sensibilis fit, quia vel pus necessaria acrimonia deficit, vel substantiæ deperditio a reproductis carnibus facile reparatur.

IV. Quandoque ulceris margines dum libero aeri subjiciuntur, callosi fiunt; sed hæc callositas exigua est, ut ipsi tribuatur ulcerum pertinacia.

V. Facile apparet hujusmodi ulcera plerumque sibi esse relinquenda, præsertim dum crura occupant, quia cauterii speciem constituunt, quæ salubriter pravos humores separant.

Diagnosis.

Facile est addiscere naturam, statum & magnitudinem horum ulcerum, ipsa perpendendo, eorum duritiem vero ab ægrotis percontando; at difficilius morbi causa specialis detegitur: attamen si crura lædant, ut frequenter accidit, haud dubitaverimus naturam partis affectæ, & sanguinis deleteriam facultatem ipsa producere.

Prognosis.

Ulcera chironia, sive telephentia, incommoda, molesta, curatu difficillima, & frequenter incurabilia sunt, graviori tamen periculo plerumque vacant.

Periculosa admodum esse possunt, si extendantur, excaventur, atque ad os usque pertingant; si sedem habeant in partibus oedemate, aut alio tumore affectis, quod gangrenam minatur, si a sanguinis vitio vetustiori, & pertinaciori detineantur.

Nihilo tamen minus convenit ipsa potius derelinquere ne penitus profligata impediant salubrem vitiatorum humorum effusionem, & pejora proinde symptomata inducant,

Idcirco juvat nunquam hujusmodi ulcera curare in subjectis cacheticis, senibus, aut in his, qui sæviorem morbum pertimescunt, videlicet apoplexiam, paralysiam, guttam, asthmam, hydropisiam timent.

Curatio.

Ulcerum veteratorum curatio non est suscipienda, nisi prius sanguinis vitia subacta fuerint, ipsum ab extraneis fermentis liberando, & continuo lactis usu dulcificando, ceterisque similibus edulcorantibus remediis.

I. Hac de causa specialibus sanguinis vitiis recognitis remedia erunt adhibenda singulis propria; quare

1. Si æger lue venerea, scorbuto, aut strumis laboret, frictiones mercuriales, remedia antiscorbutica, & antistrumosa prudenter erunt exhibenda.

2. Si sanguis bile oneretur ob hepatis obstructiones, quæ ejusdem secretionem impediant, remedia solventia, & aperientia opportuna erunt, diuretica præsertim, quæ bilem per urinas, aut purgantia, quæ per alvum ipsam divertant.

3. Si sanguis acer, & salitus sit, bile tamen non infectus, apozemata plantarum refrigerantium, & diluentium idonea erunt, jura pullorum cum iisdem plantis, & cancris fluviatilibus parata, aquæ minerales, si tempestas sinat, serum lactis depuratum, lac asininum, aut vaccinum simplex, vel decoctioni hordei, aut chinæ radici consociatum.

4. Si sanguis peccet ob nimiam spissitudinem, aut viscositatem, dilui poterit usu aquarum mineralium ferruginearum, ptisanæ sudoriferæ, decoctionum asellorum, aut viperarum, tum usu aperientium martialium, mercurialium, aut antimonialium, ex quibus boli, aut opiata confici poterunt aliquo etiam catartico idonea dosi addito.

5. Si sanguis serosus nimis videatur, exuberans serum, aut per urinas evacuabitur diureticorum ope; qualia sunt enula campana, pareira brava, pulvis asellorum &c. ex his opiata, aut bolos cum aliquo hydragogo simul conficiendo; vel ejusdem generis decoctiones asellorum, ptisana sudorifera, & decoctio Herniariæ &c. aut per anum evacuatur, bolos opiata, aut pillulas perscribendo confectas ex dyagridio, jalapa, mechoacana, gummi gutta, pulvere de tribus, quæ juxta ætatem, & ægri constitutionem moderabuntur.

6. Generice in omnibus casibus alvum ciere oportet modice tamen, ægris pariter quotidie exhibendo corticem peruvianum, & exactum regimen præscribendo cum qualitatis, tum quantitatis ciborum respectu.

II. Si de remediis externis loquamur infra efficaciora magisque commendata concinna methodo enuntiabimus.

1. Digestivum vulgare plus, minusve ad suppurationem inducendam idoneum, ulceris conditioni appropriatum.

2. Ipsum subsequetur balsamum Arcei, unguento ægyptiaco, apostolorum, aut viridi consociatum, prout detersio magis necessaria videbitur.

3. Cataplasma vero affectæ parti applicabitur ex foliis paratum cardui benedicti cum vino ebullitis, & adipe suillo, atque farina subactum.

4. Pariter tentari poterit unguentum nicotianæ Laurentii Jubertii in pharmacopæa Amburgensi descriptum, quod excellenter detergit, vel saltem ulcus identidem pulvere nicotianæ inspergi poterit.

5. Ulcus erit abluendum solutione lapidis medicamentosi, crolii, aut infusione globuli martis, vel decoctione scoriarum reguli antimonii.

6. Tangi poterunt etiam ulceris margines cum oleo expresso granorum

rum ricini vulgaris, quod adversus hujusmodi ulcera pro specifico habentur.

7. Generice raro his ulceribus mederi oportet, vel si unquam id cito fieri debet, ipsa nunquam perfecte exsiccando ne callosa fiant, sed linteis spiritu vini imbutis ea obducendo, idoneo modo locari debent ne nimis contrectentur.

8. Prout ulcus curatur, ex altera parte cauterium juvat aperire, ut pravi humores novam sibi pandant viam.

CAPUT DECIMUM.

De Ulceribus, quæ difficulter cicatrizantur.

Descriptio.

Dantur ulcera nonnulla quæ promptam valetudinem promittunt, at nunquam convalescunt, licet simulent cute obduci. Quamvis suppuratio, detersio, & carnium regeneratio satis feliciter progressa fuerit; cicatrizatio tamen nunquam perficitur, & ulcus semper detectum permanet, at si cute aliquantisper cooperitur, hæc leviter carnibus adhæret, & quamprimum evellitur.

Medici græci hujusmodi ulcera *dysaltica* appellarunt Ἑλκη δυσεπούλωτα quod significat *curatu difficillima*.

Causæ.

Cum carnes, quæ ulcera replent, expansiones sint, aut evolutiones carnium cavitatis ejusdem ulceris, quæ per nutritionem crescunt, ita cicatrix sive cutis ulcera obtegens nil aliud erit, quam expansio cutis ab ulcerum marginibus productæ nutritionis pariter ope.

Attamen certum est in latis ulceribus frequenter post carnium reproductionem in medio ulceris punctula efformari insulata, quæ ab expansione filamentorum tendineorum, quæ ibi reperiuntur, dependent; hæc cicatrizantia puncta sensim increscunt, veræ cicatrici, ut ita dicam, præcellunt, donec tandem cum ipsa coalescant.

Plures circumstantiæ simul concurrunt, ut circumpositæ cutis margines, & filamenta tendinea, aut membranacea mediastina extendantur, donec in cicatricem convertantur.

Itaque necessum erit 1. Quod carnes ulceris ad libellam sint cum propinqua circumposita cute.

2. Quod ipsæ levigatæ, complanatæ, & æquales sint.

3. Verum firmæ, solidæ, & roseo colore refertæ se offerant.

4. Denique quod circumposita cutis flexibilis, sana, & recens sit sine ulla callositate.

Ex converso igitur deducitur cicatricem impedire.

1. Carnes libellam excedentes vel contra, quæ imperfecte crescunt, ut cavum ulcus relinquant; in primo casu enim cicatrix ascendere, in altero vero descendere nunquam poterit.

2. Carnes nimis granulosas, & inæquales ut cicatrices omnes earum anfractus amplecti nequeat.

3. Car-

3. Carnes molles, & spongiosas, quia cicatrix nunquam ipsas obducere poterit, cum frequenter in pus revertantur.

4. Margines cutis corneos, & callosos, qui totidem obstacula constituunt producturæ cicatrici.

5. His addi poterit quinta causa, quæ cicatricis formationem difficiliorem reddit, nempe circularis vulneris figura: hanc veritatem Hippocrates (a) jam cognoscebat cum reliquis illius ævi Medicis. Hæc conformatio cicatrici nocet, quia puncta ipsi non suppeditat, quibus adhæreat, quare cicatrix segnius progreditur, faciliusque divellitur.

Diagnosis.

Chirurgorum neminem latet propria experientia maxima difficultat ulcera cicatrizandi, vel saltem firmam cicatricem procreandi.

Facile recognosci poterit hæc difficultas modo animadvertatur quid ad cicatricis reproductionem requiratur. Quoad antecedentes, & remotas causas detegendas pertinet, deduci possunt a temperamenti & regimine ipsius ægroti.

Prognosis.

Molestum est haud posse cicatrice obducere ulcus jam diu pertractatum, sed hoc periculo vacat modo carnes molles, & spongiosæ aeri libero expositæ non putrescant, & ulcus reproducant.

Curatio.

Ut cicatricis productio foveatur, causam valide hoc incommodum producentem oppugnare necessum est.

1. Si carnes excedant, lapide caustico, aut alumine usto erunt cohibendæ.

2. Si contra deficiant, & ulcus cavum videatur, carnium reproductio erit expectanda, quæ haud infrequenter frustra desideratur, præsertim cum magna habeatur substantiæ jactura, aut alicujus ossis exfoliatio.

3. Si carnes inæquales, aut granulosæ nimis appareant, lapis infernalis, aut alumen, ut de excedentibus diximus, convenient.

4. Si margines ulceris duri sint, cornei, aut callosi, renovabuntur ipsos lapide infernali, aut alumine usto, vel pulvere lapidis caustici tangendo, donec nova appareant cicatricis subcœrulea lineamenta.

3. Si carnes molles spongiosæ aut spumosæ fuerint, lapide infernali, aut pulvinis unguento fusco imbutis consummentur, postquamquod firmior carnium reproductio erit promovenda, balsamum viride adhibendo.

6. Figuræ circularis respectu hæc plerumque tollitur difficultas longa cunctatione vel ad summum figuram mutando per incisionem aut lapidis caustici applicationem.

Generice cum agatur de acceleranda ulceris cicatrice, superficies exsiccari oportet ipsam cooperiendo spleniis spiritu vini imbutis, postea vero expressis, & exsiccatis, inspergendo tutiam, cerusam, aut plumbum ustum subtili-

(a) Hippoc. *lib. de Ulceribus.*

tiliter pulverizatum, vel quod melius arridet terebinthinam in pulverem redactam, & aqua ebullienti induratam.

Raro hujusmodi ulcera contrectantur, ut prima cicatricis lineamenta firmari valeant. Utiliter usuvenit lamina plumbea, admodum tenuis, atque pluribus pertusa foraminibus pro exitu puris, quo obducitur ulcus; & inservit carnium depressioni, ipsasque æquales reddit, atque ab aere tuetur.

Dum hujusmodi externa remedia impenduntur ad ulceris cicatrizationem fovendam, interna remedia non erunt contemnenda, quæ sanguinis vitia cohibeant, a quibus morbi pertinacia frequenter dependet.

Idcirco exactum regimen præscribere oportebit, ægrum lenientibus sæpe purgare necessum erit, ipsique lac exhibere si sanguis acer videatur, aut ptisana sudorifera si nimis pituitosus appareat. Demum animi, & corporis quies magnopere erit profutura.

En tandem ad finem operis nostri perducti, quod nisi pro rerum selectu legentium laudes mereri videatur, saltem pro horum morborum in Arte Elucubrationum inopia non erit profecto contemnendum.

FINIS.

EPI-

EPISTOLA PRIMA,

Circa compositionem quorumdam remediorum, quorum utilitatem nonnulli jactant, sed compositionem abscondunt.

VIr præstantissime, neque sollicitatione, neque auctoritate indigeo Medici cujusdam Veteris, (a) qui quantumvis Idololatriæ tenebris obductus inhumanitatem eorum contemnebat, qui propria arcana recondita tenebant, ut remediorum Scorbuticorum *D. Moreti* preparationem patefaciam, aut Candelas *D. Daran* Chirurgi S. Cosmæ, vel emplastrum nigrum *Abbatis Doyen* tibi ostendam. Recognosce quæso necessitudinis jura; sat erit hoc te concupiscere, ut ego statim postulatibus obsequar. Tu ipse, si lubeat, hanc elucubrationem publici juris facere poteris, quam si D. D. Abbas Doyen, Daran, & Moretus ipsi adhuc vigerent, mihi persuadeo haud contempturi essent.

Neque credideris præparationes remediorum infra allaturum a vera compositione admodum discrepare, ut suadere tentarunt ii, qui hujusmodi remedia arcana voluerunt; de eorum præparatione itaque certior factus sum a pluribus, qui mecum arctissimam tenent familiaritatem, & quoad emplastrum nigrum attinet, ipsum mediate per amicum ab ipso Auctore obtinui. Præterquamquod simile unguentum paravi, quod cum illo Abbatis Doyen comparatum unum odorem, colorem, atque effectum præstabat.

Cum hæc remedia publici juris feceris medicinam nostram sapientissimam Artem tantummodo vindicabis; ad ipsam enim, ejusdemque opera hujusmodi remedia pertinent; ad hunc fontem plerumque Agyrtæ propria arcana solent haurire. Nolui omnes scorbuti tractatus pervolvere, ut remedia antiscorbutica invenirem; neque caruncularum uretræ opuscula, ab anno 1551. ad nos usque edita, ut candelas medicatas recognoscerem; neque in omnes Pharmacopeas inquirere ad detegendum emplastrum nigrum piceum; spero te aut majori patientia, aut secunda fortuna præditum hoc facile inventurum esse.

Ceteroquin hujusmodi remedia quantumvis utilia, & efficacissima visa essent, id jugiter non præstaverint quod apud Medicos mirum profecto esset. Te non latet, Vir præstantissime, selectissimorum remediorum effectus a circumstantiis plerumque pendere, in quibus exhibentur, quas recte cognoscere Medici potissimum est.

Oporteret enim hæc remedia patefaciendo circumstantias magis idoneas indicare, cautelas circa eorum exhibitionem magis necessarias enuntiare, ac uno verbo aliquid sapienter magis dicere, sed hæc perscrutari supervacaneum censui, præsertim ubi tecum de ipsis agam, qui jamdiu mihi in hac arte præcellis, ut tuto asseri possit *Sapienti pauca*. Sed cum tu procul dubio eorum facultates perscrutaturus fueris, rogo, obtestorque, ut circa hanc rem observationes tuas ad me veniant, quibus rectum de ipsis judicium efformare valeam.

§. I.

(a) Scribonius Largus *in Præfat.* ad C. Julium Callistum.

§. I.

Remedia antiscorbutica D. Moreti.

Ipse pluribus remediis in Scorbuti pertractatione est usus, quæ infra concinno ordine referam.

I.

Vinum Antiscorbuticum. (a)

Hoc vinum potissimum erat remediorum D. Moreti, quod sæpius exhibebat, magisque commendabat, ipsumque sequenti ratione conficiebat.

℞. *Radicum Raphani rustic.* ℥ xii.
Bardanæ ℥ vi.
Foliorum Cochleariæ
Nasturtii aq.
Becabungæ
Fumariæ aa. m. ii.

Hujusmodi plantæ, atque radices probe abluuntur, postea conteruntur, atque in pulmentum rediguntur. Uno eodemque tempore unciæ quinque seminum sinapis quassantur. Hæc omnia deinceps in cucurbitam intromittuntur cum decem, & quattuor lagenis optimi vini Burgundiæ; adduntur tres drachmæ salis ammoniaci, & cucurbita obtegitur frustulis quamplurimis papyraceis circa orificium ductis, & in balneo maris lento admoto igne per duodecim horas saltem relinquitur. Insuper cucurbita frigefacta liquor valide exprimitur, & probe obductis ampullis servatur per duplicis mensis spatium, si lubeat.

Dosis hujus remedii pro adultis est duplex cyathus, quotidie propinatus sex uncias complectens; prior mane sumitur decumbendo adhuc per bihorium, alter duabus horis a prandio confectis hauritur, ita prosequendo donec integra valetudo restituatur, optimum interdum regimen servando, ptisanam jugiter potando ex radice chinæ vulgari ratione confectam, raro vini parum hauriendo.

Minori dosi hujusmodi vinum infantibus, & junioribus exhibetur, prout ætas, temperamentum, & vires postulaverint.

Monita.

Hoc vinum antiscorbuticum ex radicibus, atque plantis conficitur antiscorbuticis validioribus, sinapis semen, & sal ammoniacum largiori dosi impenditur, quæ omnia vino albo meraco infunduntur. Quamobrem hoc remedium tanta virtute pollere debet, quæ in antiscorbuticis vulgaribus remediis obvia minime est.

Nihilominus quamvis hoc remedium utile quidem evadat, in ejusdem tamen usu caute erit incedendum.

1. Vi-

(a) In quinta editione Pharmacopeæ Parisiensis, *anno* 1758, *pag.* 23. observatur compositio vini cujusdam ab hoc haud absimilis.

1. Vinum hocce valde calefacit ac proinde modica dosi non modo adultis, verum infantibus, & junioribus erit propinandum. Identidem ab ejusdem usu erit abstinendum ut per intervalla exhiberi possint decocta humectantia, temperantia, & refrigerantia, deinceps ad vinum medicatum iterum confugiendo, si opus requirat.

2. Hoc monitum præsertim animadverti oportet in scorbuticis bilioso temperamento donatis, ubi per tussim molestumque screatum pulmo affectus cognoscitur, vel febris hectica præsens, aut proxima sit. In hujusmodi circumstantiis sanum erit consilium vinum antiscorbuticum minime propinare, nisi assiduo lactis usu superindicata symptomata jam subacta videantur.

3. Tandem hoc vinum purgat, & valide quandoque, quod Medici attendere debent, qui norunt quantum detrimenti a crebra purgatione scorbuticis obveniat.

II.

Catarticum resolvens.

D. Moretus antequam vinum propinaret, quotidie alvum movebat in hac methodo persistendo per octo subsequentes dies: hunc in finem sequentem bolum præscribere solebat.

℞. *Trochiscorum Alabandal.*
Scammon.
Mercur. dulc.
Extract. Aloes aa. ʒ iv.
Diaphen. ʒ vii.

Terenda in pulverem redigantur & cum sufficienti copia syrupi absinthii simul subigantur, ut opiatum perficiatur, cujus dosis juxta vim, ætatem, & constitutionem ægroti a scrupulo ad drachmam erit moderanda.

Monita.

Fastidium sumpsi subducendi rationem simplicium, quæ hanc compositionem intrant. Singula enim drachma complectitur novem grana, & ⅑ trochiscorum alabandal, totidem scammonii, totidem mercur. dulc. totidemque aloes, cum decem novem & ⅑ diaphenici, reliquum est syrupus absinthii. Dummodo ad scrupulum exhibeatur, qui tertiam partem drachmæ comprehendit, periculo vacat, sed dosis illa largior ad drachmam usque producta nimia mihi videtur. Omnes Medici norunt in scorbuto purgantium acrium, & resinosorum usum magnopere nocere. In hoc morbo enim interna tubi intestinalis facies scissuris, vel ulceribus frequenter deturpatur, vel saltem varicibus refertur; ex his remediis itaque procedunt fluxus ventris colliquativi, dysenteriæ gangrænosæ, & hæmorrhagiæ intestinorum, quæ sæpe scorbutum comitantur, quare prudentis Medici erit superallata remedia provide, atque tempore in hoc effectu vitari.

Certum est, in scorbuto non esse infantibus alvum ciendum, nisi syrupo rosarum pallentium, cichorei composito, aut pomorum; & cum adoleverint,

cochlea-

cochlearia infusionis sennæ, aut rhabarbari, cum syrupo purganti, aut manna; tandem in adultis vulgaris potio catartica exhiberi poterit ex infusione confecta rhabarbari, sennæ, & salis vegetabilis cum decoctione tamarindorum pauca addita manna: at minus laudo purgans D. Moreti modo intestinorum constitutio sanissima non videatur.

III.

Remedium ad gingivas exulceratas.

In scorbuticis gingivæ continuo fœdantur, emolliuntur, spongiosæ fiunt, aut exulcerantur, obvertuntur dentes insulatos relinquendo, putrescunt, atque male olent, quod postremum dentium casum prænuntiant.

His phenomenis D. Moretus duplex afferebat auxilium. *Alterum* cum morbus ultimum perniciei gradum attingebat; *alterum* initio aut leviori morbi gradu.

En vobis præparationem prioris.

℞. *Salis ammoniac.* ℈ ii.
Camphoræ s. p. ℈ i.
Spiritus vini ℥ vi.
M. pro usu.

Hac mistura gossypium imbuitur, quo gingivæ putrefactæ deterguntur, fricantur, atque humectantur terque, quaterve in die pro ægri statu & morbi gradu.

Cum gingivæ mundificatæ apparebant, D. Moretus sequens remedium exhibebat quod alterum sistit arcanum.

℞. *Foliorum cochleariæ* m. ii.

Terantur probe, atque in cucurbitam reponantur cum triplici aquæ vitæ lagena: apparatus per duplicem diem in balneum maris relinquetur. Deinceps materia ad duas tertias partes distilletur.

Cum hoc liquore D. Moretus gingivas abluebat, atque fricabat, & morbo urgente pluries in die opus iterabat, frequenter etiam sal ammoniacum affundebat ad scrupulum pro singulis sex unciis.

Monita.

Hujusmodi remedia nihil mirabilis habent, ut quamplurimis decoctionibus præcellant, quæ adversus gingivarum erasionem commendantur, idcirco ut libuerit, inter Moreti arcana & reliqua auctorum obvia magis idonea eligi poterunt.

Sed quodcumque remedium adhibeatur, potissimum convenit quidquid in gingivis putridi extat primum evellere, postea remedia propius agendo tutiorem effectum præstabunt.

IV. Li-

IV.

Linimentum antiſcorbuticum.

In ſcorbuto inveterato crura, fœmora, & aliæ partes quandoque rubris maculis fœdantur, lividis, & nigerrimis, plus minuſve extenſis, aut confertis; Interdum etiam digito premendo durities, aut calloſitates indolentes obſervantur. His maculis D. Moretus medebatur ope linimenti ſequenti modo parati.

℞. *Saponis nigri* ℥ vi.
Camphoræ raſæ ℥ ii.
Salis ammoniaci ſ.p. ℥ iii.
Aquæ vitæ unam lagenam
Miſce diu ſuccutiendo.

Cum hoc remedium adhiberi vult, ejuſdem duo vel tria cochlearia leviter calefacta ſumuntur, quibus maculæ, aut durities fricantur, uſque dum liquor omnis evaneſcat. Hæc frictionis ſpecies pluries iterari poterit.

Monita.

Hoc remedium haud inutile eſt, & impendi poteſt modo ſapo niger, qui cauſticus eſt in fricatis partibus bullas non elevet, quod in ſcorbuticis facile evenire poſſet ob cutis tenuitatem, ſed ſaponis doſim imminuendo hoc vitabitur incommodum.

§. II.

Candelæ cereæ D. Daran.

Dominus Daran duas potiſſimum Candelarum ſpecies adhibebat: aliæ reſolventes dictæ, quæ revera cathæreticæ nonnihil erant; aliæ dulcificantes.

I.

Candelæ reſolventes.

℞. *Olei olivarum* ℔ i.
Vini rubri ℔ s.
Columbi vivi, ſive pulli n. i.

Ponantur omnia in vaſe fictili, & bulliant ad vini conſumptionem. Removeatur tunc animal, & in reliquo liquore ſolvantur.

Ceræ flavæ
Picis Burgundiæ aa. ℥ iv.
Spermatis Ceti ℥ ii.
Diabotani ℥ i.

Adda-

Addatur tunc pulvis ſolearum combuſtarum a drachmis duabus ad uncias duas, prout cathæreticam candelarum virtutem intendere volueritis. Commiſceantur omnia, uſque dum unguenti formam ſuſcipiant, quod cognoſcitur linteum immergendo ipſumque poſtea frigefaciendo. Deinceps plura fragmenta veteris linteoli erunt hoc linimento obducenda, quæ cum frigefacta fuerint, in totidem fruſtula pedem oblonga plus minuſve lata ſecari poterunt. Animaduertendo, ut alterum extremum anguſtius ſit. Denique ipſa manibus contrectantur, & ſupra levigatum marmor expoliuntur, donec neceſſariam duritiem, & nonnihil pyramidalem formam adipiſcantur.

II.

Candelæ dulcificantes.

℞. *Ceræ virginis* ℥ viii.
Spermat. ceti ℥ iii.
Unguenti roſ. ℥ ii.
Unguent. ceruſ. ℥ ii.

Omnibus ſimul ſolutis parum olei amygdalarum dulcium affunditur, modo ſolidum nimis videatur emplaſtrum. Deinceps candelæ cereæ ſuper relata ratione conficiuntur.

Monita.

Priores Candelæ revera cathereticæ ſunt relate ad combuſtas ſoleas. Ipſæ enim valent internam canalis faciem leviter rodere, præſertim ubi arctæ magis adhæreant, ibique ſolutionem, & ſuppurationem promovent, & cavitatem extendunt. Animadvertendum tamen eſt, ne ipſæ nimis cathæreticæ ſint, quæ profundiores ſciſſuras producant, nam ſupervenientes cicatrices magis magiſque canalem coarctarent.

Quo ad alias candelas dulcificantes pertinet, ipſæ periculo vacant; pro craſſitie enim canalem dilatant, & pro oleis quibus ſaturantur, ipſum emolliunt, & niſi frequenter adhibeantur, vix conferre poterunt, quia uretra ſemper conſtringitur.

Similes Candelæ confici poſſunt ex cera virgine, ſpermate ceti, & oleo amygdalarum dulcium, vel ex cera virgine, butyro, cacai, & unguento biſmalvæ, hæc idonea doſi ſimul ſubigendo, ut neceſſariam conſiſtentiam Candelæ adipiſcantur.

§. III.

℞. *Emplaſtrum* D. Ab. Doyen.
℞. *Foliorum Bugulæ*
Saniculæ
Pimpinellæ
Verbenæ
Agrimoniæ
Anagalidis
Chelidonii aa. m. ii.

Quæ

Quæ simul pendebunt tres vel quatuor libras.

Deinceps abluantur ac mundificentur hujusmodi plantæ, vase fictili reponantur, tres lagenas vini albi Campaniæ affundendo, obducatur vas, & probe lutetur, ebullitio lento igne protrahatur donec omne consummetur vinum. Vase frigefacto per validam expressionem extrahatur decoctio.

Succus hicce expressus fictili vase ponatur supra lentum ignem identidem in fragmenta immergendo.

Picis albæ ℔. i. ℥. iii.
Ceræ virginis ℔. iii.

Subigantur omnia ligneo baculo, verum addatur.

Mastícis triti ℔. i.

Quo fuso vas ab igne removeatur superaffundendo

Terebinthinæ venetæ ℔. i.

Omnia iterum subigendo usquedum frigefacta materies in rotulas compingi possit.

Hoc emplastrum adhibetur ad solvendas glandulas duras, & scirrhosas, callositates, lupas, ulcera inveterata & carcinomata mammarum profliganda.

Prædicatur ipsum speciatim adversus fistulas, & tumores ani, tum hęmorroides internas cum induruerint. Ipsum super alutam extensum affectæ parti emplastrorum more applicatur.

Sed si agatur de hęmorrhoidibus, aut fistulis internis, sub suppositorii forma tres lineas crassi, & pollicem oblongi filo nexi intromittitur.

En Tibi, præstantissime Vir, remedia, quæ cognoscere optabas. In hac mea ipsorum ostensione obsequium erga te meum habe, & vale.

EPI-

EPISTOLA SECUNDA.

Circa naturam, & exitum novorum remediorum, quæ ad morborum venereorum medelam proponuntur.

NOvum itaque onus, & quidem primo gravius, ac difficilius mihi imponis, cum me postules quid de recentiorum remediorum, quæ ad lues venereas proponuntur, natura, ac exitu sentiendum sit. At quod mihi est gratius, hoc me flagitas firma amicitiæ confisione suasus, me tibi esse satisfacturum. Tibi obediam, eoque animi candore, quem in me semper commendavisti, tuæ huic cupiditati serviam.

Quæ paucis abhinc annis recenter proponuntur ad medendas lues venereas, possunt ad duo capita reduci.

1. Ad media, quæ tutiorem, ac faciliorem reddant communem methodum, mercurium facultate spoliando, qua ipsum pollere contenditur, salivationem excitandi.

2. Ad remedia secreta, quæ loco frictionum maxime commendari curantur. Curatio, ut vides, lucrosa induci sub aliquo prætextu vellet. De primo breviter agam; at de altero, quod magis interest, majora verba faciam.

1. Tibi compertum est, plerumque salivationem esse vitandam, ministrando frictiones; quinimmo fere semper est vitanda, eo magis, quod est certum prudenti frictionum administratione morbum radicaliter sanari posse, quin ægrotus ulli fastidio, aut salivationis incommodo subjiciatur. At infeliciter sæpe falluntur, cum aut prudentia, aut attentio deficit, & salivatio supervenit, quoties minus esset producenda, aut omnino evitanda. Utilissimum itaque videretur, iis potissimum, qui in hujus remedii ministratione satis experti non sunt, quantum fieri posset, tuto mercurium impedire ne salivationem produceret, quæ semper incommoda est, & nunquam absolute necessaria.

Non multo abhinc tempore plures hoc secretum invenisse jactarunt, & omnia diaria de merito hujus inventi locuta sunt. Imo cum ab ipsis hujus inventi rationes postulaverint, audacter promiserunt; At de his nullo modo solliciti fuerunt, cum secretum innotuit, compertumque fuit (a) in eo situm esse, quod camphora cum unguento mercuriali misceretur, simulque subigeretur.

Tunc facile fuit judicium de hoc invento efformare; ac experimentis iteratis apertissime fuit demonstratum, camphoram unguento mercuriali conjunctam nihil qualitatum mercurii adimere; unguentum ita dispositum, non secus ac commune salivationem gignere, & esse solum impensam, ac prorsus inutile camphoram in hujus unguenti compositione adhiberi. Hoc inventum uno verbo sic proclamatum a se ipso cecidit, ac ab iisdem hodie relictum, qui tanto animi ardore promulgarunt. Fortassis hujus erroris causam non vides: quæ utpote peculiaris animadversionem meretur. Neminen latet mercurium tanquam venenum frigidum ab omnibus semper consideratum fuisse, & cum

(a) Dicitur *D. Dupoui* Chirurgum, ex eorum unum, qui idem secretum habere contendebant, nihil unguento adjungere; at ad agendum uti mercurio revivificato, æthiope antimonii loto, ac in aceto destillato ebullito. At tanto studio, nihilominus salivatio ab ejus unguento, ut a communi excitabatur, nec magis valebat.

cum ejus usus in unguento pro morbis venereis invalere cœpit, ad hanc frigiditatem corrigendam multum calidarum drogarum impendi solebat; hujusmodi erant oleum lauri, anethorum, rutæ, lumbricorum, pulveres radicum zidoariæ, aristolochiæ, enulæ campanæ, bryoniæ, pyrethri, gingiberis, euphorbii, gummi ammoniaci, aloes &c. Hic timor post longum tempus evanuit; & unguentum mercuriale solum simplici mercurio extincto, & adipe porcino dulci præparatur. Interim quodam hujus erroris effectu, Paulus Hermanus Leydensis Professor in tractatu ceteroquin æstimabili, *Cynosura materiæ medicæ* inscripto dixit, pro corrigendo mercurio nonnihil camphoræ mercuriali unguento esse adjungendum; *pro correctorio*, inquit, (a) *adde aliquid camphoræ.*

En erroris principium; hoc verbum plures decepit, qui ignorantes aliud in mercurio præter qualitatem salivationem promovendi corrigi posse, de hujus correctione solliciti crediderunt, maximumque secretum in celebri Auctore invenisse, quod omnium visum effugerat, gavisi sunt. Pleni hujus inventi utilitate, de qua ipsis nullum erat dubium, ea fiducia promulgarunt, quæ profecto non obscure ostendit ipsos potissimum summa insipientia pollere.

II. Quod autem ab aliquibus susceptum est, qui usui certo & efficaci mercurialium frictionum remedia inefficacia, incerta, perniciosa substituere volunt, hoc multo majorem vituperationem meretur.

Quantumvis modice luis venereæ historiam scienti compertum erit, in hujus morbi initio quinquaginta fere annorum cursu nil aliud in usu fuisse, quam simplex mercurium in unguentum conversum, quod quisque suo judicio faciebat; at quoties chymica vigere cœpit, chymici omnes mercurium propria peculiari methodo parare conati sunt, ut ipsius virtutes, ajebant ipsi, adaugerent, malisque ipsum proprietatibus privarent. Hinc venit præcipitatum rubrum, turbith minerale, præcipitatum viride, præcipitatum solare, Hercule Bovii, arcanum corallinum &c. quæ nonnullis abhinc annis pro lue venerea tuto adhibentur, audacterque frictionibus mercurialibus anteponuntur. At tandem inutilitas horum remediorum, perniciesque patefacta est, & tandem proscripta sunt. Ex his omnibus præparationibus sic commendatis in usu interno adhibentur solum mercurium dulce, panacea mercurialis, & plures æthiopis species, quæ a medicis practicis adhibitæ aliquam fortasse possunt utilitatem præseferre; nunquam tamen inveteratum morbum radicaliter sanabunt.

Hisce remediis tanquam perniciosis rejectis sublimatum corrosivum substitui contenditur, venenum omnium actuosissimum, ac violentissimum. Vides quousque præoccupatio quoad hoc caput pervenerit, quod maximam tibi admirationem allaturum credo.

I. Paulus Hermanus Leydensis professor (b) in materia medica jam dicta proposuit in gonorrhæa duo grana esse interne sumenda sublimati corrosivi cum sufficienti quantitate jusculi glycyrrizæ siliquosæ copulata; ad faciendum bolum; ℞. *Mercurii sublimati gr. ii. includ. succ. glycyrr. q. s. f. pilul. involvendæ auro foliato, deglutiantur.* Addit autem hoc ægrotis nisi valde robustis non esse exhibendum: *hoc tantum robustissimis esse exhibendum.* Monitum est quidem opportunissimum, quamvis dubitem homines dari ita fortes, ut absque periculo duo

(a) In verbo *Mercurius vivus p. 95.*
(b) In verbo *Mercurius sublimatus pag. 87.*

duo grana sublimati corrosivi suscipere possint, & sim certus D. Hermanum ulli unquam præbuisse, nam ab adverso exitu edoctus ipse fuisset.

II. Ante ipsum remedium hujusmodi, prout dicit D. Turner (a) in usu esse cœperat; At Empiricum, quod adhibebatur, hac majori circumspectione fiebat. Fundebatur drachma sublimati corrosivi in uncia una spiritus vini, qualibet die decem aut duodecim, aut etiam quindecim hujus solutionis guttarum in cyatho ptisanæ avenæ sumebantur, quod qualibet haustione facit ferme quintam partem grani sublimati corrosivi. D. Turner jure hanc methodum arguit; At Vviseman Chirurgus Anglus qui multo ante simile factum tulerat (b) (anno 1670.) eamdem attentionem non habuerat.

III. Dom. Boerhaave hunc sublimati corrosivi usum cognovit, atque approbavit. (c) " Granum unum, inquit (d) sublimati corrosivi aquæ uncii dilutum, dat remedium cosmeticum prudenter usurpantibus . . . . si drachma talis misturæ syrupo violaceo mitificata potetur bis terve in die, mira præstat in multis morbis incurabilibus.

Juxta hanc methodum, quælibet drachma hujus mixturæ continere debet octavam partem grani sublimati corrosivi; sic hanc drachmam duabus, aut tribus vicibus in die exhibendo, ægrotus quotidie duas aut tres octavas partes sumet unius grani sublimati. Hæc dosis, ut patet, illa Empirici Londinensis fortior est. Ita D. Boerhaave advertit hoc remedium esse usurpandum: at prudenter a prudente medico. Abstine, si methodum nescis. D. Boerhaave melius se gessisset si remedium tam suspectum nullo modo proposuisset, aut saltem ejus adhibendi methodum, præcautionesque necessarias docuisset, quibus malis effectibus occurrendum aut medendum est.

IV. D. Van-Svvieten, celeber D. Boerhaavii discipulus, & primus Imperatricis medicus post aliquot annos modum proposuit præparandi, atque ministrandi remedium quod a Boerhaave tantummodo indicatum fuit. En descriptio, quam D. Astruc typis edere fecit, quam a Medico magnæ notæ origine Germano habuisse testatur.

„ Ponuntur in vitreo excipulo duodecim grana sublimati corrosivi fideliter parati; desuper funduntur duæ libræ ptisanæ, aut decoctionis glycyrrizæ, aut racemorum siccorum. Ponitur excipulus supra calescentem cinerem, quandoque remiscetur, donec sublimatum sit perfecte fusum, nec ullus atomus appareat. „

Qualibet mane 25. aut 30. dierum spatio juxta effectum ægroto jejuno cochleare exhibetur hujus solutionis in cyatho ptisanæ, aut decoctionis glycyrrizæ, aut racemorum siccorum, cujus aliquis alius cyathus intra mane erit ab ægroto hauriendus.

D. Astrucius asserit animadvertisse ad calcem hujus dissertationis „ Dominum Van-Svvietenium hoc remedio 128. ægrotos sanasse citra ullum incommodum. Ac inter illos duos, vel tres tantummodo levi salivatione correptos fuisse. „

Hoc remedium paratur solvendo duodecim grana sublimati corrosivi in libras

(a) Syphilis. *A practical disertation on the venereal disease* pag. 99.
(b) *Several Chirurgical Treatises*, in Fol. *London.* 1676. *cap.* 2.
(c) Chem, part. iii. *Process.* cxcviii.
(d) In monito tertiæ editioni addito de Morb. Mul. p. 113.

bras duas, aut triginta duas uncias ptisanæ, vel quod idem est, sex grana sublimati in sexdecim uncias liquoris.

Idcirco pro singulis quattuor unciis ptisanæ habetur granum unum, & semis sublimati corrosivi, vel quod idem significat, duodecim octava, ex quo consequitur singulam unciam tria grani octava complecti, & singulam semiunciam tria sexdecesima grani sublimati comprehendere. Exhibetur enim singulis diebus cochlear, aut uncia semis hujus ptisanæ præparatæ, videlicet quotidie exhibentur tria sexdecesima, vel quod idem sonat, unum octavum cum dimidio grani sublimati corrosivi, quod æquat dimidiam dosim celeberrimi Boerhaavii; sed hæc dosis perfecte cum Boerhaavio conveniret, si bis in die exhiberetur, ut Van-Svvietenius admonet in epistola ad D. Morandum missa Secretarium Academiæ Chirurgicæ. (a)

V. D. Astrucius fatetur usum sublimati corrosivi adversus luem veneream Lutetiæ Parisiorum jamdiu invaluisse, distributumque olim fuisse domi Celsissimi Ducis de Antino sequenti modo paratum.

„ Solvebatur uncia una sublimati corrosivi in lagena aquæ fontanæ, quod „ duas circiter libras æquat; Quotidie tres cyathi infusionis sennæ præparabantur, & singulis affundebatur gutta una hujus solutionis, verum per æqua „ intervalla tres infusionis cyathi hauriebantur, postea obvium regimen prosequebantur.

„ In progressu singulis diebus dosis solutionis ad guttam augebatur, & „ pari ratione in primo cyatho infusionis sennæ mane propinabatur, reliqui „ duo cyathos paulo post exhibendo. In hac methodo erat persistendum quotidie guttam solutionis addendo, donec nauseæ excitarentur, & tunc „ retrogrado cursu imminuebatur solutionis dosis, donec ad unicam guttam „ reduceretur.

Hac ratione curatio triginta, vel quadraginta diebus plerumque perdurabat; si enim supposuerimus trigintaquattuor dies, æger in curationis cursu sumpsisset 306. guttas hujus solutionis, sive quattuor drachmas cum quadrante, quod æquabat paulo ultra octavum drachmæ, vel decem aut undecim grana sublimati corrosivi pro integra curatione. Hæc quantitas in 34. dies subdivisa tertium grani pro singulo die suppeditat, quæ dosis parum superat illam Boerhaavii. Sed in hac methodo quotidie purgabatur æger, ac proinde facultas sublimati corrosivi imminuebatur.

VI. Eodem circiter tempore Chirurgus quidam militum prætorianorum Petitus dictus apud nos sublimati corrosivi pilulas exhibuit sequenti ratione.

(a) Specimen epistolæ D. Van-Svvieten ad Morandum missæ die 5, Aprilis 1755.
En tibi methodum, qua luem veneream vindobonæ curavi.

℞. *Mercurii sublim. corros.* g. xii.
Spiritus frument. semel rectif. lib. ii.
m.

Mane, & vespere cochlear unum hujus liquoris exhibebam affatim propinando ptisanam confectam ex hordeo, radicibus Althææ, glycyrrizæ. convalebant absque salivatione ventris fluxu vel alio incommodo, nonnulli sudabant, alii copiose mingebant; superiori anno tercentum convaluerunt, hoc anno usque adhuc ducentum. Sunt & alii tercentum paucis abhinc diebus nosocomium ingressi ad eandem curationis methodum subeundam. Medicus Reginæ Hispaniarum per litteras mihi retulit idem expertum esse feliciter.

℞. *Sublimat. corrosiv.* ʒ i.
Aquilæ albæ
Antimon. Diaphoret.
Antihectici Poterii a. ʒ ii.
Micæ panis f. p. ʒ iii.

m. & cum *Gummi tragacanthæ* f. q. fiant pilulæ ponderis unius grani.

Per dies triginta decem, duodecim, aut quindecim harum pilularum quotidie exhibebat, immediate cibum potumque aqueo-vinosum exhibendo.

Massa totalis harum pilularum comprehensa solutione gummi tragacanthæ æquabat triginta sex drachmas, quarum una sive 72. grana erant sublimati corrosivi, videlicet duo grana pro singula drachma, quod æquat trigesimam sextam partem grani sublimati pro singulo grano massæ pilularum. Idcirco duodecim grana harum pilularum, quæ singulis diebus ingurgitabantur, complectebantur duodecim trigesimas sextas partes grani sublimati, vel quod idem sonat, tertiam partem unius grani sublimati corrosivi, quod cum præcedentibus dosibus omnino convenit.

VII. D. Keyserus nuper Parisiis sibi proposuit morbos venereos profligare; diaria jugiter prædicant ejusdem remedii eximiam facultatem, & felices eventus, & ipse nihil derelinquit, ut hanc medicinæ provinciam sibi comparare possit; itaque maximi interest hoc remedium investigare, prout permiserit hoc remedium celandi Auctoris cura, ut optimum de ipso judicium ferre valeamus.

Priorem præparationem hujus remedii arcanam faciunt; intra cubiculum enim Dominus Keyserus occlusus aromata molebat, ut ferunt sui remedii basim constituentia. Hinc enim materies mollis, & grumosa obtinebatur, quæ intra cubiculum minus reconditum ulteriores præparationes suscipiebat. Deinceps bajulo committebatur, qui post longam triturationem supra porphiritem ipsam moleret, quod opus ad intimiorem subactionem tantum inservire videtur. Bajulus iste prout materiam molebat, identidem guttas aliquot aceti fundebat ad acrimoniam fortassis hujus materiæ obtundendam. Trituratio producebatur, usque dum materies satis inspissata videretur; tunc bajulus alter supra marmoream tabulam stultuli ope materiem in bracteæ speciem extendebat. Stultulus ille in extremis parumper ita obversos ostendebat margines, ut bracteam uniformiter per omnem latitudinem ad lineæ profunditatem crassam relinqueret.

Sumebatur tunc conus excavatus ad apicem exiguo foramine circulari, & circa limbos incidente instructus. Admoto pluries hoc foramine bracteæ, ut ostendimus, uniformiter crassæ totidem portiones separabantur perfecte æquales, ita perdurabat labor, donec conus bracteæ portionibus repleretur. Verum hujusmodi portiunculæ saccharo albo subtiliter contrito obducebantur, & si earum quæpiam imperfectam rotunditatem ostenderent, ipsas manibus contrectando ad perfectam sphæricam figuram redigebantur; reliquum totius bracteæ novæ massæ extendendæ permiscebatur, iterumque opus inibatur.

Hujusmodi sunt rotulæ, sive Trochisci D. Keyseri, quarum magis obviæ quinque grana æquabant, exiliores hujus ponderis ½ attingebant, sed aliæ crassiores quindecim grana pendebant. Pro variis Trochiscorum magnitudinibus perficiendis conos adhibebat in iis rationibus diversimode perforatos.

Hujus-

Hujusmodi *rotulæ* tantummodo Keyseri arcanum constituebant. Postquam per venæ sectionem, purgationem, & aliquot balnea ægrum præparaverit, prima die unicam rotulam hujus remedii exhibebat, altera die duplum, tertia triplum ita dosim juxta arithmeticam seriem quotidie increscendo, donec ab adventu alicujus nocui symptomatis desistere coactus esset.

Hæc symptomata plerumque solent esse vomendi conatus, intestinorum tormina cum tenesmo, cordis anxietates, cardialgias, atque salivationem, in hoc tamen ab illa frictionum mercurialium diversam, quod buccæ interior majori inflammatione, atque dolore afficeretur, minus tamen salivæ funderet.

D. Keyserus eandem methodum non semper prosequitur.

Modo curationem incipit ab exiguis rotulis unius grani cum semisse, sed frequentius quinque granorum.

Modo quotidie dosim auget unius rotulæ, & si ab aliquo symptomate superveniente coactus desistat, medelam resumit ab eadem dosi, sub qua destiterat, quotidie iterum unam remedii rotulam addendo.

Modo postquam certa ratione dosim auxerit, retrogreditur, denuo intendendo rotularum dosim, prout ipse crediderit.

Modo tandem, quando morbus huic arcano valde obsistat, quod frequenter accidit, mercurialibus suffumigiis ægrotum subjicit, quibus totum corpus exponit capite excepto. Dicunt etiam quandoque frictionibus usum esse.

Hujusmodi Keyseri pertractatio plerumque duplicem mensem perdurat, sed interdum ad quinque, vel sex protrahitur, sub integra curatione centum, & triginta, vel centum & quadraginta rotulæ sumuntur, haud infrequenter tamen quadringentæ, aut quingentæ earum ingurgitantur.

Ex his facile deduci potest, hujusmodi arcanum importare compositionem pulmenti grumosi, quod Auctor clam patrat, & terendum bajulo suppeditat. Non abs re fortasse mihi suspicari licebit hoc pulmentum ex manna communi conflari, & pulvere quodam albo, qui a D. Keysero paratus certa quadam ratione cum reliqua massa commiscetur.

Quoad mannam attinet, certum est ingredientia hujus remedii satis abluta, atque exuberanti Sacchari portione spoliata, gustum mannæ ore detenta sensibiliter præbere; deinceps eadem ingredientia flammæ admota neque indurescunt, ut pulmentum, neque inflammantur, ut cera, aut resina, sed funduntur, ebulliuntque, ut mannæ mos est.

Tandem aliunde scimus cubiculum D. Keyseri magnam quantitatem mannæ ingredi, quæ nunquam revertitur, quod confirmat, hanc materiam basim constituere enunciati remedii, quod defensores Keyseri negare non audebunt.

Pulveris vero albi respectu, qui a Keysero reconditus magis tenetur, ipse porro mercurialis præparatio videtur, quia venereos morbos sanat, & salivationem movet, quinimo suspicari licebit sublimatum corrosivum esse.

D. Keyserus exiguam copiam hujus pulveris erudito cuidam Medico largitus est, qui sequens experimentum instituit. Calefecit enim, absquequo exscandesceret cochlear metallicum supradictum pulverem affundendo, cum æquali simul quantitate præcipitati tum albi cum rubri; pulvis Keyseri avolavit omnis, & præcipitata citra sensibilem jacturam superfuerunt.

Hæc experientia quantumvis simplex videatur, tamen ostendit pulverem Keyseri minime præcipitatum mercurii esse, quod fixitate pollet, sed sublimatum quodpiam mercuriale facilis sublimationis ergo. Neque sublimatum dulce videtur, quia Auctoris doses exiguæ sunt, ergo sublimatum corrosivum esse debuerit.

Insuper ex eo suspicio nostra confirmatur, quod remedium Keyseri nauseam moveat, & vomitum frequenter, tormina, tenesmum, languorem, atque cordis anxietates, quod ostendit hujusmodi arcanum stomachum, & intestina lacessere, ac proinde corrosivum esse; hac enim de causa D. Keyserus, qui satis indolem, & qualitatem sui remedii novit, ipsum vespere post cœnam tantum exhibet, ut alimenta ipsum implicando, ejusdem efficaciam imminuant, atque stomachum tueantur. Eos enim qui ab hac methodo recesserunt, pœnituit, prioremque sumendi rationem statim receperunt.

Desideratur enim dosim sublimati corrosivi statuere, quæ singulas rotulas intrat, ut appareat quantitas ingurgitati sublimati pro integra curatione; sed hoc ignorare fateor, quod ipse Keyserus fortasse ignoravit. At exigua videtur pro singula rotula sublimati copia, nam quidam ægri interdum earum viginti quinque intra diem ingurgitarunt. Modo vigesima quinta grani portio singulam pillulam, sive rotulam intraret, tali pacto pro singula die granum sublimati exhiberetur, quare dubito D. Keyserum satis imprudentem esse, si similem dosim per plures dies exhibeat, ipsamque repetat citra gravis nocumenti periculum.

VIII. Nuper opusculum apparuit sub titulo, *Essai sur les Maladies veneriennes, ou l'on expose la methode de feu M. Petit, Chirurgien*. Hoc opus optime quidem elaboratum est a D. Fabri, uno ex ejus discipulis. In hoc statuuntur certiora horum morbornm principia, eorumque solidior praxis, reperi *pag.* 131. pilulas antivenereas cum sublimato corrosivo confectas, quarum compositio non erit reticenda.

℞. *Mercurii sublim. corros.* ʒ v.
dulcis. ʒ i. ß.

Quibus in mortario vitreo probe tritis adde

Gummi ammoniac.
Guajaci a. ʒ i.
Pyrethri
Senn. orient. s. p. a. ℥ ii.

m. & cum

Syrup. ramn. s. q.

f. massa pilularum, quarum singulare pondus sex grana æquet.

Earum pilularum quattuor exhibentur jejuno stomacho, totidem in decubitu vespere propinantur, quæ dosis imminuitur, si aliquod symptoma exigat; methodus vero istiusmodi per novem, aut decem dies continuari solet.

Hoc remedium mirum effectum præstat, *Auctor asserit*, in his casibus superius allatis, videlicet quando frictiones inutiles evaserint, generice in inveterata lue venerea præsertim cum ægri pluries his morbis affecti fuerint, & organa jam nimis labefactata habuerint remediorum farragine absque methodo, aut profectu absumptorum.

Sed illi, qui easdem pilulas in vulgaribus casibus ingurgitarunt præsertim in lue venerea recenti, ubi infideles, & nocuæ evaserunt, quod moneo, *Auctor ait*, ut caute exhibeantur.

Hoc monitum profecto prudens est, sed insufficiens. Melius arrideret nun-

quam

quam ipſas commendare, nam ſuſpicor vix unquam exhiberi poſſe citra gravem noxam, ut infra oſtendam.

Ingredientia harum pilularum ſimul ſumpta unciam æquant, ſi duplex drachma ſyrupi ramni compoſitionem ingrediatur, integra maſſa decem drachmas ęquabit, quod eſt 720 grana. Hujus maſſæ drachma ſemis, ſive 36 grana ſublimati portionem faciunt, idcirco pro ſingulo grano harum pilularum habebitur $\frac{36}{720}$ ſive $\frac{5}{60}$ ſive $\frac{1}{20}$ grani ſublimati corroſivi, quare in ſingula pilula ſex granorum erit $\frac{6}{20}$ ſublimati corroſivi, & in quattuor pilulis mane ſumendis $\frac{24}{20}$ unius grani $\frac{1}{6}$.

Æqualis doſis portio eſt veſpere ſumenda: & ſic qualibet die duo grana, & $\frac{2}{5}$ ſublimati corroſivi accipientur, quod quidem vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, abſquequo veneno inficiatur, & ideo dubito, quidquid Auctor dictitet, nunquam ad talem doſim exhibitum fuiſſe.

Quidam offenderint ſemis drachmam ſublimati corroſivi cum drachma una, & ſemis mercurii dulcis intime permiſceri, quod efficaciam ſublimati valde imminuit. At ſublimatum corroſivum ſimplici trituratione commiſcetur, quæ propriam figuram, ac actionem proinde ſublimati relinquit; fortaſſis hæc compoſitio compeſceretur, ſi partes ſublimati per ſublimationam confuſæ eſſent, atque commixtæ, ſed hic effectus haud ſperandus videtur per ſimplicem ſubactionem.

Inſuper oppoſuerint purgantia, quæ pilulas intrant, ſublimatum corroſivum præcipitare ejuſdemque actionem obtundere, at non quælibet pilula niſi $\frac{4}{20}$ grani ſennæ complectitur, & doſis matutina $\frac{16}{20}$ grani tantum reſpectu mercurii dulcis pro ſingula pilula $\frac{3}{20}$ grani tantum habetur, & $\frac{12}{20}$ grani pro ſingula doſi. Qualis itaque evacuatio erit expectanda ab hac doſi? Auctor ipſe aſſerit haſce pilulas in ſupradicta doſi bis, terve tantummodo alvum moviſſe; æger igitur intra diem detinuit grana quattuor & $\frac{4}{5}$ ſublimati corroſivi, & in triplici die ſeptem integra grana, quæ citra gravem noxam ſumi poſſe haud putarem.

Judica nunc, vir præſtantiſſime, quanti fieri debeant hujuſmodi nova remedia, quæ audacter commendant, cui melius erit fidendum judicium, ipſe ad ſequentes animadverſiones, quæ a re ipſa derivant, me converto.

I. Nova remedia, quæ pro ſpecificis adverſus luem veneream prædicantur, omnia a ſublimato corroſivo originem habent, quod multiplici ratione moderari tentant.

II. Doſis, quam præſcribunt, non ſemper eadem eſt. Empiricus Londinenſis $\frac{1}{5}$ grani præſcribit. D. Boerhaavius $\frac{3}{8}$ grani exhibet videlicet paulo magis $\frac{1}{3}$ quod cum Van-Svvietenio convenit. D. Antinus & ipſe Petitus $\frac{1}{3}$ grani proponunt. D. Fabrus granum unum & $\frac{1}{5}$ intra diem bis tuto exhiberi poſſe autumat. Me latet doſis Keyſeri, quam a ſupradictis non admodum diſtare crederem.

III. Sublimatum corroſivum potentiſſimum eſt venenum, quod nunquam præſcribere auderem per 30 aut 35 dies ad doſim $\frac{1}{5}$ aut $\frac{1}{4}$ multo minus $\frac{1}{5}$ grani pro ſingula die; quantumvis modica videatur doſis, timerem profecto ne pluries ſumpta in ſtomacho, aut inteſtinorum plicis collecta letalia phenomena facile producerent.

IV. Multo magis de hoc remedio ſuſpicarer dum ſub ſolida forma exhiberetur. Etenim ex una parte trituratio vix potis erit ſublimatum corroſivum in minimas portiunculas ita dividere, quale in fluida ſolutione evaderet; idcirco ſublimatum tantummodo tritum craſſioribus particulis præditum erit, quarum ſingulæ majorem actionem præſeferent, quam in menſtruo ſolutæ; ex altera

tera vero parte haud poterit ſublimatum mica panis, aut manna intime permiſceri, ut in confectis pilulis æquabiliter diſtribuatur. Quare haud difficulter ab hac methodo ſublimatum ingurgitando quodpiam letale phenomenon oriri poſſe videbitur.

V. Uſqueadhuc tamen ab his doſibus letalia admodum phenomena orta eſſe non intellexi, nihilominus ſtomachum lædit, nauſeam, vomitumque movet, inteſtina irritat, & tormina parit. At quis inficiabitur hoc venenum quamvis ſtatim letales effectus non producat, non poſſe tamen aliquam eroſionem in pulmone, ſtomacho, veſica, utero, atque cerebro excitare, ut tandem letalem morbum ſine cauſa manifeſta inducat, quis ignorat lente venena poſt longum tempus propriam actionem edere?

VI. Hæc ſuſpicio experientia non deſtituitur, ut apud nos jampridem compertum eſt. Erat enim quidam Empiricus, qui pilulas, aut rotulas febrifugas venundabat, quæ prompte febres intermittentes rebelles compeſcebant abſque ulla prava conſecutione; arſenicum haſce pilulas intrare plures ſuſpicati ſunt, quod eventus facile confirmavit. Plerique, qui ipſis uſi ſunt, poſt aliquod tempus in maximum languorem incidebant, cujus cauſam ignorabant; nonnulli tuſſiebant, cum puris creatu, & lenta febre; alii icteritia pertinaciori cum dolore circa regionem hepatis laborabant: alii per conſumptionem interibant. Poſt hujuſmodi calamitates venenoſam remedii hujus qualitatem tueri minime potuerunt, idcirco arcanum publico juſſu proſcriptum fuit.

VII. Demum quod magis infirmat hæc remedia nocua ita quæ dum maximum detrimentum afferunt, tamen ſanare nequeunt, illud eſt, quod in integra curatione decem ad ſummum ſublimati corroſivi grana exhibeantur, ut ex ſubductione apparet; ſed hæc decem grana ſublimati vix quinque mercurii fluentis complectitur: qua ratione igitur exigua hæc mercurii doſis, quæ adverſus levem ſcabiem impar eſt, inveteratum & gravem luis venereæ affectum obtundere valebit?

VIII. Quapropter adverſus hunc morbum hæc remedia inutilia videntur; nam illud Empirici Londinenſis nullum effectum edidit, ut refert D. Turner; arcanum quoque D. de Antino, & illud Petiti majorem utilitatem non præſtiterunt, neque melius effectus expectationi reſponderunt D. Vanſvvietenii; andem illud Keyſeri nihil ipſis præſtantius eſt: hoc certiſſimum eſt, & ipſe expertus ſum, hoc anno ſupra duodecim ægros poſt hujus remedii aſſumptionem per tres, quattuorve menſes luem tamen ſæviorem paſſos eſſe.

IX. Nihilominus non inficiabor pilulas Keyſeri quandoque morbum imminuere, aut leviora ſymptomata per aliquot tempus compeſcere, quod fortaſſe ſectatores ſuos deceperit; ſed lues ſtatim revertitur, ſævior plerumque, & curatu difficilior, hoc eſt, quod fateri poſſum.

X. Denique ſi quis velit tantum morbum apparenter obtundere, cur ſuffumigiis non utuntur, quæ plura luis phenomena prompte tollunt, nullumque habent detrimentum conſecuturum, modo rite adminiſtrentur. Sed merito volunt omnino luem profligare; at ſuffumigia iſta minus faverent iis, qui hæc remedia venundant, ſi palliativa tantum cognoſcerentur.

XI. En Tibi ratio judicandi de virtute horum remediorum adverſus luem veneream, abſquequo meis monitis indigeas, ſed ſanum erit conſilium neutrum judicare. Reſpublica igitur judicium proferat, quæ maximam partem habet; facile apparebit non eſſe remedium præponendum, ſive melius, venenum, quod nunquam morbum tollit, alteri innocuo, atque tuto, quod communi opinione, atque conſenſu morbum tollit citra regreſſus ſuſpicionem modo rite adminiſtretur.

INDEX
RERUM LOCUPLETISSIMUS.

A

B

C

Cata-

D

E

Escha-

Gum

Leu-

R

S

T

V

Indicis Rerum Finis.